J'ai combattu dans le papier ci-joint pour notre *Frederic IV.* Ceſar de la Maiſon de *Brunſvic* comme *pro aris & focis.* Ce pauvre Prince eſt bien malheureux d'être attaqué de nouveau par ſurpriſe, & de ne trouver point ſur le champ de meilleur défenſeur que moi. Plut-à-Dieu que Mr. *De La Roque* fût pour lui; il ſeroit Empereur, malgré toutes les oppoſitions de l'Archevêque de Mayence. On vous auroit bien de l'obligation, Monſieur, ſi vous pouviez gagner un advertaire ſi redoutable. Mr. *De La Roque* peut changer de parti ſans prévarication, car perſonne n'y perdroit rien, *Rupert* n'étant pas encore elu, & *Wenceſlas* ne s'en ſouciant guères. Il ſera bien glorieux à votre ami d'avoir rétabli un Empereur qui s'alloit perdre. Voila le pouvoir de l'érudition. Après pluſieurs ſiécles, l'effort de quelque plume ſçavante ſervira peut-être autant au Roi *Jaques*, que toute la puiſſance de la France. Vous me direz que les gens n'en ſont guères mieux pour être bien dans l'eſprit des auteurs, & qu'il vaut mieux régner un an en effet, que mille ans dans l'hiſtoire; je trouve que vous avez raiſon, & que nous devons plutôt ſonger à nous qu'à la poſtérité; & l'eſtime des vivans, ſur-tout des perſonnes auſſi diſtinguées que vous & Mr. *De La Roque*, étant une des plus précieuſes choſes de la vie. Je vous ſupplie de me conſerver la votre & la ſienne, & de me croire, Monſieur, &c.

Ce $\frac{9}{19}$. *d'Avril* 1691.

G. G. LEIBNITII EPISTOLA

AD PATREM PHILIPPUM GRIMALDUM, SOC. JESU,

De miſcellaneis Philoſophicis, & Mathematicis.

SCio per gradus eundum eſſe in animis hominum capiendis, neque facile eſſe ea, quæ Deus humano generi per Chriſtum revelavit, iis per argumenta perſuadere, quibus noſtra hiſtoria ſacra, & profana non ſatis eſt explorata, demonſtrataque. Interea tamen tanta eſt Dei benignitas, ut his quoque, quibus revelatio nondum innotuerat, alio gratiæ nunquam deficientis genere ſuccurrat, modò nihil ipſis ad bonam voluntatem deſit. Excitati enim naturæ contemplatione, intuſque adjuti ex alto, eum ſuperamare poſſunt, quem ſuper omnia pulchrum, perfectumque eſſe intelligant, donec præparata mente etiam fidei lumen ipſis infundatur. Itaque conandum eſt, ut amor divinus interim excitetur, quem maximè Chriſtus urſit, & ratio ipſa commendat. Certum autem eſt, neminem

amari poſſe, cujus non eſt cognita pulchritudo, nec divinam ſapientiam, & poteſtatem, in quibus ſupremæ intelligentiæ ſpecioſitas conſiſtit, quantum à nobis illa capi poteſt, meliùs noſci, quàm cognitione rerum, quas fecit.

Unde conficitur, *tria agi debere ad augendum in nobis naturale Dei lumen.* Nimirum, ut primùm colligatur notitia rerum egregiarum jam inventarum, deinde ut eruantur adhuc invenienda, denique ut omnia vel inventa, vel invenienda referantur ad hymnos ſummo rerum autori canendos, & incrementum divini amoris, cui charitas erga homines eſt innexa. Quòd ſi tanta eſſet mortalium felicitas, ut magnus aliquando Monarcha tria iſta tamquam rem ſuam agenda ſumeret ſibi, plus uno decennio ad gloriam divinam, & beneficia humani generis, quàm multis aliàs ſæculis, proficeremus.

Analyſis ſpecioſa, ſive ars inveniendi, mathematica mira augmenta accepit, operâ imprimis meâ, & aliquot amicorum, qui novam quandam à me propoſitam literaliter calculandi rationem in uſum tranſtulerunt, qua ratione ſuppleta ſunt ea, quæ *Carteſius* ipſe fatebatur in ſua analyſi deeſſe (*a*). Nam novam excogitavi formam in calculo exprimendi motuum progreſſus infinitè parvos, & ipſa progreſſuum rudimenta, quæ ſunt infinities infinitè parva. Cùm enim motus, quippe qui in tempore fit, ſit ut linea ordinaria, oportet ut impetus tamquam initium motûs inſtantaneum ſit, ut linea infinitè parva, ſeu infiniteſima; At conatus (e. g. gravitas, aut vis recedendi à centro) cum infinitis demum repetitionibus conſtituant impetum, erit quantitas infinities infinitè parva. Has notiones infiniti ubi traduxi in calculum geometricum, inventæ ſunt ſolutiones problematum phyſico-mathematicorum, quæ hactenus in poteſtate non eſſe videbantur, nunc autem paruere faciliùs calculo infiniteſimali, quia natura ubique aliquid infiniti voluit, ut veſtigia oſtendat autoris immenſi.

Galilæus fruſtrà quæſierat *lineam catenariam*, quam ſcilicet catena ſummè flexilis, &, annulis quàm minimis conſtans, ex duobus datis punctis ſuſpenſa format. Hanc ad amicorum exhortationem aggreſſus, ſolvi omnium primus, &, quod mirum eſt, reperi pendere ex Logarithmis; ita ut ſi ulla extaret Logarithmorum tabula, aut ductæ ex iis inſtrumentorum

(*a*) Mr. le *Marquis de l'Hôpital* dans la préface de ſon Analyſe des infiniment petits en parle ainſi: „En un mot, il ne „paroît pas, que les Anciens en ayent „pû faire davantage pour leur tems: Ils „ont fait ce que nos bons eſprits auroient „fait en leur place; & s'ils étoient à la „nôtre, il eſt à croire, qu'ils auroient „les mêmes vuës que nous. Tout cela „eſt une ſuite de l'égalité naturelle des „eſprits, & de la ſucceſſion néceſſaire „des découvertes. Ainſi il n'eſt pas ſur„prenant que les Anciens n'ayent pas été „plus loin: mais on ne ſçauroit aſſez s'é„tonner que de grands hommes, & ſans „doute d'auſſi grands hommes que les „Anciens, en ſoient ſi long-tems de„meurés là: & que par une admiration „preſ-

rum diviſiones, poſſent tamen ope talis catenulæ affabrè elaboratæ Logarithmorum effectus ea accuratione, quam catenæ magnitudo dare poteſt, exhiberi. Veritatem rei poſtea etiam alii comprobarunt. Hujus exemplo Mathematici ingenioſiſſimi meo calculo utentes determinavere figuras velorum, & varia optica, & mechanica quæſita. Quemadmodum & novum genus linearum excogitavi, quas, tamquam tangentes arctioris naturæ, voco *oſculantes*, earumque inſignem in praxi mechanica uſum oſtendo: quibus perſpectis *Hugenius*, nulli Mathematicorum noſtri ſæculi ſecundus, faſſus eſt publicè, & privatim, poſſe nos ope calculi a me propoſiti ea obtinere, ad quæ alioqui vix dabatur aditus. Et *Marchio Hoſpitalius*, qui peculiarem *librum de hac nova Analyſi infiniteſimali* nuper in Gallia edidit, agnoſcit, incepiſſe me, ubi omnes alii deſierant, & hoc calculi genere perfringi quodammodo parietem, qui phyſicam ſeparat à matheſi. Et jam ars inveniendi eò provecta eſt, ut appareat nihil invium nobis fore, ubi ſufficientia ſunt data, modò homines ſibi ipſis non deſint.

Cœpi etiam condere novam quamdam *Dynamices* ſcientiam, &, detectis *Carteſii* erroribus, veras dedi leges motûs demonſtratas, ducendo ad abſurdum, quia ſcilicet iis non admiſſis violaretur æqualitas inter cauſam integram, & totum effectum; adeoque poſſet *motus perpetuus* excogitari, quem abſurdum eſſe aſſumo. Mirificæ autem hic quoque ſe oſtendent harmoniæ, unde maximè apparet, Naturam eſſe opus Sapientiæ ſupremæ, in quo uno agnoſcendo, & celebrando maximus conſiſtit meditationum, imò totius noſtræ vitæ, fructus; in id enim conditi ſumus ut divinam ſapientiam amemus, & colamus.

In Aſtronomia quoque magis magiſque progreſſus fiunt. Viri docti magno labore incumbunt in motus lunares extricandos; & ſanè videntur aliquæ ineſſe ei deviationes, ex ipſa actione corporum planetariorum inter ſe ortæ; quales veriſimile eſt ineſſe planetis omnibus, ſed in Luna nobis proxima faciliùs notari. Interea hæ ipſæ deviationes, ſi ritè obſerventur, jugum aliquod admittunt in uſum prædicendi accuratiùs, quàm hactenus eſt factum. *Hugenius* poſthumum opus reliquit, cui titulus *Coſmotheoros*, in quo multa vulgo parum nota explicavit de rebus cœleſtibus. Reliquit etiam machinam, ſidera repræſentantem ab ea diverſam, cujus *Romeri* cura fabricatæ exemplum Patres Gallos in Sinas pertuliſſe puto.

„preſque ſuperſtitieuſe pour leurs ouvra-
„ges, ils ſe ſoient contentés de les lire,
„ & de les commenter, ſans ſe permettre
„ d'autre uſage de leurs lumiéres, que ce
„ qu'il en falloit pour le ſuivre; ſans o'er
„ commettre le crime, de penſer quelque-
„ fois par eux-mêmes, & de porter leur
„ vuë au delà de ce que les Anciens avoient
„ découvert. De cette maniére bien des
„ gens travailloient, ils écrivoient, les
„ livres ſe multiplioient, & cependant rien
„ n'avançoit. Tous les travaux de pluſieurs
„ ſiécles n'ont abouti qu'à remplir le mon-
„ de de reſpectueux commentaires, & de
„ traductions repetées d'originaux ſouvent
„ aſſez mépriſables.

puto. Deprehendi ego, posse explicari mechanicè ellipticum motum planetarum circa solem circulari harmonicè, id est, ut celeritates circulandæ sint in progressione harmonica, quando ejusdem planetæ diversæ distantiæ à sole sunt in progressione arithmetica.

Quod Optica attinet, inventa nunc ars est efficiendi specula ex vitro, incredibiliter majora prioribus. Nam habentur jam, quæ sunt altitudinis pollicum pedis Parisini octuaginta, id est $6\frac{2}{3}$ pedum, quale quid ante paucos annos Veneti ipsi in Murano impossibile pronunciassent. De modo fabricandi nihil satis certi, distinctique adhuc ad me relatum est, puto tamen, artificium mox vulgatum iri.

Experimentum Cassellis in vicinia nostra sumtum est *Navis subaquaticæ*, ipso spectante Principe Hassiæ Landgravio, nec malus fuit successus: ut adeo dubium nullum sit posse hæc aliquando in usum transferri, ubi familiariora opificibus facta fuerint. Autor rem ita instituerat, ut inclusus intra navim profunditatem demersionis ope Hydrargiri, ut in Barometro, æstimare posset.

Nuper Gothæ in Thuringia effossa sunt ossa prægrandis animalis ex genere elephantino. Mirantur curiosi, unde illud in has oras. Sed similia etiam in Brunsvicensi tractu, & Brabantia, & alibi passim deprehensa sunt. Non dubito etiam apud Sinenses interdum effodi, quæ hodie illic supra terram non visuntur, quorum notitia prodesset Europæis ad instituendam comparationem.

G. G. LEIB-

Digitized by Google

G. G. LEIBNITII
EPISTOLÆ XLII.
AD ANTONIUM MAGLIABECHIUM,

Bibliothecæ Palatinæ Cosmi III. Magnæ Etruriæ Ducis Præfectum;

In quibus cogitata & inventa quæque ſua communicat, ſimulque innumera nova litteraria indicat.

EPISTOLA I.

QUam vides fiduciam meam, Vir Ampliſſime, publica humanitas tua, parque ei doctrina ſumma naſci fecit. Tu enim non in Italia tantùm tua eruditionis laude regnas, ſed & beneficentiam per univerſam Europam extendiſti. Mihi verò ex Italia potiſſimùm quærenda ſunt auxilia, hiſtoricæ cuidam difficultati ſuperandæ, quam in adjecta ſcheda propoſitam vides. Agitur de quibuſdam ſeculi XI. Marchionibus Longobardiæ (*a*), & vicinarum regionum diſtinguendis, familiaque eorum, ac ditionibus agnoſcendis. Ubi facilè intelligis, non acumine ingenii quaſi gladio ſolvi hunc nodum, ſed induſtria, & judicio accurato Viri in Diplomatibus earum regionum verſati, qualem nemo te rectiùs ſuppeditare nobis poſſet, tu enim unus omnium optimo jure cenſum Reipublicæ Literariæ peragere potes, neque aut te fugit quicquam in hoc genere, aut quiſquam defugit auctoritatem tuam. Nos verò & publicè agnoſcemus beneficium, & qua licet, conabimur mereri. Antequàm verò finiam, quando ſemel hanc fiduciam ſumſi, patere quæſo, ut quæram, an ſuperſit adhuc *Franc. Vivianus* (*b*), Geometra ſummus, &, niſi fallor, incomparabili *Galilæo* veſtro olim familiaris. Intellexi enim *Vivianum* compertas habuiſſe

(*a*) Tunc temporis *Leibnitius* Antiquitatibus Regiæ Familiæ *Brunſvicenſis* illuſtrandis operam dabat: eapropter Antiquorum *Marchionum Italiæ*, *Ateſtinorum* nempe, e quibus *Brunſvicenſes* Principes originem trahunt, Genealogiam deſiderabat. Demum voti compos ut fieret, in Italiam ſe tranſtulit, diuque Florentiæ, & Mutinæ ſubſtitit, ac Diplomata examinavit, quibus inclytarum illarum Familiarum connexio comprobatur. Hoc autem argumentum fuſiùs deinde, & ſolertiùs proſecutus eſt Cl. *Ludov. Ant. Muratorius* in *Antiquitatibus Eſtenſibus*.

(*b*) *Vincentius Vivianus* Mathematicus inſignis obiit d. 22. Sept. 1703.

buiſſe varias *Galilæi* ſententias circa naturam rerum, quæ non exſtant; partim quòd illis temporibus cavenda eſſet quorumdam importunitas, partim quòd *Galilæus* non facilè aliquid, niſi demonſtratum, in publicum exire pateretur. At nobis etiam conjecturæ ſummorum Virorum pretioſæ eſſe debent. Itaque Reipublicæ intereſſe cenſeo, ut reliquiæ tanti Philoſophi ſerventur omnes, hortandumque *Vivianum*, qui fortaſſe unus poteſt, ut poſteritati conſulat, qua in re tua maximè autoritas valebit. Vale.

Dabam Hanoveræ prid. Non. Januar. 1686.

EPISTOLA II.

TAnta fuit erga me humanitas tua, tanta beneficiorum cumulatio, quibus me nunc quoque per Italiam ornant commendationes tuæ, ut non poſſim nimis maturè, nec unquam ſatis dignè gratias agere. R. P. *Sabbatinus* (c) Bononiæ literas tuas lætus accepit, & inter colloquendum non vulgarem oſtendit affectum erga nova noſtri temporis inventa, quibus ſcientiarum pomœria proferuntur. Idem mecum agnovit, tum demum magnos in cognoſcenda rerum natura progreſſus facturum eſſe humanum genus, cùm curioſitas in cœnobia uſque penetrabit, & pars pietatis, credetur detectis admirandis rerum opificiis, novos in dies Divinæ Sapientiæ hymnos canere. Cùm enim tot millia hominum ex publico alantur in hoc unum, ut Divinis laudibus celebrandis animum intendant; quid futurum putas, ubi tot præclara ingenia, quæ hactenus vim ſuam inanibus verbis conſumſere, conjunctis conſiliis, atque animis, ſtudium ſuum convertent ad fodiendas illas inexhauſtas, ut ita dicam, mineras Divinæ Gloriæ; quas præbet in id propè unum creta rerum natura. Quod ſi ea facilitas obtingeret noſtro ſeculo jam declinanti, profectò plus intra decennium præſtari poſſet, quàm aliàs integra ſæcula dabunt. Itaque R. P. *Sabbatinum* hortatus ſum, ut exemplo ſuo, atque monitu, alios inflammet. Te quoque rogo, Vir celeberrime, qui autoritate vales, apud plurimos religioſos ſimul, doctiſſimoſque Viros ex variis ordinibus tecum amicitiam colentes, ut quantum potes excites ſtudium eorum ad conſilia tam pia, generique humano profutura ſupra quam credi poteſt. Cl. *Gulielminum*, cui me præterea Bononiæ commendaveras, expertus ſum humaniſſimum ſimul, atque eruditiſſimum. Libellus ejus *de Salium figuris* non mediocriter mihi placuit, ſatiſque oſtendit hoc ſpecimine, quàm præclara ab eo debeat expectare Reſpublica Literaria. Duxit me ad *Malpighium*, Virum utique inſignem, apud quem ſuaviſſimos ſermones multas horas

(c) *F. Aloyſius Sabbatinus; Dominicus Gulielminus; Marcellus Malpighius; Jo. Gallianus Coccapanius; Bernardinus Ramazzinus*, & *D. Benedictus Bacchinus*, quibus *Magliabechius* commendaverat *Leibnitium* tunc temporis Italiam peragrantem.

horas cum fructu conſumſi. Nunc Mutinam profectus, Literas tuas Ampliſſ. *Galliano*, & Cl. *Ramazzino* reddidi. *Gallianus* omnem opem humaniſſimè pollicitus eſt: *Ramazzinus* ſummam officioſitatem oſtendit. Ambo haud dubiè intuitu commendationis tuæ. Faſciculum ad R. P. *Bacchinum* reliqui ex præſcripto tuo apud R. P. *Sabbatinum*, Literæ ut curentur operam dabo. Submiſſam grati animi devotionem meam, rogo, ut data occaſione, apud Sereniſſimos, Magnum Ducem, & Principes vi mentis, & benignitate incomparabiles, tuo teſtimonio confirmes. Amicis quorum per te gratia uſus ſum, rogo me commendes, & ad D. Baronem *Bondenhauſen* has incluſas curare velis. Quod ſupereſt, ineuntem annum felicibus auſpiciis alios multos, non minus fortunatos præceſſurum tibi ex animo precor, certus, quantum interſit Reipublicæ Literariæ ut nobis diutiſſimè ſalvus, florenſque conſerveris. Vale.

Dabam Mutinæ ultima die anni 1689.

P. S. Quia Mutinæ forſan per duas, & ultra ſeptimanas hærebo, mandata tua per Cl. *Ramazzinum* ad me pervenire poterunt.

EPISTOLA III.

NIhil mihi eruditiſſimis, & bonæ frugis pleniſſimis Litteris tuis gratius accidere poteſt; quibus ſterilitas mea ægrè invenit quod reponat. Gaudeo Sereniſſimum ac Etruriæ Principem devotiſſimæ voluntatis meæ aliquam memoriam conſervaſſe, quam ut data occaſione apud illum, non minùs quàm Magnum Ducem, & Principum decus *Gaſtonem* renovare velis oro.

R. P. *Gaudentius* (*d*) Mutinæ in tranſitu ad me inviſit, nam Parmâ veniens, Bononiam tendebat. Dedi ipſi literas a te tum ad ipſum, tum verò ad R. P. *Bacchinum* deſtinatas. Nec tamen ipſe Parmam adire deſpero. Curat ille Bononiæ edi D. *Malvaſiæ* opus *Inſcriptionum Bononienſium*, quo & multæ aliæ ineditæ continebuntur, ſumtuſque omnes, ac totam negotii molem in ſe ſuſcepit. Idem *Miſcellanea* edere parat, quibus varios Italorum eruditorum libellos in paucorum manibus verſantes complectetur. Sed hoc tibi, quàm mihi notius eſt, cujus favore illum adjutum in hoc conſilio exequendo non dubito.

R. P. *Vanni* ſchedam (*e*) beneficio tuo legi, & miror virum doctum, & ingenioſum, poſt tot demonſtrationes irrefragabiles etiamnum in ſententia ſua hærere. *Bellinum* Piſis, neſcio quem novum tractatum de rebus Anatomicis parare, mihi retulit *Malpighius*.

(*d*) F. *Gaudentius Robertus* Carmelit.
(*e*) *Jo. Franc. Vanni Synopſis inveſtigationum momentorum quibus gravia tenduntur deorſum. Romæ* 1689. in 8.

Ramazzinus de admiranda Fontium Mutinenſium natura libellum parat, profuturum ſanè; eſt enim res memorabilis.

De Corregii Principatu ad Eſtenſes translato ibi accepi: Principem Corregii ob moneræ depravationem, alioſque errores, Cæſarum ſententia ditione exutum; inde Hiſpanos Caſtrum præſidio tenuiſſe, quod Dux *Franciſcus* Avus præſentis Mutinæ Ducis, Gallis confœderatus occupavit, & Pace Pyrenea interceſſione Galliæ in perpetuum obtinuit, Imperatore etiam inveſtituram indulgente.

Cæterum memineris, Vir celeberrime, dum literas *Placcii* (*f*) mihi legendas dediſti, eo ipſo me negotiorum ejus geſtorem jure amicitiæ conſtitutum. Quamvis autem facilè agnoſcam, negotia tua, & literaria commercia minimè ferre, ut ipſe, quæ multa poſſes notare circa *Anonymos*, & *Pſeudonymos* in literas redigas, auctoritate tamen tua apud variorum Ordinum Religioſos efficere facilè poteris, ut quiſque ſui Ordinis Anonymos, vel larvatos conferat. Ita non mediocri acceſſione *Placcius* ditabitur. Et doctiſſimi apud vos Viri, *Noriſius*, *Badius* (*g*), P. Lector Benedictinorum, aliique libenter conferent operam, atque ipſius Ordinis quiſque ſui honori velificabuntur, ne ignorent homines, quantum cuique eorum debeant; cùm ſi quis olim reſpectus viventes larvam ſumere juſſit, poſt fata plerumque ceſſare ſoleat. R. P. *Franciſcus* Mutinâ abeſt; ſi me præſente redierit, fruar commendationis tuæ beneficio.

Noriſii libellum (*h*) quo etiam Chriſtianam Heram ex *Rigordi* nummo firmabit, ſpero mox in publicum proditurum.

Si qua nova literaria ad te perferuntur, rogo ut me eorum participem facias. Et gratum in primis erit cognoſcere, quæ *Mabillonius* ex Gallia nuntiavit.

In Belgio prodiit libellus Gallicus, cui titulus: *Nova Hæreſis Pontifici Maximo, & Principibus Chriſtianis denuntiata*, Auctor (qui nomen ſuum diſſimulavit) duos Jeſuitas, unum Divionenſem, alterum Lovanienſem, hæreticæ doctrinæ accuſat, quaſi docentes omne peccatum, quod ſine actuali cogitatione offendendi Dei committitur, philoſophicum eſſe malum,

(*f*) *Vinc. Placcius* Hamburgenſis qui An. 1674. edidit: *Syntagma de Scriptis, & Scriptoribus Anonymis, atque Pſeudonymis. Hamburg.* in 4. Item *Tractatus duos, quorum prior Anonymos detectos, in capita, pro argumentorum varietate diſtinctos, poſterior Pſeudonymos detectos catalogo alphabetico exhibet. Hamburgi* 1674. in 4. An. verò 1689. edidit *Invitationem amicam ad Ant. Magliabechium, alioſque, ſuper ſymbolis promiſſis partim, & deſtinatis ad Anonymos & Pſeudonymos detectos & detegendos; & deli-neationem operis totius, cum catalogo librorum a ſe editorum. Hamburgi* in 4. Opus verò quod moliebatur prodiit poſt ejus obitum, hoc titulo: *Theatrum Anonymorum & Pſeudonymorum &c. edente Matthia Dreyero. Hamburgi* 1708. in fol.

(*g*) *Henricus Noriſius* demum S. R. Ecc. Card.; & *Raph. Badius*. Flor. Ord. Prædd.

(*h*) *Henrici Noris ad P. Ant. Pagium de Nummo Herodis Antipæ Diſſertatio*, quam V. in T. 2. ed. Veron. pag. 646.

lum, non mortale, nec æternis flammis puniendum, quantæcumque ſit alioquin enormitatis: ſi didiceris, quomodo Romanum Inquiſitionis Tribunal hunc nuntium acceperit, fac ut tuo id favore diſcam. Si quid autem ad me perferri in poſterum voles, poterit mitti *al Sig. Mendlein Agente di S. A. S. di Brunſwic a Venezia.* Quod ſupereſt, vale, Vir eximie, & meritorum tuorum præconi, quod non indiges, fave.

Dabam Mutinæ 13. Januar. 1690.

EPISTOLA IV.

NOlui committere ut D. *Baro de Walther* ad vos iret ſine literis meis. Itaque non ipſius gratia, ſed mei officii cauſa ſcribo. Cùm ipſum tibi plus ſemel viſum, notumque non dubitem; ex quo ille pulcherrimo, & jucundiſſimo vitæ inſtituto, perpetuis peregrinationibus Europam ſibi jam a multis annis familiarem facit.

Eximium virum *Petrum Andream Andreinum* (*i*) diu hîc quæſivi fruſtra. Nam norant multi; habitationem indicare poterat nemo. Tandem voti compos factus, literas apud ipſum a te inveni pulcherrimarum rerum plenas. Ego par pari referre non poſſum: neque enim Venetiæ ſuppeditant facilè materiam literariæ curioſitati. Præterea abitus amici feſtinare jubet. Itaque proximè ſcribam prolixiùs. Literarum *Mabilloniarum* excerpta nunc remitto cum multiplici gratiarum actione.

Arnaldus operis ſui contra P. *Tellerium Moralis Jeſuitarum Practicæ* Apologiſtam, quod ex *Mabillonianis* prodiiſſe intelligo, præcurſorem jam ediderat *Epiſtolam ad Epiſcopum Mallagenſem* filium naturalem *Philippi IV.* Regis Hiſp. qui olim ab omnibus auctor *Theatri Jeſuitici* in Hiſpania editi habitus, eoque nomine ab autore *Theologiæ Moralis Practicæ Jeſuitarum* citatus, ſcripto edito hanc famam repudiaverat. *Arnaldus* igitur oſtendit, non abs re hanc opinionem invaluiſſe, quæ ſi maxime falſa eſſet, auctoritati operis, & narrationibus inſertis authenticis nihil inde decedere.

Attribuuntur & *Arnaldo*, vel certè amicis ejus, bini libelli, continentes *Denuntiationem novæ Hæreſis* a duobus Patribus Societatis Divione, & Lovanii propugnatæ, deſtinatam ad Papam, & Principes Chriſtianos. Divionenſis ſtatuerat, peccatum utcumque grave, quod ſine cogitatione offenſæ Divinæ committatur, eſſe philoſophicum tantùm, nec æternis flammis dignum. Lovanienſis viſus eſt diſtinguere inter flammas Inferni perpetuas, & temporales.

Donatus qui noviſſimè Bailus Conſtantinopoli fuit, libellum edidit de *Literatura Turcarum.* Is certè unicus eſt liber novus, quem ego Venetiis notatu dignum reperi. Reliqui triobolares, aut tranſcripti.

(*i*) *Petrus Andreas Andreinus* Flor. Vir eruditus, & Antiquitatum præcipue ſtu- dioſus.

Mutinæ duos ferè menſes cum fructu conſumſi: ex Manuſcriptis enim juſſu Sereniſſimi Ducis ſuppeditatis, innumeros *Faleti*, *Pignæ*, ac ſimilium *Eſtenſis Hiſtoriæ* ſcriptorum errores detexi; reperique veram *Brunſvicenſium* atque *Eſtenſium* connexionem prorſus ab ipſis fuiſſe depravatam nominibus, temporibuſque negligentia, audaciaque quidvis effutiendi mirè corruptis. Quod ſupereſt, vale, ac fave.

Dabam Venetiis 20. *Feb.* 1690.

P. S. R. P. *Mabillonium* a me data occaſione ſalutari peto, nam & ipſe inſtituto meo olim favit; nec ingratum ipſi erit aliquo me ſucceſſu laboraſſe. Audeo petere, ut per ipſum incluſas reddi cures, eſt enim is ad quem ſcribo, ipſi amicus. Gratum erit doctiſſimo viro intelligere, me certis demonſtrationibus Diplomatum, & Monumentorum *veram connexionem duarum Sereniſſimarum Familiarum Brunſvicenſis, & Eſtenſis* deprehendiſſe, de qua meritò dubitaverant *du Cange*, & *Juſtellus*, ut ex ipſorum ad me literis apparet. Nam Scriptores *Eſtenſis Hiſtoriæ* omnia corruperant, & *Azonem* progenitorem communem 40. annis mortem anticipare juſſerant: nomina etiam filiorum, qui ſtirpem in Italia propagavere, prorſus ignoraverant. Reperi veterum horum Marchionum ſepulturam fuiſſe in Vangadicia Abbatia ab Eſtenſibus ſæpe beneficiis affecta; & ipſam *Cunigundam* veterum *Guelforum* hæredem, ex qua Aſo *Guelfum* alium Ducem *Bavaro-Brunſvicenſium* progenitorem ſuſceperat, ibi fuiſſe ſepultam; quin & Epitaphium ejus inveni, quod ibi ipſi fuit poſitum. Cæterum Vangadicia olim Benedictinorum, nunc Camaldulenſium Monaſterium, ſitum eſt ad Atheſin, hodieque in Mappis Geographicis vocatur *la Badia*. Mentionem ejus facit *Mabillonius* in *Itinere Italico*, ſed Vincentiæ vicinum facit: cùm potiùs vicinum ſit Rhodigio. In Diplomate quodam mentio fit *S. Theobadi*, cujus oſſa ibi requieſcunt; de quo etiam R. P. *Mabillonius* dicto loco. Hæc ipſi communicari peto, nec ingrata fore arbitror. Erunt hæc pro literis ad ipſum meis, quibus ſuperſedere volui, ne faſciculi in Galliam deſtinandi moles augeatur. Iterum vale.

EPISTOLA V.

NUper literas ad te dedi Domino Baroni *Walther*, ſed cùm in mentem veniſſet, deſiderare te, ut excerpta Literarum *Mabillonia-rum* quamprimum ad te redirent, præſentibus includere, & Curſori publico committere malui, multiplices gratias humanitati tuæ debens, quæ beneficentiam ultra præſentiam extendit.

Seriùs accepi tuas, quia diu fruſtra inquiſivi, ubi habitaret D. *Andreinus*, quem multi norant, ſed indicare poterat nemo. Tandem mihi fortuna ejus conſpectum conceſſit, Viri in quo certant doctrina, & humanitas, & qualem, ut omnia paucis dicam, tu meritò inter potiores amicos

amicos habes. Itaque literis tuis humaniſſimis, atque eruditiſſimis maturiùs reſpondere non potui.

Occaſione noſtri D. Baronis *Waltheri* amici veteris, ſcripſi etiam ad D. Baronem *de Bodenhauſen*, eique faſciculum tranſmiſi; nunc igitur ſalutem tantùm officioſiſſimam ipſi ſcribo, eamque ut ipſi a me dicas oro.

Princeps *Carolus* Sereniſſimi Ducis mei Filius natu quartus in prælio ad Preſtinam amiſſus eſt, nec dum conſtat, perieritne, an apud Barbaros captus ſuperſit. Mittetur qui inquirat. Nobis magnum ea res luctum attulit: erat enim Princeps non mediocris expectationis.

Venetiæ vix quicquam literarium ſuppeditant. Intelligo *Michaeli Foſcarino* a Republica curam Hiſtoriæ ad *Nani* exemplum ſcribendæ demandatam. Vidi Manuſcriptum volumen poſthumum Canonici *Pace*, qui Monumenta, & Chronica vetera inſpiciendi copiam habuit. *Andreæ Dandoli* opus ineditum Italicè verſum ſuo inſeruit; ſed extincto autore, vix edetur.

Hoc ipſo momento ſupervenit Nobiliſſimus *Andreinus*, & novis a te Literis me ditat. Ditant enim profectò Literæ tuæ, quibus theſauros literarios inexhauſta vena fluentes, inter amicos diſpenſas: quibus utinam quod reponi poſſet haberem!

Excerptis *Ramazzinianis* in ruborem me dediſti: vereorque admodum, ne *Andreinus* veſtram facilitatem irrideat, qui meam tenuitatem his laudibus minimè reſpondere deprehendit. Fruor interim humanitate ejus ſumma, id eſt beneficio tuo; utinam non prædicare tantùm, ſed & rependere poſſem. Vale, & cultori tuo perpetuo fave.

Dabam Venetiis 25. Febr. 1690.

EPISTOLA VI.

INnumeris a te beneficiis ita quotidie afficior, ut etiam Epiſtola, quæ non ſolet, verbis deſtituta, erubeſcat. Quicquid tibi de me liberaliùs, quàm mereor ſcripſere amici tui, id omne non niſi echo eſt immeritarum, quibus me cumulaſti laudum. Clariſſimi quoque *Andreini* beneficio per te ſubinde fruor. Nuper R. P. *Gaudentium* hic inveni caſu, eumque *Andreino* pararius conciliavi. Alteri alterius notitia, ſpero, non ingrata erit. Oſtendit *Gaudentius Monumenta Felſinea*, ſeu *Bononienſia* Domini *Malvaſiæ*, jam edita, ectypis ænearum figurarum exceptis.

Hic aliqui *Novæ Philaletarum Academiæ* nomine libellos, vel potiùs ſchedas ſeptimanatim edunt. Prima de Muſica fuit, ſecunda de rebus Geometricis. Sequentur aliæ Scientiæ; ſed prima ſpecimina nihil magni promittunt. Inſcripſere Principi Parmenſi.

Ex Germania mihi ſcribitur, nuper quendam libellum edidiſſe *de Arte hominum cogitationes divinandi*, cum tabula adjecta. Sed credo in ludi-

crum res abibit. Vidi olim *Franciſcum Mercurium Van Helmont*, celebris illius Medici filium non minùs celebrem, tale quid præſtare, ſed crebris interrogationibus adhibitis, ita ut homines quod celare volunt, dixiſſe non ſentiant.

Girolamus Corrarus Senator doctus curat *Medagliones* ſuos, ex quibus ſunt qui obſervationibus Eruditorum materiam dare poſſunt. Incidi hîc in Hiſtoriam Mantuanam ab Epiſcopo Caſalenſi compoſitam, ſed poſthumam: viſa eſt mihi non indocta, nec indiligens.

Cras excurram ad Patavinos, ſed diu ibi non morabor, nam reverſus Venetias iter in Germaniam accelerabo. Quòd ſi etiam trans Alpes ingreſſus ſubinde tua benignitate fruar, per te cum univerſa Europa erudita commercium mihi colere videbor. Et ſi poſſum aliqua ratione ſtudium tibi meum probare, & vicem aliquam reddendi occaſionem reperire, tum demum me beatum prædicabo. Vale.

Dabàm Venetiis 4. Martii 1690.

P. S. Rogo magnopere, ut literas hîc adjectas ad D. Baronem *Bodenhauſen*, curare haud gravatim velis. Scribit ſe iter Romam moliri: Spero nondum a vobis diſceſſiſſe; ſi verò jam iter ingreſſus ſit, non deerit tibi ratio ad eum mittere.

EPISTOLA VII.

EX literis D. Baronis *de Bodenhauſen*, & D. *Baronis Walther* intellexi hunc ad vos perveniſſe, ac meas reddidiſſe. Mirificè celebrat tuam in ſe humanitatem, ac profluam doctrinæ exponendæ vim, quæ neminem non doctiorem diſcedere patitur. Duas præterea meas tibi ſpero redditas, quibus omnibus ſanè humaniſſimis, rerumque bonarum refectiſſimis, reſpondi ut potui. Patavium excurri, atque inde Ateſte ac Montem Silicis adii. Cl. *Patinus* Patavii mihi exemplum dedit novi ſui Opuſculi, quod *Commentarium* continet *in M. Artorii Medici Octaviani Auguſti Cæſaris Monumentum Smyrnâ allatum.* Cæterum familiari ſermone, erga me queſtus eſt nonnihil de noſtrorum amicorum Lipſienſium liberiore judicio in *Actis* poſito, quando ejus nuper in *Marcellinæ monumentum Commentariola* referebant. Ubi imprimis miratur eos monumento non viſo, ipſam ejus deſcriptionem corrigere voluiſſe, meque teſtem appellavit non reperiri OYA ſed OYA, nec minimo certe lineolæ, A in A tranſmutantis veſtigio extante, in quo non poſſum diffiteri, ocularem inſpectionem ipſi prorſus favere; quemadmodum nec Virgarum illarum tranſverſarum veſtigia apparent, quas ipſi Siſtrum in figura quærentes, adeſſe ſuſpicantur. Atque hæc quidem ab ipſo *Patino* rogatus, cùm in facto conſiſtant, diſſimulare non poſſum.

R. P. M.

Digitized by Google

R. P. M. *Salamonius* (*k*) Ordinis Prædicatorum Theologus apud Patavinos, molitur novas, poſt *Thomaſinum*, *Urbis & Agri Patavini Inſcriptiones*. Incluſas rogo, ut ad D. Baronem de *Bodenhauſen* Romam curare, ac me interim commendare amicis, & in Sereniſſimorum Principum gratia conſervare velis. Vale.

Dabam Venetiis 11. *Martii* 1690.

Ante Feſtum Paſchatis, Deo volente, hinc diſcedam, & tua adhuc in Germania mandata nova expecto, vetera autem diligenter curabo.

EPISTOLA VIII.

CUm moles negotiorum Venetiis diſcedentem opprimeret, officium Italia excedentis, & a te beneficiis cumulati facere, id eſt gratias agere, non potui. Id ergo Œniponte ſupplendum utcumque putavi, ut intelligas me benevolentiæ tuæ, tanquam præſtantiſſimi Italiæ muneris, memoriam duraturam mecum in Germaniam ferre. R. P. *Carum* Somaſcum non Venetiis, ſed Mediolani agere intelligo, itaque fructum commendationis tuæ percipere non licuit. Literas doctiſſimi illius Patris Benedictini, qui apud Te mihi innotuit, ad alium Patrem ejuſdem Ordinis apud Sanctum Georgium majorem Venetiarum agentem datas curavi, & humanitatem Patrum hujus celeberrimi ſanè Monaſterii ſum expertus. Itaque R. Patri Florentino cum multa a me ſalute gratias meo nomine agi peto.

Fulmen Romanum quod multis Ordinibus ſacris, Cœnobiiſque minabatur, tandem Camaldolenſes Monaſterii Carcerum tribus ab Ateſt millibus diſtantis, percuſſit. Diſtribuentur in alios Conventus, non ſine gravi incommodo. Fui in Monaſterio, & ex veteribus illic documentis didici, *Henricum* vulgò *Nigrum*, Ducem Batavorum, a quo per rectam lineam maſculinam indubitato deſcendunt *Brunſvicenſes* mei, inſignem terrarum tractum Eccleſiæ S. Mariæ ad Carceres donaſſe anno 1107. ſed hæc nunc diſſipabuntur, nullo antiquorum Benefactorum, vel *Fundatorum* reſpectu, quorum voluntates parum curant. Idem fatum aiunt manere vetus Monaſterium Candiani, in quo habitant Canonici Regulares Sancti Auguſtini.

Non dubito quin ſuperiores meæ redditæ fuerint, cum epiſtola ad D. Baronem *Bodenhauſen* Romam deſtinata. Nunc rogo ut has quoque incluſas ad eum curare velis: utor enim hac facultate a Te conceſſa, dummodò non abutar. Vale, & favere perge.

Dabam Oeniponte 30. *Martii* 1690.

EPISTO-

(*k*) F. *Jacobus Salamonius* Cretenſis Ord. Prædic. de quo vid. *Papadopoli Hiſt. Gymn. Patav.* T. 2. pag. 320.

EPISTOLA IX.

NOn dubito quin meas receperis, quas Italicis finibus valedicens ſcripſi, ut teſtarer te inter potiſſimas eſſe cauſas, cur Italiam relinquerem invitus.

Iter autem (cùm negotia quædam Sereniſſimi Principis mei ſuperveniſſent) Viennam flexi. Sed ibi longam moram non traxi, tandemque ſalvus Deo favente Hanoveram appuli.

Viennæ Cl. *Neſſelius* Bibliothecarius Cæſareus *Breviarium Lambecianorum Commentariorum*, ſeu ſupplementorum uno volumine edidit, in quo omnes MSS. Græci, & Linguarum Orientalium habentur: progredietur deinde ad MSS. Latinos, aliaque minatur a *Lambecio* promiſſa. De ſuo molitur opus, quo colliget, atque una edet omnes Tractatus Pacis, & Fœderum, quos potuit nanciſci diſperſos. Catalogum dabit eorum quos habet, ut qui deſunt, ipſi judicio amicorum poſſint ſuppleri.

Rogare audeo, ut precum D. *Vinc. Placcii*, meminiſſe, & amicos, maximè variorum Ordinum Religioſos ad operam conferendam hortari velis.

Erneſtus Tenzelius, qui contra *Schelſtrati Diſciplinam Arcani* ſcripſit, menſtruos dialogos edit *De Rebus in Republica Literaria novis*, ſed lingua vernacula.

Hagnitius Juvenis in Luſatia nobilis, & doctus libellum edidit de *Aulæ Mareſchallorum officio*, quod illuſtrat ex monumentis ſuperiorum temporum.

Apud nos omnia perſtrepunt libellis in Gallos, ſed pauci leporem habent. Duos præ cæteris laudari video: *Fecialem Gallum*, eruditum, ſed vehementibus verbis affectum ſcribentis teſtantem; & libellum lingua Gallica, licet ab homine Germano in negotiis publicis, ut apparet, verſato ſcriptum, & in Batavis editum, cui titulus: *Mars très-Chrétien. Fecialis* etiam Gallicè verſus habetur, ſed titulo acriore quàm eſt latinus: *La France toujours ambitieuſe, & toujours perfide.* Scio veſtrates improbare hanc noſtrorum vehementiam in dicendo, ſed ſi hic eſſent, (hoc eſt ſi tecta & agri eorum ureientur) aliter credo ſentirent: & nunc, vel exemplo Sabaudiæ, intelligere poſſunt, quid ſit Gallum vicinum habere. Quæ *Menckenio* deſtinaveras, ego Auguſtæ reliqueram *Spizelio*, inde ad Lipſienſes Nundinas rectè curanda, & haud dubiè rectè curata. Quod ſupereſt, vale, Vir egregie, & cultori tuo ſtudioſiſſimè fave.

Dabam Hanoveræ 16. Julii 1690.

P. S. Litetas ad D. *Andreinum* deſtinavi Venetias ad *Herzium*. Si jam abiit inde, ab *Herzio* accipiet. Incluſas ad D. Baronem de *Bodenhauſen* rogo curari; & ſuper omnia Sereniſſimorum Principum gratiam mihi conſervari.

EPISTO-

EPISTOLA X.

NOn poſſum non ſemper in aere tuo eſſe, etiam cum ſolutionem quandam tento; quæ quantacumque a me proficiſci poteſt, non niſi ex earum numero eſt, quas JCti imaginarias appellant, qualis apud Romanos fiebat uno nummo, & in accepti ratione pro vera numeratione debitæ pecuniæ adhibebatur. Tale eſt quicquid a me proficiſci erga te poteſt, ut proinde benigna quadam acceptatione ex tua parte opus ſit, ne nihil prorsùs egiſſe videar; quod ſi a te impetravero, ſaltem effugero ingrati hominis notam, qua nihil eſt fœdius.

Ego Aulam ſecutus nunc Brunſvici, nunc Zellæ fui, inde ad Fodinas Hercyniæ ſum digreſſus negotiorum cauſſa, ac nuper admodum ad Muſas reverſus. A celeberrimo *Hugenio* donatum accepi exemplar novi, planeque excellentis operis de *Lumine*, quo mihi videtur *Carteſii* lumina prorsùs extinxiſſe in hoc argumento. Pulcherrimè enim explicuit veras Refractionis cauſas, legeſque. In præfatione pariter ut in curſu operis, quorundam inventorum meorum, pro ſua humanitate, meminit, quod & *Newtonus* fecit in ſuo *Principiorum Naturæ Mathematicorum* præſtantiſſimo volumine: ita quanto quiſque eſt doctrina excellentior, tanto plus ſinceritatis, atque humanitatis oſtendit.

Noſſe velim quid Cl. *Noriſius* lecta *Rigordi* Diſſertatione *de Nummo Herodis Antipæ* judicet: ſubdubitare mihi viſus eſt de ejus genuinitate. *Joſephum* jam diu a Cl. *Bernardo* Anglo expectamus, ut non ignoras. Et a *Joh. Andreæ Boſii* Viri apud *Ienenſes* eruditiſſimi hæredibus, miſſus eſt in Angliam omnis ejus ad *Joſephi* editionem apparatus. Sed neſcio quo, factum ſit ut conſilium *Bernardi* ſit ſufflaminatum. Si editioni *Joſephi* novæ apud Lipſienſes accederent *Boſiana*, ſaltem fieret operæ pretium. Sed nunc vereor, ut orbi erudito ſatisfiat. Celſiſſimus Princeps *Ferdinandus* Epiſcopus Paderbornenſis & Monaſterienſis, dum in vivis erat, *Hiſtoriam Weſtphaliæ* ſuis auſpiciis ſcribi curabat. Ejus nunc pars prima prodiit: multa ibi non contemnenda continentur. Sunt tamen, quæ puto melius tradi poſſe ex noſtris monumentis. Conatur autor (qui eſt ex Societate Jeſu) paradoxum defendere, quod ſcilicet genuina etiam diplomata Carolina, aliquando Annos præferant Incarnationis, quos alii in *Caroli* illius *Magni* Diplomatibus veris deprehendi negant; quorum mihi potior videtur ſententia. Certè Oſnabrugenſia duo originalia Carolinæ munificentiæ monumenta, annos regni ipſius *Caroli* præferunt, idemque in aliis deprehendimus, quorum indubitata eſt fides. Electionis Epiſcopalium Bremenſis, & Verdenſis originalia non extant, & quales circumferuntur tabulæ, apud eruditos ſuſpectæ habentur.

Prodiit *tertia Arnaldi* Denuntiatio *Peccati Philoſophici*, qua P. *Bouhourſi* Epiſtolæ reſpondetur. *Secundam Denuntiationem* (quæ inſcripta erat: *Suite*

de la démonſtration) non dubito quin videris. In ea oſtendere ſuſcepit *Arnaldus* non ſolum Profeſſorem Divionenſem talia aſſeruiſſe, ſed plus decem Theſes Theologicas a variis in Gallia Belgiæ Societatis Collegiis prodiiſſe, iiſdem fundamentis juſtificatas. Non noſtrum eſt tantas componere lites. Papam ſpectat hæc cura, quem & audio ſuam auctoritatem interpoſuiſſe. Moſcos P. *Grimaldo* cum aliis Sociis ad Chinas tendenti negaſſe tranſitum, confirmavit mihi *Papebrochius*. Doleo vicem egregii Viri, & mihi amici.

D. *Guillelmini* Viri Clar. Libellum *De Menſura Aquarum currentium* videre aliquando gratiſſimum erit: ad nos talia tardè admodum, nec niſi caſu afferuntur. Rem non exiguam præſtiterit, ſi argumentum tam inſigne, & a *Caſtello* nequicquam attentatum, abſolvit. Sanè perſpectum ejus ingenium me dubitare non ſinit, fore illic quæ diſcamus non proletaria. Si quando offeretur occaſio, rogo ut eum meo nomine ſalutes, rogeſque ut idem a me officium apud Celeberrimum *Malpighium* præſtet, cujus præclaras meditationes multas adhuc preſſas non intercidere, Reipublicæ intereſſe cenſeo.

Non dubito quin acceperis *Seckendorfii* egregiam *Reformationis Hiſtoriam*, cujus pars prima prodiit. Auſim dicere de ipſo, quod *Scaliger* de *Maimonide*, & *Rabbinis*, primum in hoc genere deſiiſſe ineptire. Scis enim pleroſque, qui Religionis controverſias tractant, pro hiſtoria nobis diſputationes obtrudere. Vir eſt verſatus in Republica, idemque doctrina excellens, nec Theologus, ſed Politicus, eoque minùs ſuſpectus. Scripſit ipſe mihi nuper, inſpexiſſe ſe ſe ultra 400. volumina manuſcripta Saxonicorum archivorum, atque inde bona fide expreſſiſſe, quæ ad rem facere videbantur. Opus abſolutum mox prodibit.

Cùm a me exhibita eſſent in *Actis Lipſienſibus Specimina novæ* cujuſdam *Methodi*, *qua Analyſis ultra terminos a* Vieta, *& Carteſio ſtatutos provehitur*, petivit a me D. *Bernoullius* in Scheda iiſdem *Actis* inſerta, ut vellem experiri, an methodus mea prodeſſet ad ſolutionem problematis a *Galileo* primùm propoſiti, a nemine autem ſuperati, de vera natura lineæ, quam pendens ex duabus extremitatibus catena facit; quæ initio parabola eſſe falſo credebatur. Hoc igitur Problema in *Bernoullii* gratiam aggreſſus abſolvi, quoniam talia non per ſe æſtimanda ſunt, ſed ideo tantùm in pretio habentur, quòd artem inveniendi augeant; ideo in *Actis Lipſienſibus* nuper profeſſus ſum, problematis hujus dudum quæſiti ſolutionem reperiſſe, & rogare Geometras, ut & ipſi vires in eo experiri velint, quo appareat, utrum methodi paſſim receptæ ad talia pertingant. Anni autem terminum ſtatui, intra quem aliorum curas expectabo. Hoc igitur rogo, ut Geometriæ cultoribus indicari cures, quo exercendæ artis occaſionem habeant. Si quis autem ſolutionem repererit, rogatur, ante publicationem ejus, aliquod nobis indicium facere; ita non difficulter fortaſsè intelligemus invicem, utrum in eadem inciderimus; nec aliis materia induſtriæ præripietur.

Vale, ac fave. Dabam Hanoveræ 26. Octob. 1690.

Ami-

Digitized by Google

Amicis, patroniſque, quibus tuo favore innotui, me commendari, & Sereniſſimorum Veſtrorum gratiam mihi, tua interceſſione conſervari peto: ſimulque ſcriptionis parum nitidæ veniam rogo.

EPISTOLA XI.

SEmper creſcunt, fortiuſque aſtringuntur obligationes meæ. Præclara ſunt, quæque *Baudrandi* literis, pariter ac quæ ex tua penu mecum communicaſti. *Baudrandus* Vir eſt magnæ doctrinæ, & in primis in re Geographica inſignis. Vellem per amicos tuos Gallos diſci poſſe nomen, aut deſcriptionem radicis, quæ contra Dyſſenteriam tam eximiæ eſt virtutis (l). Mitto tibi Chirographum Viri quondam clariſſimi *Franciſci Mariæ Florentini*, quod Baroni *Blumio* miſerat. Hoc, ſi placet, cum manuſcripto commutabis; eoque accepto, reddes filio manum patris. Ubi acceperis manuſcriptum, rogo ut tecum retineas, donec mihi ſignificaveris. Præclari Viri *Marii Florentini* literas ad te reſtituam ſedulo, ubi eas priùs oſtendero Sereniſſimo Principi, in quem *Blumius* ſuum jus tranſtulit. Celeberrimus *Thevenotius* nuper mihi ſcripſit cogitari nunc Pariſiis de continuatione *Hiſtoriæ Byzantinæ*. Habet & *Hiſtoriam Tartarorum* Perſicè ſcriptam; cujus cùm aliud exemplum apud nos ſuſpicetur, ex me quæſivit. Habemus ſanè aliquot MSS. Perſica, in quæ inquiram. D. Baroni *Bodenhauſen* mihi ſolutionem quandam, cujuſdam problematis olim a *Galilæo* propoſiti, & hactenus invicti; quam mihi obtinere licuit. Hanc in novo *Diario Ferrarienſi* (quando *Parmenſe* ceſſat) edi, fortaſſe non inconſultum foret. Sed hoc tuo judicio committo.

Obiit doctiſſimus *Morhofius*, qui ante paucas ſeptimanas apud me fuit, ad aquas minerales potandas tendens, quæ tamen ei nihil profuerunt; ita *Polyhiſtor* ejus, opus pulcherrimum imperfectum manebit (m). Neque erit facile qui abſolvat.

Librum doctiſſimi *Ramazzini* cum literis ejus humaniſſimis tandem accepi. Liber de Principibus Tuſciæ ab egregio veſtro *Arena* (n) ſcriptus, poterit aliquando cum manuſcripto Lucenſi ad me mitti. *Volglerus* Medicus olim pereruditus apud Helmſtadienſes, ſcripſerat *Introductionem* quandam *in omne Scriptorum genus*: hanc nunc auxit *Meibomius* ibidem Medicus, & Polyhiſtor inſignis, ubi loquens de commercio Virorum eruditorum

(l) *Ipecacuanha*, de qua *Leibnitius* Diſſertationem edidit hoc titulo: *G. G. L. de novo Antidyſenterico Americano magnis ſucceſſibus comprobato*: quæ reperitur in II. Tomo hujus collectionis.

(m) *Dan. Georg. Morhofii Polyhiſtor in tres tomos, Literarium, Philoſophicum, & Practicum diviſus: Opus poſthumum illuſtratum ab Jo. Moliero. Lubecæ* 1708. Vol. 2. in 4.

(n) *Coſimo della Rena: Serie degli antichi Duchi, e Marcheſi di Toſcana. Parte I. Fir. per Niccolò Cocchini* 1690. in f.

literario, tui quoque honorificentiſſimam mentionem fecit. Gratias ago pro eo quod de R. P. *Fardella* ſignificas: non equidem tanto me dignor honore. *Eiſenſchmidius* quidam Argentorati brevem, ſed non contemnendum libellum dedit, in quo conferens *Eratoſthenis*, *Snellii*, *Riccioli*, *Pariſienſium*, & alias Telluris dimenſiones, ſibi demonſtraſſe videtur Terram eſſe figuræ ovalis, & magis longam a polo ad polum, quam craſſam ſub *Æquatore*. Juvenis Hanoverani apud vos degentis, nomen mihi notum non eſt. Sereniſſimis Principibus peto me commendari data occaſione, & favorem amicorum mihi conſervari. Spero *Furfurariorum Dictionarium* jam abſolutum eſſe: cujus magna eſt expectatio. Doleo doctiſſimi *Bacchini* res turbatas. Gaudeo tamen in Abbate *S. Benedicti* inveniſſe qui ſciat pretium ponere meritis. *Arnaldum* audeo jam in Galliam rediiſſe. Ejus ex fratre nepotem *Pomponium* miniſterio redditum eſſe, poſt *Louvoiſii* mortem, ſpem facit res quoque doctiſſimi illius Viri, tandem aliquando in tranquillo collocatum iri. *Papinus* in *Actis Eruditorum* quædam objecit, contra Cl. *Guilielmini demonſtrationem de Motu Aquarum*: reſponſurum non dubito. Et ipſum, & per ipſum excellentem Virum *Marcellum Malpighium*, occaſione oblata, meo nomine ſalutari peto. Huic valetudinem omnimodam opto, & ab eo egregia nobis promitto; quemadmodum ab eximia *Guilielmini* doctrina. Quidam Reformatæ Religionis Concionator, D. *Fridericus Lucas*, quod felix, fauſtumque ſit, Librum molitur *de Sanctis Germaniæ*. In his viciniſque regionibus nonnihil liticulæ eſt Theologis de *Chiliaſmo*, ſunt enim aliqui, qui Regnum Chriſti in terris millenarium renovant, quibus *Pfeifferus* Lubecenſium Theologus primarius acrem librum oppoſuit. Adjunctas ad D. Baronem *Bodenhauſen* curari peto. Quod ſupereſt, vale, ac fave.

Hanoveræ 23. *Auguſti* 1691.

EPISTOLA XII.

QUod negotium noſtrum apud V. Cl. *Marium Florentinum* tam prompte, & ſtudioſe curaſti, gratias plurimas debeo, agoque. Rogo & ipſi D. *Florentino*, addita a me ſalute, ſignificari per occaſionem, & fidem ejus, & benevolentiam ſemper nobis memorabiles fore. Ipſum Manuſcriptum noſtrum ſatis maturè ad nos venerit; & ſi permittis, curabo quædam Romæ quoque ad vos afferri, ut uno omnia falce collecta, Venetiis deinde deferantur. Circumſpiciam etiam de nonnullis aliis Italiæ libris, eadem opera afferendis, redimendiſque, quando res impenſis Principis agitur: itaque catalogos quoſdam inſpiciam, & tutum, amicorumque favorem implorare audebo. Sanctus deinde faciet juſſus a Principe Ages in rebus, qui Venetiis degit.

Celeberrimi *Guilielmini* munus mihi deſtinatum ad Te perveniſſe, eo gra-

gratitudinis ſenſu intellexi, quem meretur & doctrina Viri, & perſpecta coram humanitas. Nec dubito utiliſſimum argumentum, eruditione ejus, & ingenio plurimum illuſtratum iri.

Ex Batavis mihi ſignificatum eſt *Auzutum* Romæ diem ſuum obiiſſe. Ita intercidit nobis *Vitruvius* ejus, aliaque egregia, quæ poterat, & moliebatur. Sed etiamſi vixiſſet, vix aliquid daturus erat, ætate factus paulo tardior ad labores literarios, magiſque conſulens quieti ſuæ. Multos habebat libellulos elegantes, & non vulgares, ſed qui vereor ne Romæ in poſſeſſores incidant uti neſcios: Potuiſſet non mediocriter *Cinelli Bibliothecam volatilem* augere.

Ex foliis manuſcriptis hebdomadariis intellexi *Laur. Magalottum* V. Cl. ad Florentinos ſuos rediiſſe, relictis Oratorii Romani Patribus. Et certè præſtat excellentis, & erecti ingenii Virum, ſuo, quàm alieno judicio vivere. Illud tantùm miror, in mentem ipſi venire potuiſſe, ut libertatem ſuam abdicare voluerit, qua tam pulchrè uti novit. Libenter intelligo in vicinia veſtra eſſe Patrem *Aſtorinum* nepotem celeberrimi *Thomæ Cornelii*, eumque, ſi ita loqui liceat, patruiſſantem. Placet quoque, quod de *Puteis Mutinenſibus* noſtri *Ramazzini* memoras. Habebit occaſionem Antiperiſtaſeos famam in integrum reſtituendi, quam plerique Recentiorum potiùs Peripati odio, quàm cauſa cognita exploſerunt. Spero etiam Thermometris, & Barometris in puteos delatis, vacillantem aliquando ſenſuum noſtrorum fidem firmaviſſe. Barometra indicabunt, an aer putealis cùm maximè denſus eſt, communem valde excedat gravitate. Ubi nonnihil a præſentibus diverticulis ad me reverſus fuero, ad ipſummet ſcribam, ut pro munere gratias agam.

Elegantiſſimi duo libelli de rebus Hiſpanicis lingua Gallica prodiere, nempe: *Mémoires d'Eſpagne*: & *Voyages d'Eſpagne*. Auctor femina eſt, aliquandiu apud Hiſpanos verſata, quæ ut aliquando ingenio indulgeat, multa tamen ſatis ex vero narrat. Hiſpanorum intererit refutare narrata, ſi talia de ſe credi nolunt. Sed neſcio quomodo nunc ejus Nationis non potentia magis, quàm doctrina laborat; & jam diu eſt, quòd vix quicquam ex illis oris ad nos affertur legi dignum.

De *Morhofio* aſſentior judicio tuo: Vir fuit magnæ lectionis, & doctrinæ vaſtæ; nec tantùm elegantiorum literarum cultor felix, & Poeta egregius; ſed & in interiore Philoſophia minimè hoſpes: ſed non ſatis rerum, linguarumque extranearum compos. Unde illa de *Fortu Regio* dubitatio, quam & ego animo adverteram. Mirum verò eſt *Didacum* a *Jacobo* diſtinxiſſe. Quemadmodum *Burnetus* accuſatus fuit nuper (quanquam injuria, ut ſuſpicor) *Iſabellam* ab *Eliſabeta* diverſam putaſſe.

Seckendorfii inſignis Viri *Commentarius Apologeticus Reformationis* Germaniæ tandem prodiit, & munere auctoris ad me pervenit. Si quando ad vos deferetur, agnoſcetis certare cum modeſtia & doctrina judicii gravitatem & candorem. Etiam V. Cl. *Jobus Ludolphus* nuper ſcripſit, &

exemplar ſui noviſſimi *Rerum Æthiopicarum Commentarii* mihi deſtinatum eſſe ſignificavit. Quantum ex indicibus capitum præmiſſis intelligo, multa habet expoſita, unde proficiat Orbis Literarius. *Begerus* aliquot Nummos nuper illuſtravit. Fuit olim Præfectus theſauro Nummario Palatino, nunc præeſt Brandeburgico. Tribuitur ipſi libellus olim ſub *Arcularii* nomine editus (id enim Latinum vocabulum Germanico nomini conſonat:) *de Jure Polygamiæ.*

Sam. Andreæ Marpurgenſis Profeſſor Reformatæ Religionis, quod miretis, & rideas, *Malachiæ* Hybernorum Archiepiſcopi creditam Prophetiam de Papis contra *Claudii Franciſci Meneſtrerii* Jeſuitæ cenſuram vindicavit.

Cùm ego ante menſes aliquot juſſu Sereniſſimi Ducis mei, aliqua, per literas ad amicum, celeberrimi *Peliſſonii* argumentis oppoſuiſſem, quibus ille Doctrinam Eccleſiarum noſtrarum oppugnat, reſpondit *Peliſſonius* humaniſſimè; & ego viciſſim aliqua modeſtè, ut par eſt, repoſui; quibus iterum *Peliſſonius* occurrit. Nunc omnia Pariſiis ipſo jubente *Peliſſonio* in lucem publicam prodiere, non ſine multis, & ut verum dicam, nimiis in me laudibus. Id ſaltem conſecuti ſumus ambo, quod rarum eſt inter diſputantes, ut poſt exitum certaminis, non imminuta, ſed potiùs aſtricta fuerit amicitia.

D. Baro *de Bodenhauſen* ſignificavit dudum, mittendo ad me exemplo Hiſtoriæ Principum Tuſcorum D. Capitanei *Della Rena* tantùm occaſionem deſiderari. Quòd ſi ergo exemplum illud mihi deſtinatum ad te ferri curabit, poterit cum cæteris ad me pervenire, ſi qui alii libri curioſi veſtro favore redimendi ſuppeditari poſſent. Rogaveram eum (cùm agatur de re mathematica) ut tuo intercedente auxilio, ſolutionem problematis a *Galilæo* propoſiti a me primùm datam, & a me tranſmiſſam, in aliquo Italico Diario edi curaret. Reſcripſerat in ſuis prioribus, *Parmenſe Diarium* deſiiſſe; ſed nunc cùm *Ferrarienſe* ſit in promptu, ego preces meas repeto. Rogoque, Vir Ill., ut de re cum D. Barone *Bodenhauſen* conſtituas. Habet ille figuram, quæ ut a me miſſa eſt vel ſola ſufficiebat. Explicat enim conſtructionem problematis; quia tamen res, ut video, adhuc integra eſt, poterunt aliqua de negotio dici in eum ſenſum quem adjecta ſcheda complectitur. Sed totum in veſtro arbitrio eſt.

Eduardus Bernardus quædam de Linguarum Europearum originibus molitur, occaſione Britannicæ ſuæ. Aliquod ſpecimen puto jam edidiſſe, ſed nondum ad me pervenit. Optarem impetrari poſſe Ectypum *Tabularum Eugubinarum.* Tabulas ſcis eſſe æneas, quibus literæ veteres, quæ Etruſcæ cenſentur, ſunt inſculptæ. Si quis amicus *Eugubii* favere vellet, poſſent tabulæ colore aliquo inſici, & ita uno ictu in charta exprimi: talem Ectypum illic obtinuit *Fabretus*: Sed hoc fortaſſe aliquando per occaſionem. Juſſa ſchedulæ adjectæ ſtatim curavi.

D. Baro de *Bodenhauſen*, quem officioſiſſimè a me ſalutari peto fortaſſe pro

pro ſua erga me benignitate, ſchedam adjectam circa problema Galileanum in idioma Etruſcum transferet, quamvis plenam addendi, minuendi, corrigendi poteſtatem ambobus concedam.

Audio Papam non tantùm *Malpighium* ad ſe vocaſſe, ſed & *Noriſium*, duo certè inſignia Italiæ ornamenta: Qua re profectò oſtendit, ſe naſum habere; & ſi in publicis negotiis non minùs rectè delectum hominum inſtituet, quàm in literis, facilè eos refellet, qui nihil magni ab ipſo expectabant. D. *Balatus* Florentinus, in Aula noſtra antea frequens, nunc Regia Gallica rerum ſuarum ſatagens, auditor ejus olim fuit, cùm Nuntium ageret apud Cæſarem.

Ozanam Gallus ſua lingua *Dictionarium* edidit *Mathematicum*; ita enim vocat, etſi non ſtylum Dictionariorum, id eſt ordinem Alphabeticum, ſed nexum rerum ſequatur, itaque nec *Vitalis* (o) ipſi, nec ipſe *Vitali* officit. Non vulgarem habet Calculi notitiam, ſed cùm non parum ex meis Pariſinis colloquiis profeciſſet, parum tamen candoris oſtendit: itaque quædam indicari curabo mea, quæ inſeruit ſuis tanquam ſua. Plura ex me habuiſſet, niſi maturè mihi innotuiſſet genius viri; itaque me in tempore repreſſi. Propoſuerat fortè typis publicis problema quoddam numericum. Dixi me ſoluturum ſi vellem laborem hunc mihi ſumere: Ille quod ſciret me parum in hoc genere exercitatum, cujus parva eſſe ſolet utilitas, oblitus beneficiorum, auſus eſt inſultare apud alios negareque id me unquam præſtiturum; ſed brevi hominem experimento refutavi, & cùm ille numeros haberet prolixos, ego ſimplices admodum dedi. Ex eo tempore ſuas ſibi res habere juſſi.

Eggelingius Vir doctus & in Re Antiquaria bene verſatus libellum edidit de quodam *Nummo Antinoi*, quem habet noſter *Gerhardus Molanus* Abbas Luccenſis.

Libenter intellexi *Beſſelium* appellari Hanoveranum apud vos verſantem, quem tibi probari, & ipſius, & familiæ honoratæ cauſa gaudeo.

Bailius qui in Batavis ante aliquot annos *Novellas Rei Literariæ* (p) edebat, quas valetudinis cauſa intermiſit, nunc magnam habet litem cum *Juriello* (*Jurieu*) Theologo Roterodamenſi, qui ipſi imputat neſcio quid commercii cum Autore libri, qui Reformatos è Gallia exules, quaſi mox redituros, mordaci libello, ſed erudito admonuit, ut priùs exuerent opiniones Monarchis inimicas.

Prodiit Gallicè *Vita Cromwelli*, & *Alexandri Farneſii* Parmæ Ducis Belgiæ Gubernatoris. Sed hunc ego malim in *Strada*, aut *Dondino* legere.

Habent

(o) *Hieronymus Vitalis* Cler. Reg. qui publici juris fecerat *Quadrivium Scientiarum*, *ſive Lexicon Mathematicum. Romæ* 1690. in 4.

(p) *Petrus Bayle* Philoſoph. & Hiſtoriæ Prof. P. apud Roterodamenſes, qui An. 1684. & ſequentibus edidit *Nouvelles de la République des Lettres*.

Habent hoc plerique muſtei Gallorum libri, ut hiſtoriis affient aliquid ſpiritus poëtici, & Miletiarum fabularum, quas vulgo *Romances* vocant.

Quia de Poëtis mentio incidit, dicam nos Vatem habere in his oris, Poetriam, an Prophetriam (ſi ita loqui licet) ambigunt. Oraculum enim velut ex Tripode reddit tanquam Sibylla nova, & Chriſtum ſibi dictantem videtur videre, & audire. Ego potiùs decipi, quàm decipere judico. Scimus omnes quanta ſit vis imaginationis. Stylo loquitur planè Apocalyptico, ut Propheram decet. Puella eſt bene educata, familiæ nobilis, in qua præter hoc unum, nihil vel ipſa maledicentia reprehendat. Sed jam a prima infantia talia agitabat mater, quæ & ipſa ſingularem quamdam pietatem ſpirabat; cùm eam adhuc in utero haberet, Chriſto devoviſſe dicitur. Conſtat quantum materna phantaſia in fœtum poſſit: acceſſit educatio, quæ alterius naturæ vim habet.

Contraria in Batavis factio ſurgit. *Beccherus* quidam Concionator Amſtelodamenſis librum *Mundi Incantati* titulo edidit, id agens, ut omnem Diabolo poteſtatem abroget.

Arnaldus novam litem cum Jeſuitis habet. Quidam Jeſuitis favens ad Doctores quoſdam Duacenos, ſub perſona *Arnaldi*, literas crebras ſcripſit, id ſolicitè quærens ut aliquid eliceret illis patribus nociturum. Tandem Theſes quaſdam fabricat, petitque adprobationem. Illi cùm quædam dutiora notarent, addunt reſtrictiones. Perſonatus *Arnaldus* reſcribit ſimplex judicium deſiderari in re tot magnis Viris probata. Ita cùm tandem aliquid elicuiſſe ſibi viderentur, fraudis autores, quo eos in odium adducere poſſent, detracta larva Theſes edunt. Verùm *Arnaldus* comperto dolo, Actionem publicè in eos inſtituit: ita parum profeciſſe videtur artificium tam exquiſitum.

Audio Gallos *Caſanatam* Cardinalem, Congregatione rebus ad ipſos pertinentibus deſtinata, excludi curaſſe.

Noſſe velim quid nunc agant *Fabretus*, *Serigardus*, & *Blanchinus* viri docti, quibus favebat *Alexander VIII.*

Sed finem imperat charta. Vale, & fave.

Dabam Hanoveræ 8. *Novemb.* 1691.

EPISTOLA XIII.

VEniam peto quòd onerare te auſus ſum libris meis, ignarus incommodorum inde naſcicurorum. Spero eos nunc Venetias perveniſſe ſalvos. Nuntiat mihi D. Baro de *Bodenhauſen* librum D. Capitanei *Arenæ* etiam nunc Venetias fortaſsè delatum iri. Quodſi nunc quæ mihi deſtinata habes, etiam Venetias ad D. *Mendlinum* mittere voles, adjicies hoc cæteris beneficiis tuis. Quicquid Tabellario (quem vos *Procaccio* appellatis) eo nomine ſolvendum erit, id ei dabit D. *Mendlinus*.

Reſpublica literaria in his turbis ſatis friget. Literas accepi a D. *Toinard* Pariſiis,

Pariſiis, quibus quærit, an verum ſit in Germania editum eſſe *Petronii ſupplementum* Belgradi repertum. Reſpondi nihil nobis ea de re compertum eſſe, & nos potiùs credidiſſe, Codicem illum a Gallo quodam volone repertum Belgradi, in Galliam perveniſſe. Itaque vereor, ne tota illa res evaneſcat. Quamquam ea jactura non magna futura foret. Mallem *Livium* nobis, aut *Tacitum* integrum dari.

D. Abbas *Nicaſius* mihi miſit libellum eruditum de *Sirenibus*, utrum veteribus fuerint Piſces an Aves. Et monſtrat potiùs ad Avium genus relatas fuiſſe, etſi hodie tanquam ſemipiſces pingantur.

Huetius Epiſcopus deſignatus, edidit libellum *De vero ſitu Paradiſi Terreſtris*, in quo ſatis probabiliter evincit ſitum ejus fuiſſe paulo infra conjunctionem Tigridis & Euphratis, & paulo ſupra novum communis alvei diſcidium, in duos ingentes ramos mare petentes, quorum unus ſit Piſon, alter Gihon, multaque pro more ſuo erudita inſpergit.

Accepi tandem Itinerarium D. *Delalovera* (*de la Loubère*) Ablegati Regis Chriſtianiſſimi ad Regem Siamenſem ab ipſo autore mihi miſſum. Multa habet notatu digna, & eruditis placitura. Inter alia nobis exhibet inſtrumentum, quo Sinenſes in calculando utuntur, & notat ſimile aliquid, licèt paulo rudius, jam habuiſſe Romanos, citans eam in rem *Pignorium de Servis*.

D. *Ellies du Pin*, erudita ſua *Bibliotheca Eccleſiaſticorum Scriptorum*, & *Diſciplina Eccleſiaſtica* notus, nunc moliitur notas ſelectas in Scripturam Sacram, & jam ſpecimen dedit in Pſalmos.

Significavit mihi non ita pridem Dom. Baro *de Bodenhauſen*, Dominum *Thom. Ashe* (ni fallor) Anglum ad te Viennâ ſcripſiſſe quædam curioſa de Anglorum inventis; rogo ut eorum me participem facias.

Quoniam D. *Tollius* in vicinia veſtra agit, rogo ut eum a me ſalutes peramanter, & hanc adjectam ſchedam ipſi tranſmittas; atque hanc meam petitionem boni conſulas.

Quod ſupereſt. Vale, & favere perge.

Dabam Hanoveræ 15. Feb. 1692.

P. S. *Bernardi Baldi* librum *de Tabula Eugubina* legi olim, notavique eum explicationes vocabulorum ex Linguis Orientalibus petere. Mihi placuerat Ectypon tabulæ qualem vidi apud D. *Fabrettum*, quod ipſa ex Tabula colore nigro infecta in charta applicata fuit expreſſum. Nam quæ vidi, characteres non ſatis exprimunt. Accepi ex Anglia Tabulam variarum gentium Alphabeta, & characteres ex ſe ſe invicem derivantem, autore doctiſſimo *Eduardo Bernardo*.

Excellentis eruditionis Vir *Schurzfleiſchius* Profeſſor Hiſtoriarum Witebergenſis iter ſuſcepit in Italiam, & haud dubie Florentiam adibit, & te in illa. Eſt inter comites itineris D. *Weslovius* noſtri ad Comitia Imperii Legati filius, Juvenis egregiæ ſpei. Hunc tibi commendare audeo.

EPISTOLA XIV.

OMnes tuas doctiſſimas (ut ſemper) & amantiſſimas rectè accepi, unà cum Epiſtolis editis Cel. *Guilielmini*, quæ bis ad me pervenere, te pariter & *Menckenio* mittentibus, curabuntur ad Dom. *Papinum*, atque in *Actis Eruditorum*, ut decet, recenſebuntur. Salutem officioſiſſimam ipſi a me dici, & gratias pro tanta benevolentiæ ſignificatione meo nomine (occaſione nata) agi peto. His jam ſcriptis accepi & literas ipſius tuis incluſas, quibus nunc reſpondeo.

Perplacet, quod te favente & urgente, tandem ad R. P. *Bacchinum* pervenit mea *ſolutio problematis Galileani* (q) eoque nomine ago tibi gratias, quemadmodum & pro tot aliis quibus me cumulas beneficiis. Scribit mihi *Juſtellus* Londino, *Boylium* quædam ſua Arcana Naturæ Artiſque reliquiſſe Societati Regiæ, Legatum præterea quinquaginta librarum ſterlinarum deſtinaſſe habendis concionibus ſex contra Atheiſtas, Naturaliſtas, Socinianos alioſque id genus homines a communi Chriſtianorum ſententia devios. Primum ſermonem jam fuiſſe cum applauſu pronuntiatum a *Bentleio* juvene docto, qui & *Philoſtratum* ex Manuſcriptis recenſuerit: omnes ſermones Anglicè, Gallicè, & Latinè edendos eſſe.

Bacchino, *Ramazzino*, *Cantello*, Viris egregiè doctis, & mihi amicis peto ſalutem nuntiari, quando alioqui illuc ſcribetur. Quanquam ipſe non ita dudum *Ramazzino* ſcripſerim, ſed tunc nondum noveram, quo ille me honore eſſet dignatus, itaque nec dum egeram gratias.

Molineti ad S. Genovevæ Pariſienſis Ædem Canonici Regularis Muſeum Lutetiæ prodiit, ubi multa ſunt elegantia ad rem antiquariam & naturalem.

Abbas Trappenſis (*de la Trappe*) cujus celebratur doctrina & pietas, paradoxum mirabile libro contra *Mabillonium* ſcripto tueri aggreſſus eſt, quaſi Monachos oporteat eſſe ignaros & ſcientiarum expertes, quibus ſcilicet tantùm a ſalutis cura, & exercitiis pietatis diſtrahantur. Placebit ea res ignavis ventribus, diſplicebit *Bacchino*, aliiſque Viris doctis amicis tuis; neque enim dubium eſt prætextu devotionis, inertiæ ſæpe alimenta, & prætextum quæri. Abbatum aliquando intereſt, Monachos habere ignaros, quo ipſi abſolutius dominentur. Si ea invaluiſſet olim opinio, nullam hodie eruditionem haberemus. Conſtat enim libros, & literas Monaſteriorum ope fuiſſe conſervatas: & unde ſumentur Abbates Regulares, quam e Monaſteriis? niſi fortè commendatitiis illis comedenda omnia Monaſteria propinare velimus. Olim Epiſcopi, Cardinales, Papæ ex Benedictino maximè Ordine, aut Collegiis Canonicorum Regularium ſumebantur. *Corbeia* ad Viſurgim nobis vicina, Monachis doctrina non minùs quàm pietate

(q) *Dominici Guilielmini Epiſtolæ duæ Hydroſtaticæ. Bononiæ 1692.* in 4.

pietate præſtantibus Imperatoria auctoritate emiſſis fidei lumen per totum Septentrionem ſparſit. Quid denique magis pietatis conſentaneum eſt, quàm meditatio Admirandorum Dei Operum ac Providentiæ, quæ non minùs in natura rerum, quàm hiſtoriæ ſerie, gubernationeque Eccleſiæ, ac humani generis elucet? His cogitationibus ſpoliare pietatem, alimenta illi ſubtrahere eſt maximè ſolida, relictis tantùm meditationibus aridioribus, quibus non diu contenta mens ad ſpeculationes evanidæ abſtractionis facilè tranſit, quæ nec illuſionum periculo carent.

Sereniſſimum Tuſciæ Principem incomparabilem meæ exiguitatis nonnihil memineriſſe, magnæ felicitatis loco habeo, ſed cujus conſervationem plurima ex parte debeo favori tuo; rogoque ut ſubmiſſam devotionem meam oblata occaſione teſteris. Idemque apud Fratrem ejus mirificæ benignitatis, nec minoris animi Principem facias. Vale.

Dabam Hanoveræ 2. Maii 1692.

EPISTOLA XV.

NOviſſimas meas acceperis, quibus tuis ſanè amantiſſimis, doctrinaque pleniſſimis utcumque reſpondi. Utcumque, inquam, nam tibi ex omni Europa eruditi tributa ferunt, præter ea quæ domi, in agro Florentino ingeniorum feraciſſimo, naſcuntur; mihi vix occurrit, quod ad te perſcribam dignum ſciri. Sunt tamen aliqui in Gallia, Anglia, Batavis eruditi, qui ſolent noſtras eſſe aliquid putare nugas. Ex his *Juſtellus* Londino ſignificavit *Southwellum* eſſe Præſidem Societatis Regiæ; *Hallæum* Secretarium; *Ed. Bernardum* edidiſſe *Etymologici Britannici ſpecimen.* Molitur hic de *Literarum origine* Commentarium, *Tabulamque Characterum* per omnes ferè gentes uſitatorum Harmonicam jam edidit.

Ludolphus Chalybone ſive Aleppo expectat locuſtas conditas comeſtibiles, quales *Joannes Baptiſta* comederat in deſerto, idque cibi genus, credo adhuc deerat inquieto Europæ palato. Si quis Princeps ſuæ menſæ imponat, mox in deliciis erunt. *Ludolphus* mihi ſcribit, veniſſe ſibi in mentem petere locuſtas ex Oriente, quo faciliùs ſententiam tueatur, non coturnices ſed locuſtas fuiſſe, quibus paſti ſunt Iſraelitæ in Arabiæ deſertis.

Lutetia Pariſiorum Abbas *Nicaſius* Vir doctiſſimus mihi nuntiat, *Nazarium Ephemeridum* olim *Romanarum* Conditorem, nunc in eo eſſe, ut *Auzouti* Romæ, ut ſcis, ſuperiore anno extincti notas in *Vitruvium* & *Frontinum* edat poſthumas. Laudo conſilium quod tibi non poterit ignotum eſſe. Vellem cæteræ quoque Viri acutiſſimi ſchedæ ab interitu vindicarentur.

Plures amici Galli uno ore mihi aſſeverant, novum *Petronii ſupplementum* Belgradi a Gallo quodam Volone repertum, nunc Lugduni publicari. Initium eſſe: *Jam dudum.*

Toinardus me hortante ſuam *Evangeliorum Harmoniam*, tot annis preſſam, tandem nos ſperare jubet: Inerunt quædam ſingularia, & Autore digna. *Lactantius de mortibus Perſecutorum* mox prælo Batavo exibit, cum Variorum notis, quas inter non minimi pretii erunt *Toinardianæ*.

Nova vita magni Cardinalis *Ximenii*, quem *Richelius* ſibi tanquam exemplar propoſuerat, quod ſequeretur, in Gallia editur. Talem *Ximenium* hodie Hiſpania unius Regni jactura redimere deberet, ſi magni Viri in foro proſtarent.

In magna expectatione ſumus converſionis rerum: Angli, & Batavi ingentem victoriam mari partam canunt, ſed tutiſſimum erit Echo ex Gallia expectare, ut jam non ambiguos ignes accendamus. Apparet tamen retroceſſiſſe Gallos, atque junctis hoſtium viribus impares fuiſſe, quod neque *Eſtrieus*, neque Normannica claſſis *Tourvillio* ſe conjunxiſſent. Itaque credo conſilium faciendæ in Anglia exſcenſionis, nunc quidem depoſitum iri: ſed multa magnaque, ab exitu obſidionis Namurcenſis pendent. Si capitur urbs, ego Leodium mox, & tandem Coloniam in periculo fore arbitror. Sereniſſimus Princeps meus *Erneſtus Auguſtus* militum quinque millia de ſuo, Imperatori in Pannoniis militatura jam dimiſit. Nunc octo alia hominum millia, prope Hamelam in Viſurgis ripa poſitam conveniunt, quæ ſequenti ſeptimana recenſenda *Guilielmo* Magnæ Britanniæ Regi ſummittentur. Dux ipſe, Elector a Cæſare appellabitur.

Reverendiſſimus Abbas *de Monteacuto* Magni Ducis in Cæſarea Aula Miniſter, noſtro Miniſtro dedit ſchedam typis impreſſam, tanquam Sereniſſimi Domini ſui juſſu mihi deſtinatam, qua continetur: *Ænigma Geometricum de miro opificio Teſtudinis Quadrabilis Hemiſphæricæ, die 4. April. 1692. propoſitum a D. Pio Liſci Puſillo* (ſic ipſe de ſe Autor loquitur) *Geometra*. Res huc redit. Quæritur Templum Hemiſphæricum, quatuor æqualiter ſe ſe habentibus feneſtris ita perforatum, ut reſidua ſuperficies hemiſphærica ſit quadrabilis. Solutionem ejus, ait autor, a ſe oblatam Sereniſſimo *Ferdinando* Magno Principi Hetruriæ; & a ſe deſiderari, ut alii quoque interioris Analytices non expertes, in ea artem experiri velint. Itaque ſuſpicor Magni re verboque Principis veſtri juſſu factum eſſe, ut problema ad me perveniret. Accepi autem vigeſimo ſeptimo die Maii, ſecundùm veſtri Calendarii ſtylum; & ut intelligas, inacceſſum nihil eſſe, quod tantus Princeps aggredi jubet, ea ipſa die nodum ſolvi, idque infinitis modis, ex quibus tamen aliquot ſimpliciores expoſüi, & ſchemate, ac feſtinato ſchediaſmate complexus rem omnem, præfixa ad Magnum Principem Epiſtola, Viennam per primum curſorem ordinarium remiſi; nec dubito, quicquid id eſt, jam ad vos perveniſſe. Jucundum autem erit diſcere, an veſter ille Geometra certè non puſillus, in eandem mecum ſolutionem inciderit (ut ſuſpicari ex quibuſdam problematis verbis licet); An diverſum iter ſit ſecutus; quod fieri poteſt, quoniam Problema eſt ex numero indeterminatorum, quod ſolvere licet infinitis modis.

Quam-

Quamquam ego præter ſpecialem quandam conſtructionem, generalia præcepta aſcripſerim, quibus mihi videtur contineri quicquid in eo genere præſtari poſſit. Libenter enim paucis paginis complector, quæ Scribaci cuidam, & hoc unum agenti, juſti volumini materiam darent. Sed tanta eſt vitæ brevitas, tantaque multitudo eorum quæ reſtant, præſertim ad uſum vitæ, perfectionemque artium, ut in Geometricis Methodos potiùs generales, quàm ſpecialia exempla quæram; neque ego iſta fuiſſem aggreſſus, quamvis perelegantia, & dudum in poteſtate poſita, niſi major illa jubentis autoritas excitaſſet.

Ipſi Sereniſſimo Hetruriæ Principi, meo ſenſu, ſed tuis verbis ſignificantiſſimis, quæ ſtylo meo, fateor, æquari non poſſunt, devotionem a me perpetuam denuntia, ut intelligat quantam ab Heroicis ejus dotibus humano generi ſpondeam. Nondum diſcere poſſum, quod ad ipſum relatum fuiſſe ſcribis, novum aliquid in rebus Chemicis apud Suecos prodiiſſe. Primus Archiatrorum noſtrorum habet affines in Suecia, eſtque rerum Chemicarum ſcientiſſimus, & curioſiſſimus; ſed nihil tale ad ipſum pervenit. Eminet nunc inter eruditos Sueciæ *Olaus Rudbeckius Atlanticæ* autor, idem Medicus, Anatomicus, Mechanicus inſignis; in Chemicis aliquid dediſſe non puto. *Hiennius* Medicus, idemque rerum mineralium conſultus, poſſet aliquid fortaſsè in hoc genere: an ediderit diſcam. Italus quidam qui ſeſe appellabat *Franceſco Levante* ante annos aliquot in fodinis Sueciæ fuit, emendaturus eliquandi aëris rationem; ſed non bene convenit ipſi cum iis quorum intererat. Præterea eſt in Laboratorio noſtro Chemico juvenis Suecus, ſed nec ipſi quicquam de rebus Chemicis in Suecia promotis compertum eſt. Hæc ideo ſcribo, ut intelligas diligenter a me quæſitum eſſe, nihilque mihi fore optatius, quàm nuntiare aliquid poſſe, quod tantus Princeps libenter audiat. Expecto tamen adhuc quid amici conſulti ſint reſponſuri. Multum curæ tuæ debeo, & nimium eſt, quod tranſmittendi ad Venetos Faſciculi ſumtus tutè feciſti, itaque redhoſtiendi occaſionem mihi dari opto. Quod ſupereſt, vale, ac fave.

Dabam Hanoveræ 11. *Jun.* 1692.

EPISTOLA XVI.

MEas haud dubie dudum ritè acceperis, quibus paulo fuſiùs ſignificaveram, quæ Suecia ad me fuerint præſcripta de libro Chemico illic promiſſo, non edito, de quo ad Sereniſſimum Principem fuerat relatum.

Nunc ſignifico delatum tandem ad me eſſe *Martyrologium* Manuſcriptum, quod tuo beneficio, atque interventu Vir clariſſimus *Franciſcus Florentinus* Lucenſis ad nos remiſit. Quando nihil urgebat, monueram *Mendlinum* noſtrum, ut tutam tranſmittendi occaſionem expectaret, quod & fecit.

Accepi in eodem faſciculo alteram diſſertationem annariam *Bernardini Ramazzini* noſtri, egregii Viri, quam mihi, tanto honore me non dignanti, inſcripſit, nondum antea mihi viſam, ſed & integrum opus V. Cl. D. *Gulielmini* inſignis Mathematici ex munere, te parario additum, nunc cum aliquot *Epiſtolarum Hydroſtaticarum* ejuſdem, tibi, mihique inſcriptarum exemplis, ibidem inveni; atque ita velut cumulo in unum congeſto tuorum beneficiorum, & liberalitatis amicorum, obrutum me ſenſi. *Guilielmino* gratias egi dudum. *Epiſtolæ* ejus *Hydroſtaticæ* in *Acta* ſunt relatæ, eo quod merentur elogio: videbimus quid reſponſurus ſit *Papinus* cui exemplum miſi dudum.

Ezech. Spanhemius ſententiam ſuam de controverſia inter *Noriſium*, & *Harduinum* clariſſimos Viros ad me perſcripſit, neutiique ſe accedere poſſe ait. Et verò ſæpe difficile eſt, ne dicam impoſſibile ſolvere ænigmata in nummis veterum latentia; quando perſæpè ne illa quidem intelligimus, quæ ante paucos annos ſunt cuſa.

Sereniſſimus Elector Brandeburgicus hodie apud nos expectatur, de Republica cum Socero conſilia capturus. Galli incipiunt de induciis ſermones jacere: ſatis enim intelligunt præſentem animorum conjunctionem non facilè Fœderatis redituram. Sed ubi ſemel Imperator cum Turcis pacem fecerit, difficiliùs audiet Gallicas conditiones. Nam animus Cæſaris ſemper in eo fuit, ut Turcas quàm longiſſimè a noſtris finibus removeret, quam ſpem nondum depoſuit, modò liceat per Gallos. Itaque ſi *Guilielmo* Regi quieta Angliæ poſſeſſio relinquatur, aliaque ad Rhenum, & in Belgio redintegrentur, putem inducias poſſe iniri. An verò ea mens ſit Gallis, ut ſeriò velint agere, quæ huic fini oportet, nondum ſatis conſtat.

Cl. *Pufendorfius* hiſtoriam *Friderici Wilhelmi* Electoris Brandeb. mox prælo committet.

Du Croſius Gallus ſcripſit contra *Templii* Angli olim Legati *Commentarios rerum ab anno 1672. ad 1679. geſtarum.* Monſtravit mihi MS. nunc editum miſit.

Incluſas peto curari. Vale, Vir Illuſtriſſime, ac fave.

Dabam Hanoveræ 29. Septemb. 1692.

EPISTOLA XVII.

INſolitis modis diſtracto mihi, pene omni Commercio Literario fuit aliquandiu interdictum. Nunc reſpiranti, nihil fuit ad te ſcribendi cura antiquius. Accepi literas tuas rectà tranſmiſſas tum & alias ad me delatas opera R. Patris *Papebrochii* inſignis Viri. Sed eæ quibus de ſuſcepto mihi opere, id eſt, *Diplomatico Juris Gentium Codice* dixiſſe te ſcribis fuſiùs, malo fato meo ad me non pervenere. Accepi *Diploma Canzelmianum*, & gratias ago. Sed & tibi, & per te, eximiæ doctrinæ Viro, & rerum Flo-

Florentinarum peritiſſimo *Benvenuto* (r) obſtrictum me profiteor, quod etiam ex veſtri Archivii theſauris adjuvare voluiſtis, tametſi per objectas difficultates, res intra voluntatem ſteterit. Nec tamen in poſterum deſpero. Certè in Aula Regia Sueciæ, tum apud Sereniſſimum Brandeburgicum Electorem, & in aliis Aulis auxilia humaniſſimè ſunt oblata; Sapientibus Adminiſtris indicantibus multa latere in chartis, quæ edi ad Dominorum decus pertinet. Cæterùm ego expertus ſum, plus ſæpe virum doctum, utcumque privatum, poſſe dare præclari, quàm Archivium integrum, idque ſi ab ullo expectari, certè a te poteſt. Itaque etiam rogo, ut Indices Diplomatum majorum ad Rempublicam pertinentium editorum, inedirorumve, qui tibi fortè occurrent, rerum præſertim ſuperioris, noſtrique ſeculi, ſumminiſtres; additis Autorum locis unde peti poſſint, ſi quidem edita habentur. Ita mihi ſeligere ad rem futura, integrum erit. Primum Volumen *Codicis Juris Gentium Diplomatici* complura complexum Monumenta rerum inſignium a ſeculi duodecimi initio, ad initium uſque ſeculi ſuperioris prodiit; daboque operam, ut ad te exemplum deferatur: præter juſtum volumen *Supplementorum*, ſi vitam, vireſque dederit Deus.

Gratias debeo pro egregiis notitiis literariis, & ut in poſterum quoque me hoc beneficio bees, ac ne illa quidem prætereas peto, quæ extra Italiam amici tibi nuntiant. Quæ peculiari ſcheda ſcripſiſti, ſubducta omnium oculis ſcitè ut juſſiſti.

A *Mutinenſi Diario* egregia expecto, quando tot præclari Viri conſpirant: *Rondellum*, & alios quoſdam ignoraveram. *Cevæ* Mediolanenſis V. Cl. quædam Geometrica olim inſpecta, viſa ſunt egregia.

Leonardi Capuani Opinionum librum Romæ prohibitum miror. Quid enim commune huic libro cum rebus ſacris, vellem prodire, quæ molitur *de Febribus*.

Pro quadraginta Tomis aſſerendæ Pontificiæ auctoritati edendis, ſub quibus gement foruli Bibliothecarum, præſtaret ex omnibus dari ſelecta: Alioqui dicetur editoribus: *quis leget hæc?* ſecus ſe res habet cum *Actis Sanctorum*, quia in illis eduntur antiqua Monumenta.

Arnaldi, & aliorum ejus partis ſparſa opuſcula, aliquot voluminibus in Batavis edi debere aiunt.

Bernardus mihi Oxonio ſcripſit, jam per Typographos ſolos ſtare, quominus edatur *Joſephus*.

Thomas Smithius Miſcellaneis, & *contra Simonium* ſcriptis clarus ſignificavit mihi, ſe quoque in *Burneti* Epiſcopi Salisburienſis *Hiſtoriam Reformationis Anglicanæ* ſtylum acuiſſe, ſed præventum fuiſſe a *Wharrono*, cujus *ſupplementa* ad *Cavei Scriptores Eccleſiaſticos*, & edita *Monumenta*, tibi non ignota ſunt. Interea mihi videtur, quæ in *Burneto* reprehendunt, non eſſe magni momenti.

Gran-

(r) *Bernardus Benvenutus* Flor. Vir pererudius.

Grandius ex Gallia alius, anteriorque *Burnetiani* operis Antagoniſta, cœpto intermiſit itinere ad Luſitanos ſuſcepto.

Leantium Jeſuitam audio veniſſe ex Sinarum regno, & complura rara attuliſſe Pariſienſibus: inter alia ſtirpium delineationes, & Geographicam Regni Tabulam, quæ nunc editioni parantur. Pro Card. *Laurea*, *Caſanatam* ſuffectum intelligo in Præfectura Vaticanæ, doctum docto. *Caſanatam* elegantioris doctrinæ conſtat, cum *Laurea* in ſcrupuloſioribus illis ſtudium maximè collocaret. Ipſius *Caſanatæ* Bibliothecæ præerat vir doctiſſimus, qui idem erat ſecundus Vaticanæ cuſtos cùm ego Romæ verſarer.

A *Noriſio* multa adhuc præclara expectamus, modo ipſi vacet per negotia quibus Romæ obrui audio; & ipſe queritur in literis ad amicos.

Nihil-ne compertum de *Grimaldi*, & cæterorum ex Societate adventu ad Sinas? Si quid intelliges, fac quæſo, ut ſciam. Aiunt variaſſe ſententias in magno Capitulo Generali Patrum Societatis Jeſu. Ipſum Generalem Probabiliſtis non favere. Tibi iſta propius ſcire licet: & nos talium curioſi ſumus.

Novellæ publicæ dixere *Ciampinum* ad portum Civitatis veteris, quem Papæ florentem reddere conſilium eſt, collegium quoddam fundare decreviſſe. An is, quem ſuſpicor, noſter eſt *Ciampinus* literariis operibus clarus?

Sereniſſimo Principi Hetruriæ, & fratri ejus inclyto Principi me, rogo, ut data occaſione commendes. Fac etiam ut ſciam quomodo exceptum fuerit deſiderium meum de Diplomatibus impetrandis. Tametſi enim facilè judicem, interdum Principibus iſta premenda videri; malè tamen mecum ageretur, ſi quæ optimo animo a me ſunt poſtulata, aliter acciperetur. Neque enim ego communicari mihi velim, niſi quæ pertinent ad communicantium decus. Inveſtitura Senenſis, ubi edita extet, ſcire pervelim, niſi aliter videtur; denique multum mihi ex theſauris tuis promitto. Indicem vidi eorum quæ promiſerat dare *Neſſelius* in ſuo *Corpore Tractatuum Politico*. Ego nihil inde in mea tranſtuli, ne quid ipſi præriperem. Ille ſolùm *Tractatus Pacis*, & *Fœderum* ſibi propoſitos habuit. Ego etiam *Teſtamenta*, & *Erectiones Dignitatum*, & *Solemnia*, & *Inveſtituras*, & *Leges Fundamentales*, & *Concordata Nationum*, & *Privilegia majora*, &c. Sed ex his omnibus nonniſi ſelecta. Opus quoque in Gallia editum ad me pervenit. Miratus ſum ipſe, mirati ſunt ipſi habuiſſe me de Gallia, quæ ipſos fugere. Autor Diarii Eruditorum Pariſini honorifice admodum de opere meo judicavit, idque ipſum eſt profeſſus de opere ipſorum quod dixi. Quædam etiam miſſa ſunt ad me, quæ inferere ſuo inconſultum putavit *Leonardus*. Vale. Dabam Hanoveræ 29. Decembris 1693.

Opus meum tibi afferet *Marcus Deſlerus* Friſius, Vir egregius doctrina, & meritis, Secretarius olim Cancellarii Regni Sueciæ, poſtea Conſiliarius aliorum Magnatum, cui pro ſueta humanitate tua favebis.

Ami-

Amicus mihi Pariſiis ſcribit *Herbelotium* (s) cùm eſſet Florentiæ, Manuſcriptum Arabicum vertiſſe, in quo deſcribitur Iter Autoris a Sumarkanda ad Sinas: Linguam ab Arabico in Tartaricum declinare: Verſionem vobis reliquiſſe. Extabit opinor cum originali in Bibliotheca Magni Ducis; itaque rogo, ut quidnam id rei ſit, ſignificare per occaſionem velis.

EPISTOLA XVIII.

Literas tuas gratiſſimas cùm accepiſſem, expectavi hactenus prolixiuſculas illas, ad quas ſe referebant, ſed fruſtra. Nam neſcio quo fato cum cæteræ ad manus meas venerint, hæ intercidere. Et tamen inde reſponſum ſperabam ad meas, quibus a te petieram, ut mihi in aula veſtra faveres ad impetranda monumenta quædam edi digna, & ad decus Sereniſſimæ Gentis *Mediceæ* pertinentia. Id deſiderium meum quomodo exceptum fuerit, miror me nondum intelligere potuiſſe. Itaque obnixe rogo, ut ſignifices, quid mihi ſperare ſit permiſſum; nunc enim res in eo eſt, ut de ſuperioris ſeculi monumentis ordinandis cogitem, poſt anteriora abſoluta. Celeberrimi *Neſſelii* inſtitutum a meo diverſum eſt, ut vel ex *Actis Eruditorum* intellexeris. Ille *Tractatibus* alligatur, ego omnigenos *Actus publicos* admitto. Contrà ille omnes *Tractatus*, aut certè potiſſimos dabit; ego *Acta* legitima nonniſi ſelecta, & magnam partem nondum edita. Itaque nihil eorum hactenus attigi, quæ ille in ſuo Indice edendorum edito commemoravit.

Gerardus Meierus V. Cl. apud Bremenſes Theologus, olim tibi notus coram, juſſit, ut tibi ſalutem nomine ſuo nuntiem, quod & facio. Doctrina ejus, & virtus apud omnes in pretio habentur.

Videris quæ inter *Harduinum*, & *Valentem* Viros doctiſſimos acta ſunt, quibus audio nunc & *Toinardum* noſtrum inſignem Virum implicari. *Spanhemius* qui in his ſtudiis, de quibus illi certant, meritò regnare cenſetur, ad me ſententiam ſuam de nonnullis perſcripſit; & licèt *Harduini* ingenium magni faciat, putat tamen magis feſtinare in ſententia dicenda, quàm par ſit: certè in Nummo Cæſareo interpretando multis modis eſſe lapſum. Nec tamen *Vaillantio* aſſentitur, qui M. interpretatur μιγάλη, ſed mavult μητρόπολιν deſignari. Etſi alii Nummi non extent, qui Cæſarum illam jam tum Metropolim fuiſſe indicent. Quid *Noriſius* ea de re ſentiat per *Nicaſium* intelligemus.

(s) *Bartholomæus Herbelotius* Gallus qui A. *1666.* Florentiæ conſedit & Catalogum conſcripſit Codicum MSS. Orientalium Bibliothecæ Mediceo-Palatinæ. Hujus Exemplum aſſervatur in hac Bibl. ita inſcriptum: *Regiſtro de' Libri Orientali del Sereniſſ. Granduca, con una ſuccinta eſplicazione del contenuto dei medeſimi fatta dal Sig. Bartolommeo d'Herbelot Franceſe, in Firenze l'anno 1666.* Catalogum hunc *Magliabechius* cum *Schelhornio* communicavit, qui edidit inter ſuas *Amœnitates Literarias*, ſed deceptus eſt, dum *Magliabechium* auctorem non *Herbelotium* credidit.

Veſtri Florentini *Noriſius*, & *Segnerius* id honoris Romæ ſunt conſecuti, ut in cauſa graviſſima, quæ inter Romam, & Galliam agitabatur, in conſilium ſint adhibiti... Audio tamen Gallos de *Noriſio* queri, neſcio an jure. *Segnerium* aiunt inventorem fuiſſe formulæ, quam Epiſcopi Gallicani ſignare debebant: ubi tamen hæretur inter *ſi quid*, & *quicquid*: Gallis *ſi quid* actum ſit contra jura Eccleſiæ, improbare paratis; Roma verò poſtulante, ut *quicquid* tale actum eſt rejiciatur, quod eſſet fateri tale quid actum eſſe. Non noſtrum inter vos tantas componere lites. An veri ſint hi rumores, intelligam, ſi non refutaveris. Magnæ ſimul lites inter Theologos Confeſſionis Auguſtanæ: ſunt quidam qui a cæteris *Pietiſtarum* nomine inſamantur, quaſi pietatis attentiùs colendæ ſpecie, factiones, novitates, enthuſiaſmos, & neſcio quæ alia errorum monſtra alant: longa eſt hiſtoria, longæ ambages. Auxere lites controverſiæ intercurrentes de Chiliaſmo, (quem nonnulli tuentur) & de Prophetiis novis, quas exemplo *Brigittæ*, *Hildegardis*, & ſimilium, non contemnendas quidam judicant: præſertim cùm nobilis quædam Puella hoc dono prædita a ſuis quibuſdam amicis credatur. In Gallia certant Philoſophi de *Virgula Divinatoria* ruſtici cujusdam ex Lugdunenſi tractu, (ubi mira in indagandis homicidiis, & furtis præſtitiſſe dicebatur) Lutetiam evocati. Multi fidem adhibuere, etiam ex Carteſianorum gente, & cauſſas in ſuis effluviis quæſivere: Sed tandem fraus detecta eſt. Ego ſtatim ſcripſeram, mihi rem inanem videri. Vir quidam doctus libellum in Gallia edidit de hoc argumento, ubi ſaltem illud pro indubitato ponit, Virgulæ ope venas metallicas poſſe indagari. Et fateor pleroſque Autores errorem hunc popularem, vel approbaſſe, vel diſſimulando foviſſe. Sed errorem eſſe, compertum eſt, vel in noſtris Hercyniæ fodinis, ubi divinatori hujuſmodi ῥαβδοφόρῳ obligatis oculis fruſtra quæſita eſt vena, quam ipſe priùs virgula ſua indicarat; fruſtra, inquam, quæſita eſt, tametſi rurſus ad eam aliquoties adduceretur, quieſcente virgula cùm maximè tempus eſſet exercendi motus. Reſponſionem ad dubitationem doctiſſimi *Sturmii* a Celeberrimo *Gulielmino* indicatam, nec mihi antea cognitam, curabo inſeri *Actis Eruditorum*, ut ad omnes perveniat, quemadmodum ipſa objectio publicè extat. Nititur duabus hypotheſibus, quas ambas inſtantiis refuto. Noſſe velim, an D. *Ceva* cum D. *Gulielmino* conſentiat de *Motu Aquarum*.

EPISTOLA XIX.

BReviculas tuas, ſed vel ideo quòd de valetudine tua me certiorem facerent gratiſſimas, D. *Menckenius* noſter ad me tranſmiſit. At ego meas haud paulo prolixiores verbis, ſed vereor ne rerum vacuas, ante menſes complures redditas ſpero: ſed multo me plus ex pauculis tuis lineis diſcere agnoſco, quàm multæ a me paginæ reddant.

Solutio mea *Ænigmatis Architectonico-Geometrici* nihil novi habet, mirorque

rorque nunc primùm ad te perveniſſe ; cùm biennio abhinc ad vos ſit tranſmiſſa, ipſique Sereniſſimo Principi Hetruriæ reddita, prorsùs qualem editam, atque *Actis Eruditorum* inſertam vidiſti : Scilicet totum hoc verbo tenus extat in *Actis Lipſienſibus*, niſi quod in ſcripto ad Sereniſſimum Principem acceſſit, quæ *Actis* commodè inferi non poterat.

Nihilne ſperare ad *Codicem* meum *Diplomaticum* a veſtris licet ? aut potiùs nihilne a te, qui unus plus ſuppeditare potes, quàm integra archiva poſſint ? Suffecerit indicari nonnulla rariora hujus generis, etſi in libris editis extantia. Et ſcito Italica pleraque ſatis in his oris eſſe rara, etiamſi ſint typis edita. Ipſius *Codicis* partem primam jam editam mox meo nomine accipies. Tria a me exemplaria habebis ; unum compactum Bibliothecæ Magni Ducis deſtino, & cum profundæ devotionis ſignificatione a me afferri peto, dabitque fortè ea res occaſionem commendandi inſtitutum meum, ut veſtri ſymbolam conferam, neque enim a me, niſi ea commodantibus viſa publicari digna, deſiderantur. Alterum exemplum, ſolutum ſcilicet, tibi deſtinatur ; tertium itidem ſolutum, Ill. *Campino*, ut per occaſionem meo nomine tranſmitti cures, peto. Soluta hæc duo relicta ſunt, ne nimis onerarent ad vos ferentem.

Joh. Craigius Scotus Londini librum *de Dimenſionibus Figurarum* edidit, in quo candidè profitetur calculum a me inventum facem ſibi præluxiſſe.

Vellem noſſe quid Doctiſſ. Vir *Dominicus Gulielminus* de reſponſione mea ad objectionem *Sturmianam*, a te olim *Gulielmini* nomine mihi communicatam, dixerit ; & num ipſi ſit ſatisfactum. *Papinum* aliquoties per amicum hortatus ſum, ut ad *Gulielminianam reſponſionem* nobis replicationem ſuam daret. Hanc ergo nuper manuſcriptam mihi communicari juſſit, ſed mox opinor edendam, directam ad *Chriſtianum Hugenium* ſummæ celebritatis Virum. Ubi impreſſam aliquando accepero, dabo operam, ut maturè ad vos perveniat.

Non dubito quin dudum ad te pervenerit *Petronius* cujuſdam *Nodotii*, qui ſe ſuppleſſe jactat hiatus. Ego verò pro certo habeo ſuppoſititia eſſe, quæ ille nobis venditat, & a genuino *Petronio* prorſus abhorrentia.

Andreas Morellius inter primos noſtri temporis Antiquarios habendus, & in Rei Numiſmaticæ antiquæ cognitione in primis eminens, circa quam maximum opus molitur, penè omnes veteres Nummos multis figurarum ære expreſſarum millibus exhibiturum, tandem ex Gallico carcere dimiſſus, in Germaniam cum omni apparatu ſe recipit, ſtrenueque in inſtituto pergit.

Ezech. Spanhemius, Vir in hoc ſtudiorum genere ſummus, nunc in edendis *Juliani Cæſaris Operibus* apud Lipſienſes, *Hymniſque Callimachi* apud Batavos eſt occupatus, ut ipſe mihi ſignificat. *Juliano* accedent quæ *Cyrillus Alexandrinus Juliani* argumentis reſpondit. Sed hæc, aliaque multo plura aliunde tibi innotuiſſe non dubito.

Jac. Gronovium, Virum tam doctum, quàm pugnacem, aliquid in celeberrimi *Cuperi Harpocratem* editurum aiunt.

Proximis meis rogaveram de manuſcripto quodam Orientali lingua Perſica ſcripto, Itineraria Mahumetani cujuſdam hominis ad Cataiam, ſeu Sinas complexo, apud vos extante, quod *Herbelotius* Vir maximi in ſtudiis iſtis nominis, cùm Florentiæ eſſet, verterat; verſionem quoque in Bibliotheca, credo, Sereniſſimi Magni Ducis reliquerat. Petieramque ut mihi ſcribere digneris, an quid tibi ea de re compertum, & an apud vos illa extet verſio, unà cum originali; idem nunc repeto.

Witſeniana Tartariæ Orientalis Tabula ſanè egregia, 20. annorum opus, nuper ad nos pervenit. Sed hoc tibi ſcribere eſt *Noctuas Athenas*. Vale, Vir egregie, & me ama.

Dabam Hanoveræ 12.--22. *April.* 1694.

EPISTOLA XX.

MUltum tibi debeo, quòd ſubinde Reipublicæ Literariæ nova nuntiando, & voluptatem mihi, & fructum præſtas: pro quo utinam paria ex his oris reddere poſſem!

Joh. Georgius Grævius Vir eruditiſſimus Typographum in Batavis hortatus eſt, ut ſelecta quædam *Germanorum Opuſcula*, exemplo *Miſcellaneorum Italicorum* edat. Primus tomus erit rerum Criticarum; & continebuntur eo *Joachimi Camerarii ἱππικομικὸς, ſeu de Re Equeſtri. Reineſii de Lingua Punica: ἐξορύμενα de Deo Endovellico. Apologia ejus pro defenſione variarum lectionum. Duæ ad Grævium Epiſtolæ. Schefferi de varietate Navium: de novis Tabulis. Senfletius de Alea: de variis navibus. Mathiæ Schikenau Epiſtola Critica ad Th. Franzium. Andreas Rivinus de Majuma. Ejuſdem de Salatia, & Malacia. Auguſti Buchneri in Venantii hymnum de Paſchate: Et in Prudentii hymnum de Natali Chriſti. Capiferrei in Ovidii Metamorph. Chriſtian. Daumius de cauſſis amiſſarum radicum Linguæ Latinæ. Chriſtoph. Coleri parerga. Marq. Freheri parerga. Ejuſd. duæ diſſertationes de duabus antiquis Gemmis. Ejuſd. Numiſmatis argentei Conſtantinop. explicatio. Martini Opitii Variæ Lectiones. Steph. Pighii Mythologia de 4. anni partibus. Joh. Strauchii tres diſſertationes in Tacitum de Germania. Chriſt. Fr. Franckeſteri de Ærario.* Sequentur talium tomi plures. Itaque cùm te nihil penè etiam alienigenæ eruditionis fugiat, fortaſsè poteris nobis indicare fugientia quædam Germanorum opuſcula, quæ nobis ipſis non ſuccurrerunt.

Quando ſpes decollaſſe videtur obtinendi aliquid ex Tabulariis veſtris, ſaltem illam non depoſui nanciſcendi aliqua ex privata penu tua, quæ *Codicem* meum *Diplomaticum* ornent, augeantque. Scis qualia deſiderem. Nam Diplomata, quæ ad privatorum tantùm res pertinent, ſimpliceſque fundationes Eccleſiarum, non ſunt mei inſtituti. Si quid mihi paras beneficio

ficio Illuſtriſſimi Comitis *Balati* veſtratis, qui poſt breve iter in patriam ad nos maturè redire cogitat, ritè obtinuero.

Olearius quidam juvenis doctus nuper libellum edidit *de Nummis Bracteatis*, qui paſſim in Germania eruuntur, & prodeſſe poſſunt ad illuſtrandam Hiſtoriam poſteriorem.

Elias Brennius Suecus dedit librum *Hiſtoriæ Numiſmaticæ Suecicæ*, in quo complura notatu digna. Vellem omnes Nummos Reginæ *Chriſtinæ* inſeruiſſet, etiam quos illa abdicato Regno cudi juſſit; ſed illos deſtinato conſilio omiſſos video.

Andreas Morellus Helvetius, qui præclariſſimum conſilium ſuſcepit omnes veteres Nummos, qui reperiri poſſunt, ære exprimendi, & ultra viginti quinque millia Ectyporum jam habet, tandem Gallia dimiſſus, ubi Religionis cauſa detinebatur, ad Celſiſſimum Comitem *Schwarzburgium* ſedem tranſtulit, qui talium curioſiſſimus, undique raros Nummos conquirit. Ipſe D. Comes mihi nuper Brunſvigæ dixit, eſſe ſibi aliquod commercium cum eo, qui Magni Ducis Gazophylacium aliquorum Nummorum curat: *Noriſii* opinor ſucceſſor. Si tu, atque alii adhuc in Italia ſuppeditari poſſunt, qui velint, poſſintque aliqua haberi digna ſuppeditare, ſive ex antiquis, ſive etiam ex recentioribus, nos obſtrinxeris.

Spero tria, quæ miſi, exempla *Codicis* mei *Diplomatici* tibi reddita. Nam Pictor Italus qui ſecum Venetias tulerat, mihi redux affirmavit apud D. *Tegliam* Agentem Magni Ducis a ſe curatas.

Fluxionem illam moleſtam, de qua nuper querebaris, diſſipatam ſpero, & firmam valetudinem tibi ac longam opto.

Ex *Actis Eruditorum* nuper fortè volutatis intellexi Epigrammatium quoddam meum ad te, ultimæ parti *Bibliothecæ Fugientis* V. Cl. *Joh. Cinelli* inſertum, neſcio an eo honore dignum. Ego vellem omnes partes hujus *Bibliothecæ Cinellianæ*, fruſtra a me apud Bibliopolas quæſitas nanciſci poſſe.

Poſthumum *Peliſſonii* librum miſit mihi D. Abbas *Ferrerius* defuncti cognatus.

Noſſe velim, an ſpes ſit *Controverſiam* illam *Probabiliſtiam* compoſitum iri.

Gaudeo D. Cardinalem *Aguirram* reſtitutum; ita ſpero ingens opus *Conciliorum Hiſpaniæ* ad finem perductum iri.

R. P. *Fardella* mihi ſignificavit ſe ſe accepiſſe Lecturam Patavinam, quam habuerat *Montanarius*; ſed ex eo tempore nihil ab eo intellexi. Rogo ut eum data occaſione a me ſalutes, horteriſque ut præclaro ſtudio decurrere pergat, ſuaque conſilia me quoque ſubinde diſcere patiatur.

Si D. *Andreini* (quem data occaſione ſalutari peto) fortè ſuppeditare poſſet Nummos, aliaque id genus pro D. Comite *Schwarzburgico*, velletque indiculum ſuppeditare, addito etiam pretio, multum ejus benignitati deberemus. Vale, & fave.

Dabam Hanoveræ 8. *Auguſti* 1694.

EPISTOLA XXI.

NOn mediocriter turbavit me adversa valetudo tua; quantum enim in te situm sit omnibus literas amantibus, nemo nescit. Itaque quod restitutum te intelligimus, scito non mediocri nobis gaudio fuisse.

Hinckelmanni Pastoris Hamburgensis *Alcoranum* nunc primum Arabicè editum, puto ad vos perveniisse: erudita in primis præfatio est; sed non ideo minus *Marracci* laborem expectamus.

Miror nondum prodire posthuma *Auzati* nostri, quæ *Nazarium* edere velle acceperam.

Cevæ quæ memoras nova Mathematica nondum habeo; videtur ingenio, & acumine non destitui; sed an jure *Galilæum* reprehendat, constituere non audeo.

Diaria Erudita spero adhuc procedere: nosse gratum erit, quis Parmæ, & Ferrariæ hoc curet.

Cardinalem *Laurean* non aliud quàm Indices reliquisse miror.

R. P. *Vannum* puto receptæ doctrinæ nunc acquiescere.

Quid *Bacchinus*, *Guilielminus*, egregii apud vos Viri, agunt? Cl. *Papinus* non ita pridem scripsit mihi tandem responsum ad *Guilielmiana*, sed manuscriptum, nec nisi jubente se ultrà communicandum. In eo *Hugenio* arbitrium controversiæ defert, *Guilielmini* exemplo, qui me, licèt imparem, controversiam inspicere voluerat. Quid *Hugenius* responderit, non satis habeo exploratum.

Valde ago gratias de Senensi carta, quam nunc remitto, & ejus generis a te plura per occasionem spero, nam tu certè, si quis alius, omnium rerum præclararum promus condus es. Sed & gratias ago, quod mei libri exemplum ad eximium Virum *Joh. Ciampinum* curasti. D. Abbas *Guisius* vestras nuper salutem a te nuntiavit mihi per fratrem, addito non ingrato nuntio, in eo esse te, ut immensos Bibliothecæ tuæ thesauros digeras. Utinam in hoc labore versanti, adessem, quàm multa per occasionem a te discerem! In Bibliotheca tua vulgatum illud carmen non injuria occineret:

Omnia jam novi, Vates; mihi dic tamen unum,
Num sim Musa tibi, tu vel Apollo mihi?

Magis magisque increbescit rumor de *Norisio* ad supremum illud, si a Papa abeas, Ecclesiæ fastigium attollendo. Gratulabor magis Reipublicæ Literariæ quàm ipsi; quum puto dignitas illa, etsi parem, & idoneum, distrahet multum: Literis gratulor, quod iterum in Purpura patronum habebunt.

Segnerii gratiam aiunt nonnihil refrixisse, quod Papam concitare voluerit in Præpositum Generalem. Sed hæc vobis exploratiora.

Grævius nuper excellentissimæ doctrinæ, Germanorum selecta in literis elegan-

elegantioribus opuſcula nonnulla uno volumine edi curabit. Fortè te judice ſuppeditari poſſent de noſtris, quæ nobis, & ipſi *Grævio* non ſuccurrunt. Vale, Vir egregie, & fave.

Hanoveræ 20.--30. *Decembr.* 1694.

EPISTOLA XXII.

GRatiſſimè mihi tuæ fuere, ſemperque jucundum erit intelligere, florere te, & valere, & mei meminiſſe. Rectè facere mihi videris, vel valetudinis cauſa, quod ſcribendi ardorem nonnihil moderaris: & licèt non parum nobis a re decedere intelligam, ita tamen animatus ſum, ut nolim ex amicis fructum percipere, qui ipſorum cum damno ſit conjunctus. Libenter intellexi rediiſſe ad te Senenſe inſtrumentum. Puto quaſdam tuas ad me non perveniſſe, nam refers te ad aliqua, quæ non ſatis intelligo.

D. *Burnetus* Anglus Epiſcopi Salisburienſis cognatus aliquandiu apud nos egit: is multa de humanitate tua, & doctrina memorabat.

Puto jam tibi innotuiſſe *Bibliorum Criticorum* editionem auctiorem moliri Batavos, eamque in rem ſcheda impreſſa, conditiones obtuliſſe his qui iis uti volent, exemplo Anglorum, qui in magnis operibus edendis ea methodo non malè utuntur.

Andreas Morellus Vir egregius ſede apud Celſiſſimum S. R. Imperii Comitem *Schwarzburgicum* fixa, id agit, ut ingens opus antiquorum Numiſmatum editioni paret. Specimen olim Pariſiis editum, nunc recuditur Lipſiæ cum literis celeberrimi Viri *Ezech. Spanhemii*, ut ipſe mihi nuper Berolino ſignificavit. Ipſius operis tomum primum, quamprimum fieri poterit proditurum puto. Nec in eo genere quicquam hactenus viſum eſt, quod huic inſtituto comparari poſſit. Scientiam Numiſmaticam a P. *Jouberto* Gallo doctè, & lucidè brevi bello tractatam, ab eodem *Morello* recuſam auctiorem, atque illuſtratam habebimus.

D. Abbatem *Fardellam* florere Patavii, ubi nunc Profeſſorem agit, lætus, lubenſque intelligo, & pro tranſmiſſa ejus ſcheda eruditarum lectionum indice gratias ago.

D. Marchio *Hoſpitalius* mihi ſcripſit Pariſiis, ſe ſe proprio libello illuſtraturum, & promoturum eſſe *Calculum* novum a me productum, quem *Differentialem* appellare ſoleo: ſed nolo te tenere diutius. Vale, Vir doctiſſime, & ſalve.

Hanoveræ 14.--24. *Martii* 1695.

EPI-

EPISTOLA XXIII.

PRo munere R. P. *Cevæ*, & tibi, & illi multas gratias debeo: elegans eſt conſtructio illa, quam adhibet ad anguli ſectionem in partes æquales, nec dubito quin eamdem ad varias æquationes applicare poſſit, etiam a ſectione anguli independentes.

D. *Bernardus Mewentyt* Mathematicus Batavus miſit mihi duos tractatus ſuos, quorum unus *Conſiderationem circa Calculum Differentialem* (a me primùm in lucem productum); alter *Analyſin* continet *Curvilineorum ex conſideratione Polygonorum*. Utrobique de me multis locis honeſtiſſimè loquitur. Dubia tamen non nulla circa quædam mea, & aliorum mea methodo utentium inventa proponit, quæ ſolvi petit. In quo ei ſatisfacere ſpero.

D. *Thomas Burnetus*, qui tuo favore Florentiæ uſus fuerat, mihi nuper ex Batavis ſcripſit. In primis laudat præclara ſtudia *Joannis Clerici*, qui olim in *Bibliotheca Univerſali* laboraverat, & nunc *Scripturæ Sacræ* illuſtrandæ ſtudium impendit. *Geneſis* jam prodiit, ut noſti; reliqua in *Pentateuchum* mox exibunt. Ejuſdem *Phyſicam* in eo eſſe, ut prælo committatur. *Lockium* Anglum edito libro ingenioſo de *Humano Intellectu* notum, nunc præclarum librum de *Juventutis Educatione* ſcripſiſſe, cujus jam verſio in Batavis ſub prælo laboret, quemadmodum & ea verſa proſtent, quæ Epiſcopus Salisburienſis in Reginæ *Mariæ* mortem dedit.

Thomæ Smithi denuo prodiit liber *de ſeptem Eccleſiis Aſiæ* multo auctior.

Nicolaus Witſen Conſul Amſtelodamenſis de *Deſcriptione nova Tartariæ* edenda cogitat.

Vincentius Placcius amicus noſter communis nuper ſuas *Acceſſiones ad Ethicam*, & *Jus Naturæ* edidit, mihique tranſmiſit, in quibus multa præclara meditata reperio.

Petrei liber ante multos annos ſcriptus, de *Antiquitatibus Gothorum*, & *Cimbrorum*, & *Gothlandicis quibuſdam Chronicis vetuſtis*, nuper prodiit in Germania.

Spanhemianam editionem operum *Juliani Apoſtatæ* mox proditurum puto, quemadmodum & *Pufendorfii Vitam Friderici Willelmi Electoris Brandeburgici*.

D. *Tenzelio* ſignificavi aliquid de iis quæ D. *Henckelius* ad te perſcripſerat. Vale, & fave.

Dabam Hanoveræ 14.--24. *Jun.* 1695.

P. S. Ante paucos dies hac tranſiit D. Baro *Walter* vetus utrique noſtrûm amicus, & qui noviſſimè cum Primogenito Regis Daniæ Filio ad vos inviſit. Is nunc novum rurſus iter molitur, delicias ſcilicet ſuas, & Marchionis Brandeburgici *Beruthini* Filium ducet. Itaque non dubito, quin primo quoque tempore ad vos ſit rediturus.

Cùm

Cùm Illuſtriſſimus Comes *Magalotti* crebrò commutet literas cum D. Comite *Balato*, nullâ poſſumus uti viâ rectiore, promptioreque pro literario inter nos commercio. Nam Ill. Comes *Balatus* mihi a multis annis amicus, libenter literas a me accipit, & ad me curabit, idemque a D. Comite *Magalotto* imperabit. Itaque quæ in poſterum ad me dabis, rogo ut Illuſtriſſimo Comiti *Magalotto* mittas, ad D. C. *Balatum* curanda.

EPISTOLA XXIV.

QUemadmodum mihi non facilè ex Italia nuntius venire poterat gratior eo, qui reſtitutam tibi valetudinem nuntiaverat; ita lætus, lubensque legi, quæ noſtri pariter & veſtri gratulati cecinere, quibus mea vota addo.

Angelini veſtri Hiſtoriam Muſicam non contemnendam eſſe ex titulo judico. Apud vos D. Abbas *Stephanus*, qui Muſicæ Electoris Brunſvicenſis præeſt, nuper *della certezza della Muſica* libellum edidit, ut ſcientiam eſſe contra quoſdam rerum ignavos oſtenderet.

A *Caſſino* nihil venire poteſt, quod non ſit præclarum, cujus veſtigia & *Guilielminus* publicè tenet. Huic tandem aliquando reſpondit D. *Papinus* in libello edito, quo nonnulla ſua in *Actis Eruditorum* data reſumit, & auget. *Reſponſionis ad Gulielminiana* compendium in *Actis Eruditorum* nuper inſertum eſt: id rogo ut illi cum multa à me ſalute ſignifices.

Anonymi illi qui contra *Noriſium* ſcribunt, magis augere mihi quàm minuere ejus dignitatem videntur. Purpuram ei deſtinari plerique ſentiunt.

Curavi nonnulla *Diario Gallico* inſeri, ex iis, quæ mihi olim de altiore quadam philoſophia cum *Antonio Arnaldo* Theologo, & Philoſopho inſigni fuere agitata; quibus oſtendo circa communicationem animæ, & corporis, quæ hactenus inter abdita habita eſt, *Carteſium* & *Malebranchium* rem acu non tetigiſſe, remque omnem per Naturæ leges explicari poſſe, Deo ex machina non advocato, quamquam illum, & Auctorem eſſe, & Conſervatorem ſubſtantiarum omnium ſit exploratum. Hæc diu preſſa, magnorum in ipſa Gallia Virorum hortationibus impulſus, diſſimulato licèt nomine, tandem publicis judiciis ſubmiſi. Erit hoc non ingratum Cl. Abbati *Fardellæ* qui ultra meritum ſolet

Noſtras eſſe aliquid putare nugas.

Ejus literis nupera hyeme reſpondi, & reſponſum meum ipſi redditum puto.

Quicquid a *Bellino* proficiſcitur laudem quam habet meretur: qui ſi Anatomiam integram, quanquam Patria Lingua ediderit, multum addet ſuis in literas meritis.

Celeb. *Puſterlam* honoribus auctum gaudeo. Non dubito quin Cl. *Muratori*, & humanitatem ejus, & eruditionem exprimat. Sæpe mihi pro-

poſueram inquirere in nonnulla hiſtorica Monumenta, quæ extare fortaſſe poſſunt in Ambroſiana Bibliotheca, ſed non libenter eos compello quibus me planè ignotum judico; quanquam tuo beneficio multis in Italia Viris egregiis innotuerim ad quos aliter nomen meum non perveniſſet.

Inter alia quærere conſtitueram de Manuſcripta *Hiſtoria Leonis Epiſcopi Comenſis*, quam vidi in aliis Manuſcriptis ad teſtimonium citari; ſed nondum occurrit qui ſe vidiſſe diceret.

Tenzelio noſtro communicavi Codicem MS. qui continet *Epiſtolas Caroli Magni* aliorumque ejus ſeculi Regum Francorum, ac Pontificum: is fuit *Matthiæ Flacci* Illyrici, qui Lemmata earum ediderat in *Centuriis*. *Baronius* optarat ut ipſas integras edidiſſet, nonnihil etiam ſubdubitans de fide Viri. Interea alius Codex reperius eſt a *Tenzelio* in Bibliotheca Cæſarea, ex quo edidit *Gretſerus*, quæ res *Flacci* fidem liberavit. Sed quia nonnulla aliter in *Flacciano* habentur, conferet *Tenzelius* me hortante; iterumque aliquando edet. Idem in eo nunc eſt, ut incomparabile opus *Seckendorfii*, complexum *Hiſtoriam Reformationis Germaniæ*, in Germanicum ſermonem transfundat.

Fieri poteſt ut aliquot ad te literæ meæ perierint, quas curare debebat *Mendelius*, quem multa etiam ad ipſos Principes pertinentia negligentiùs tractaſſe comperimus, quàm par erat; Itaque nunc certiſſima utor ratione tranſmittendi ad te mea, ſub literis Illuſt. Comitis *Balati*, cui crebrum eſt commercium literarium cum Ill. Comite *Magalotto*.

Etiam Cl. *Nomii* notitiam tibi uni debeo, ad quem, in qualecumque redhoſtimentum, ſcribo quæ vides.

R. P. *Harduinus* de *Nummis Herodiadum* libellum non ita pridem ediderat, qui fuit ſapientiſſimorum in ipſa Societate Jeſu Virorum judicio ſuppreſſum, quod miræ audaciæ paradoxa continet, quibus plerique Scriptores veteres in dubium revocabuntur. Sed Bibliopola Lipſienſis exemplum nactus iterum recudi curavit; certè quæ ab hoc Viro reſtant etiam falſa, tamen habent aliquid quod conſervari mereatur.

Adjuncta ad D. Baronem *Bodenhauſen* curari peto.

Hanoveræ $\frac{1}{11}$. *Octob.* 1695.

EPISTOLA XXV.

Literis veſtris ſtatim reſpondeo, ut rectè perlatas intelligatis.

Mutinam in Comitatu Sereniſſimi Ducis ire non eſt meum; qui nunc plus nimis habeo quod agam domi: ſi mihi aliquando liberiori liceret reviſere Italiam, facerem liber, & dominus temporis mei. Fecit hoc matrimonium, ut Numiſma ex eorum genere quæ *Medalliones* appellant, juſſu Electoris, me autore, ſit cuſum. Fluvius inſignis in duo ingentia brachia dividitur, quæ poſt longos curſus gyroſque, ducto tranſverſim alveo,

alveo; quem vulgares Linguæ *canalem* vocant, reduniuntur, inſcriptis verbis COMMERCIA REDDIDIT: Nam ut alvei, qui flumina jungunt, commercia Populis reſtituunt; ita matrimonium hoc duos ejuſdem ſtirpis ramos *Brunſvicenſem*, & *Eſtenſem Italicum* reconjunxit. Oſtendit enim primùm hoc, inter duas has lineas *Eſtenſes* conjugium eſſe, & falſum fuiſſe *Pignam*, alioſque Eſtenſes Hiſtoricos, qui *Alexinam* quamdam *Eſtenſem Alberto Brunſvicenſi* Duci nuptam dixere. Porrò *Epiſtolam* brevem ſcripſi, qua nonnihil dilucidatur utriuſque Sereniſſimæ Gentis vera connexio, malè a Scriptoribus tradita, & a me ex monumentis reſtituta. Cujus exemplaria ad te mitto, credita iis qui Mutinam hinc ivere. Addidi, & exemplaria aliquot *Brevis Relationis* editæ *de Novo Remedio Antidyſenterico Americano miræ efficaciæ* quam ex communicatione amicorum Gallorum compoſitam, *Societati Naturæ Curioſorum Leopoldinæ* inſcribi curavi.

De utroque, id eſt de *Epiſtola Hiſtorica*, & de *Relatione Antidyſenterica*, rogo ut exemplaria quædam Domino Baroni de *Bodenhauſen* communices, prout vobis videbitur, aliiſque amicis; imprimis autem *Relationem de Remedio* novo D. *Gulielmino* non diſpliciturum ſpero: cui officioſam a me ſalutem data occaſione denuntiari peto.

Herbelotius Vir in rebus Orientalibus inſignis, & tibi notiſſimus, fatis conceſſit: ita duos maximos Europæ Viros in Linguis Orientalibus intra biennium amiſimus, *Mullenum* Pomeranum, & *Herbelotium* Gallum.

D. *Burnetius* Scotus, qui tuam humanitatem Florentiæ uſu compertam plurimum prædicabat, bis mihi nuper Londino ſcripſit. Laborat morbo gravi magis quàm periculoſo, acutiſſimis ſcilicet capitis doloribus. Narrat D. *Treverum* in *Hiſtoria Angliæ* producenda; *Drydenium* Poetarum Anglorum principem in edendo *Virgilio* occupari. Allatum eſſe in Anglia MS. Perſicum pervetus, unde egregia ſperentur ad antiquitatem Orientalem illuſtrandam. Meo hortatu *Meierus* Bremenſis Vir egregiè doctus de *Gloſſario Saxonico* cogitat, in quo multa eruditio erit. Vale.

Dabam Hanoveræ 13. *Decemb.* 1695.

EPISTOLA XXVI.

ETſi diu nihil viderim ab amantiſſima manu tua, gaviſus tamen ſum, quòd valere te intellexi ex iis quas ad doctiſſimum *Tenzelium* amicum meum dediſti. Eſt in eo eruditio planè ſingularis, & præterea diligentia, vigorque par laboribus ſuſtinendis; unde multùm ab ipſo ſibi Res Literaria promittere poteſt.

Egregium librum R. P. *Bacchini* (*t*) ritè accepi, & continuationem avidè expecto. Video eum probare ſententiam meam, qua *Azoni* Marchioni,

(*t*) *Bened. Bacchini Iſtoria del Monaſtero di S. Benedetto di Polirone. Modena per li Capponi* 1696. in 4.

chioni, *Brunſvicenſium*, & *Eſtenſium* communi Progenitori, veram conjugem liberoſque reſtitui, exploſis erroribus Hiſtoricorum. Et ſpero in continuatione id uberius diſtinctiuſque expreſſurum, & novis luminibus illuſtraturum.

Intelligo eum problema *Lineæ Brachyſtochronæ* ſeu celerrimi deſcenſus a D. *Joh. Bernoullio* propoſitum, nec hactenus niſi ab ipſo, & a me ſolutum, *Diario* ſuo (*u*) inſeruiſſe, & gratias debeo.

Domino *Angelo Marchetto* (*x*) juveni, ut apparet, doctiſſimo reſcribam, ubi librum ejus accepero, ne ſcilicet vacuas dem literas, quod non eſt mei moris. Doctrinam de *Rationibus*, & *Proportionibus* non parum verſavi olim, & quod caput eſt, *definitionem Rationis* quæſivi, in qua fluerent demonſtrationes, quale nihil præſtat definitio Euclidea: Eaque in re mihi ſatisfeci.

Si D. *Alexander Marchettus*, (cujus *de Reſiſtentia ſolidorum* opuſculum egregia quædam continens videre olim memini) legit atque expendit, quæ a me ante multos annos menſe Julio anni 1684. in *Actis Eruditorum* propoſita, ac demonſtrata ſunt, ad corrigendum quendam errorem magni *Galilæi*, quem omnes erant ſecuti, gratiſſimum mihi foret judicium ejus noſſe.

Gaudeo ex animo D. *Laurentium Zaccagnum* factum eſſe primum Cuſtodem Bibliothecæ Vaticanæ. Merebatur hoc eruditio ejus non vulgaris, ut ſine injuſtitia præteriti potuiſſe non putem. Egregium habet uſum Manuſcriptorum præſertim Græcorum: & cum doctrina certat humanitas. Mihi certè viſus eſt officioſiſſimus; itaque ſi quando fert occaſio, rogo, ut de applauſu meo teſtimonium apud ipſum perhibere velis. Non dubito futurum ut per ipſum multa præclara in publica commoda edantur, quæ abdita in forulis latent. Mihi cum Roma jam diſceſſiſſem, favit per amicos, ut accuratam notitiam obtinerem antiqui Codicis *Widukindi Corbeienſis*, qui extat in Bibliotheca Monaſterii Caſinenſis.

Nolim mihi vindicare alienas laudes. Itaque *Epiſtolæ* meæ *de Connexione Gentis Brunſvicenſis*, & *Eſtenſis* Italica verſio, non mihi ſoli, ſed magis amico debetur Italo, qui Hetruſci ſermonis facultate excellit. Mihi elaborandum fuit, ut accurate darentur ſenſa mea ipſi, ut purè, & eleganter. Hoc peto per occaſionem, cum multa a me ſalute, ſignificari D. *Mario Florentino*, Viro præclaro, ne falſa de me, etſi mihi ſecunda, opinione decipiatur. Hujus ego quemadmodum fidem prædicare debeo, in remittendo poſt tot annos MS. *Martyrologio*, ita judicium patriſſans, vel ex paucis illis quas tranſcripſiſti lineis agnoſco. Patri ejus *Franciſco Mariæ*, exactiſſi-

(*u*) *Il Giornale de' Letterati per tutto l'anno 1695. Parma per Ippolito e Franc. Maria Roſati 1696.* Auctores Ephemeridum harum ſunt *Benedictus Bacchinius*, & *Gaudentius Robertus*.

(*x*) *Angelus Marchettus Alexandri* Fil. in Piſano Lyceo Mechanices Prof. Pub. inter cætera edidit: *La Natura della Proporzione, e della Proporzionalità, con nuovo, facile, e ſicuro metodo ſpiegata. Piſtoia 1695.* in 4.

exactiſſimæ doctrinæ Viro, plurimum debebit Hiſtoria quam concinnare pergo. Nam Vita Magnæ *Mathildis* quam dedit, theſaurum continet præclararum notitiarum, nugis exploſis, quas vulgo ex ſe mutuo tranſcribunt Hiſtorici. Fortaſſe & Filio non minus deberet hiſtoria noſtra, ſi mihi aliquando liceret redire in Italiam. Nam Pater multa citat Manuſcripta, & Tabularia, ad quæ per Filium fortaſſe admitti poſſem, in quibus credibile eſt latere quæ novam lucem afferrent. Multa enim examinatis collectaneis meis, & cum locis ſcriptorum collatis erui, quæ cùm in Italia eſſem, adhuc ignorabam. Unde jam melius teneo quid mihi ſit inveſtigandum, aut inſpiciendum.

Etſi nondum receperim undecimam partem operis Cl. *Cinelli*, gratias tamen jam tum ago.

D. Abbatis *Gravinæ* nihil vidi: pauca verba quæ tranſcribis, oſtendunt Virum eſſe doctum. *Satyras* (*y*) in vitia ſcriptas laudo; in homines, etiam bene ſcriptas non laudo. Epigramma meum in *Nomianas* ſpero Autori eximio non diſplicuiſſe.

Thomas Smith Vir inter Anglos doctrina in primis excellens, miſit mihi *Catalogum Bibliothecæ* inclytæ *Cottonianæ* Manuſcriptis multis, & egregiis conſtantis, unà cum vita fundatoris *Rob. Cottoni*, ambo a ſe concinnata. Apparet *Cottonem* fuiſſe Virum & doctrina, & apparatu rerum pulchrarum inſtructiſſimum, quales apud Vos *Pinellus*, apud Gallos *Peireskius* fuere.

Ad Peireskium Epiſtolæ Eruditorum ineditæ *complures* nunc, ut intelligo, ſub prælo verſantur. Unde multa diſcemus in elegantiore literatura. Sequentur complures aliæ ipſius *Peireskii*, quæ tandem felici fato in poſſeſſorem incidere, qui ſciret in publica commoda uti.

D. Marchio *Hoſpitalius* inter Gallos non minùs nobilitate quàm profundo ingenio inſignis, librum ſuum nuper Lutetiæ Pariſiorum editum ad me tranſmiſit, cui titulus *Analyſe des infiniment petits*; ubi laudabili candore profeſſus eſt, tum in ipſa præfatione, tum in libro ipſo paſſim, ſcopum operis ſui eſſe, novam inveniendi in Mathematicis artem, ſingulari cuidam calculi generi a me propoſito innixam explicare, & illuſtrare. Quod ſanè egregiè præſtitit pulcherrimis inventis propriis inde deductis. Alius quidam Gallus cujus nomini parco, malignè egerat, & inventa mea larvata ſibi, aliique aſcribere aggreſſus fuerat, ſed hunc D. Marchio *Hoſpitalius* retudit, & ſuis contentum eſſe coëgit. Ita quanto quiſque eſt generoſior, & ingenio præſtantior, tanto promtior eſt ad ſuum cuique tribuendum.

Expectamus nunc alterum tomum operum *Juliani* Auguſti, a ſummæ doctrinæ Viro *Ezechiele Spanhemio*. Is primum ad me tranſmiſit, exceſſu quodam humanitatis. Notæ quæ huic inſunt uberrimæ, & rerum pul-

(*y*) *Q. Sectani Satyræ. Apud Triſonem Bibliopolam 1696.* in 8. adverſus *Vinc. Gravinam* potiſſimum ſcriptæ ſunt.

chrarum pleniſſimæ irritant appetitum noſtrum, non explent. Avidè in primis legentur quæ dabit in illuſtrem *Cyrilli* Alexandrini Archiepiſcopi cum *Juliano* deſertore fidei Chriſtianæ *concertationem*. Neque enim dubium eſt; multa magni non ad doctrinam tantùm, ſed & ad Religionem momenti in iis fore, cum capitalis quæſtio de Veritate Religionis Chriſtianæ illic agitaretur; dignillimum *Spanhemiana* eruditione argumentum. Quod ſupereſt vale, & fave.

Dabam Guelferbyti C. Januar. ſtyl. vet. 1697.

Multos tibi annos in hoc auſpicio precor, felices omnes, ut ſi qui ſunt, quales ego nullos puto, qui aliis mortem tuam malignè perſuadere volunt, quàm ſæpiſſimè, diutiſſimeque fallantur. Adjunctas binas curari peto.

EPISTOLA XXVII.

IGnoſces tarditati reſcriptionis meæ, cujus cauſa eſt multitudo agendorum, cogitandorumque, quæ facit, ut commercium literarium cum amicis cogar colere multo parciùs quàm ſolebam, aut vellem. Nam mihi ex officii ratione crebrò labores ſubeundi ſunt pertinentes ad negotia Sereniſſimi Electoris, & Jura Domus Brunſvicenſis; præſertim ex quo Conſiliarii Statûs honor in me eſt collatus; deinde multa pergo eruere, quibus Hiſtoria noſtra illuſtretur, eamque ob rem veteres chartæ ſubinde ſunt inſpectandæ, variaque excutienda monumenta. Quod his reliquum eſt tempus, nec amicorum interventu ſubtruditur, corpori curando dari debet: Id ego potiſſimum impendere conſtitui perficiendis compluribus meditamentis meis.

Multi anni ſunt, quòd promiſi illuſtrare Juriſprudentiam, & ampliſſimum Juris Oceanum ad paucos revocare fontes limpidos rectæ rationis; ut appareat, tum quid pronuntiandum eſſet, ſi nullas leges haberemus, tum quibus modis recepto Jure a ſimplicibus Naturæ placitis ſit receſſum, aut cur oportuerit aliquid illis addi. Nam multi quidem tractavere Jus Naturæ, ſed pauci eorum ſimul ab interiore Philoſophia, & a Juris Romani cognitione fuere admodum inſtructi. Ita non ſatis nobis ipſarum actionum, exceptionumque, & ut verbo dicam, poſtulationum radices demonſtrare potuere. Cùm verò nihil aliud apud me juſtitia ſit, quàm caritas ad normam Sapientis, & qui amat is felicitatem alterius aſciſcat in ſuam; atque ideo juriſprudentia verè univerſalis etiam jus divinum comprehendat, nihil Deo dignius amari, & viciſſim Deo curæ eſt felicitas Creaturarum Intelligentium quantum patitur Harmonia rerum; Hinc *Theodicæa* quædam elementa nonnihil affecta dudum habui, quæ ni fallor Theologis omnium partium poterunt pro maxima parte probari, & fortaſſe conferent aliquid ad minuendas lites. Jam tum enim cum veſtris, noſtriſque contuli non paucis, neque contemnendis. Et ſanè perſæpe cum magnis Theologis & ſuit

fuit mihi, & eſt nunc quoque de rebus ipſis, & coram, & per literas communicandum, idque expertus ſum fieri non ſine fructu.

Ab alia parte multi egregii Viri in Anglia, Galliaque urgent, ut *Meditationes* meas de *Natura Rerum*, ex quibus nonnullæ ſunt ſingulares, altiuſque repetitæ, proferam in lucem. Nec tantùm enim de *Legibus Motûs*, & *Natura Virium*, multa agitavi, ſed etiam circa Machinarum omne genus plurima habeo & cogitata, & experimentis confirmata, ex quibus ſunt, quæ, ubi comparebunt, mira videbuntur, planeque inexpectata. Sed & ſpecialis Phyſicæ arcana non pauca mihi aperuit Clavis Chymiæ, ſæpe non ſine diligentia, ſumtuque verſata. Et in iſtis omnibus tantos habeo apparatus, ut penè obruar copia. Quod verò Matheſin a materia abſtractam attinet, jam omnibus exploratum eſt, quid ei augendæ contulerim, non verò quid adhuc conferre ſperem. Sanè Marchio *Hoſpitalius* edito opere ſuo, magno me labore levavit. Nam partem *Calculi* mei *Infiniteſimalis* primam inſigni ſtudio illuſtravit per exempla, uſuſque præclaros, quorum nonnullos ſatis difficiles egregiè eruit ipſe; & quod mea potiſſimum ornare ſibi illic propoſuerit, laudabili eſt candore profeſſus. Multa tamen adhuc recondita in hoc ipſo genere, altioribuſque, habeo, quæ poſtulant ultimam manum. Nam cùm *Carteſius* eam tantùm partem Matheſeos Univerſalis ſua Analyſi utcumque tradiderit, quæ finitis quantitatibus utitur, mihi alia, & ſuperior ejus pars ſupplenda fuit, & calculo ſubjicienda, in qua ad finitas quantitates cognoſcendas adhibetur conſideratio infiniti. Sed ſupereſt peculiaris adhuc quædam, inauditaque hactenus Analyſis ipſius ſitus, cujus magnus erit uſus in naturæ, artiſque explorationibus. Poſtremò jam de ſumma rerum, & Autore Univerſi Optimo, Maximoque, & natura Animarum demonſtrationes quaſdam nactus ſum valde ſingulares, unde novæ cujuſdam, & verè primæ Philoſophiæ elementa naſci poſſint, de quibus nonnulla communicavi cum præclaro Viro D. *Mich. Angelo Fardella* communi noſtro amico, magno ipſius applauſu excepta. Ne de hac quidem Tabula prorſus tollenda eſt manus, cùm vix quicquam ad erigendos mortalium animos majoris momenti videatur. Nihil addo de *Codice Diplomatico* meo, cujus ad ſecundum tomum ſatis jam apparatus habeo, modò digerere, recenſereque vacet; neque de *ineditis Hiſtoriarum Monumentis*, quæ ſubinde profero in lucem; ex quibus aliquot Scriptores hactenus deſiderati proximis nundinis comparebunt, & oblata occaſione recta ad te pergent. Neque ſubitaneas diſquiſitiones memoro, quas ſubinde exigunt amici. Quibus omnibus perſpectis, ignoſces credo tarditati meæ, atque etiam adjutores optabis; juvenes ſcilicet, vel amicos alios, doctos, ingenioſos, ſtudioſos, quibus mecum placeat admovere manum. Multa enim indicare poſſum; omnia quæ video perficere non poſſum, & libenter aliis, ſi quid inde laudis ſperari fas eſſet, tranſcriberem, modò publicæ rei, & humani generis bono, atque adeo gloriæ Dei conſuleretur.

Multa

Multa quidem nova prodeunt in dies, ſed tibi exploratiora quàm mihi. Scies Præſidis *Vargaſii* Hiſpani, qui *Philippi II.* ad Tridentinum Concilium Legatus fuit, Epiſtolas ad Cardinalem *Granvellanum* Hiſpanico ſermone, adjecta verſione, apud Anglos prodiiſſe, qui ea re ſe veſtris ægrè facere arbitrantur, & elevare Concilii fidem: liberrimè enim ſcriptas aiunt.

Sikius juvenis Bremenſis pereruditus Apocryphon *Evangelium Infantis Jeſu* etiam veteribus memoratum, Arabicè edidit cum verſione, & notis.

Doctiſſimus *Gruningius* mihi notus, voluit *de Cycloide* Hiſtoriam ſcribere, ut mihi ſignificavit, & inprimis controverſiam facti tractare inter veſtros, & Gallos. Hortatus ſum ut longiùs porrigat ſtylum, nam in ea linea a *Wrenno*, & *Hugenio*, & me, aliiſque detecta ſunt theoremata multa pulchriora, & majoris momenti, quàm de quibus inter *Torricellium*, & *Robervallium* litigabatur; quibus cumulus acceſſit ex noviſſima mirabili proprietate Cycloidis, quam ego, & amici novum calculum uſurpantes pro ſe quiſque eſſe invenimus *Brachyſtochronam*, ſeu lineam breviſſimi deſcenſûs.

Hæc ſcribens ex Gallia accipio, edita nonnulla contra Cardinalis *Sfondrati Solutum prædeſtinationis nodum*, & contra Archiepiſcopum Cameracenſem *Fenelonium*, de quibus Pontificis Maximi expetitur definitio. Velim tuo beneficio diſcere, quid Romæ ſentiant quorum eſt potior autoritas. Ipſius *Fenelonii* librum non potui obtinere; itaque vereor nonnihil, ne acriùs urgeatur, quàm par eſt. Laudandum tamen D. Epiſcopum Meldenſem, quòd in ſuo *contra Quietiſtas* opere, ejus meminit nuſquam. *Sfondrati* quædam locutiones duræ ſunt, neſcio tamen an conſultum ſit omnia reſecare ad vivum, & nimis multiplicare definitiones non neceſſarias. Incluſas ut cures obnixè peto. Vale.

Dabam Hanoveræ $\frac{10}{10}$. *Septemb.* 1697.

P. S. D. Abb. *Blanchinum* rogo data occaſione a me ſalutes, & doctiſſimi juvenis D. *Marchetti* libellus nondum ad me pervenit. Hunc tamen expectabam, ut ei reſcriberem literas non inanes. Fortaſſe recordabere per quem miſeris. Quid fit quæſo de *Maraccii Alcorano?* an integer prodiit, prodibitve? Nondumne repertum eſt *Itinerarium* manuſcriptum, quod *Herbelotius* olim apud Vos vertit, ex Perſico puto?

EPISTOLA XXVIII.

GAudeo poſt intervallum ſatis longum accepiſſe me literas tuas, conſtantis benevolentiæ teſtes, & pro more tuo priſtino, uberes, eruditas, erudientes.

Cardinalem *Sfondratum*, Virum a doctrina, & pietate laudatum, defenſorem reperiſſe, libenter intelligo; & miror opus fuiſſe, ut Benedictinis Italiæ,

Italiæ, Germaniæque auxilio veniret Franciſcanus, & Hibernus (z), ſed tanto minùs ſuſpectus habebitur Apologiſta egregius, quem nec Ordinis, nec Nationis, ſed veritatis, & juſtitiæ cura excitavit. Itaque & nobis, & R. P. *Portero* (quem rem bene geſſiſſe confido) gratulor, & gratias agendas cenſeo. Eſt is mihi famâ doctrinæ, virtutis, illuſtriſque familiæ cognitiſſimus. Et licèt occaſio propioris notitiæ defuerit, magni tamen ſemper feci Virum. Cæterum quæ dixit Cardinalis *de Infantibus ſine Baptiſmo, & peccato actuali mortuis*, faciliùs puto defendi poſſe, vel excuſari, nam Beatitudinem quandam Naturalem illis jam multi celebres Doctores attribuere; & innocentiam actualem Regno prætuliſſe videtur Optimus Cardinalis, horrore peccati, & quia nemo, ſi optio detur, Cœlum potiùs quàm innocentiam eligere licitè poſſet; quamquam id (fateor) Theſin quam ille aſſerit de parvulorum ſtatu meliore quàm Beatorum non ſatis firmare videatur. Quod etiam dubitaſſe Cardinalis videri poteſt de neceſſitate fidei explicitæ, id puto R. P. *Porterum* aliorum Theologorum Romanæ Eccleſiæ inſignium exemplo, potuiſſe vel defendere, vel certè excuſare. Cùm etiam *Jacobus Payva Andradius* Luſitanus (ut alios non memorem) qui in ipſo Concilio Tridentino inſignis inter Theologos fuit, & ſcriptis contra Proteſtantes inclaruit, eadem ſenſerit, fuſeque diduxerit, in libro cui titulus: *Explicationes Orthodoxæ de diverſis Religionis Capitibus*, qui liber ſuo tempore magno adeo applauſu fuit exceptus, ut ei D. *Chemnitius* potiſſimum celebre *Examen Concilii Tridentini* oppoſuerit, ut ipſe teſtatur. Itaque in primis noſſe velim quid ea de re judicaverit R. P. *Porterus*.

Unum mihi videtur difficilius, quod Eminentiſſimus Cardinalis peccato philoſophico faviſſe nimis videtur, quaſi non peccet mortaliter, qui Deum non agnoſcit. Fortaſſe ſcripſit hæc ante *Alexandri VIII. Edictum*, & morte præventus locum non correxit. Fortaſſe etiam hunc caſum peccati philoſophici tantùm ut fictionem impoſſibilem tractavit, cùm ipſe paulo ante ignorantiam Dei excuſabilem in barbaris amplè refutaſſet. Utcumque ſe res habeat quæ ad hæc duo objecta de fide implicita ſufficiente, & de peccato philoſophico dixerit R. P. *Porterus*, libenter noſſe velim &c.

Doctiſſimi D. Abbatis *Fardellæ* Epiſtolam per curſorem mihi mitti neceſſe non eſt; ſuffecerit aliquando per occaſionem favore tuo, vel ipſius ad me pervenire. Quod juſſiſti D. *Menckenio* ſignifico, ut allato libro D. *Dominici a Scala*, moneatur exemplar à te deſtinatum; idemque in ſimili caſu fiat: inſiſtam etiam porrò pro editione *Epiſtolarum* D. *Guilielmini*.

Putabam me tibi miſiſſe *Excerpta ex Burckardi Diario* (aa). Cùm in Italia eſſem hac de re non cogitabam, alioqui pergratum fuiſſet hoc monu-

(z) F. *Franciſcus Porterus* Hibernus.

(aa) *Hiſtoria Arcana, ſive de Vita* Alexandri VI. *Papæ, ſeu Excerpta ex Diario* Joannis Burckardi, *edita a* Godefr. Guil. Leibnitio. *Hanoveræ 1696.* in 4.

mentum hiſtoriæ apud te videre integrum: ſane meretur tuo beneficio aliquando edi.

Venetiis *Joh. Pet. Ericus* Germanus in Linguis verſatus librum edidit cui titulus Ἀνθρωπογλωττογονία.

Bernardum in Anglia obiiſſe, puto tibi ſcripſiſſe; prodiit tamen *Catalogus MSS. Angliæ* ejus noviſſima cura. Prodiere & in Anglia *Opera Xenophontis*, & *Pindarus Nicolai Sudorii cum Chronologia Olympiorum*, & *Juſtinus Martyr Thomæ Creech.*

Illuſtris Viri *Ezech. Spanhemii* beneficio *Callimachum* accepi: dimidia operis pars *Spanhemianis* notis exquiſitiſſimis conſtat.

D. *Larrey* Gallus, Berolini degens, *Hiſtoriam Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ* Gallico ſermone produxit.

Prodiit nuperrimè meum *Acceſſionum Hiſtoricarum* volumen, in quo 4. Scriptores Hiſtoriarum inediti hactenus, & tamen diu ſperati. 1. *Chronographus Saxo*, quem habuit P. *Broverus*, & communicavit R. P. *Papebrochius*; 2. *Joh. Vitodurani Chronicon*, cujus meminit (etſi non viſi) *Voſſius*, & quod habui *Goldaſtus*; 3. *Geſta Trevirorum*, quorum editionem promiſerant *Bruſchius*, *Freherus*, & *Lambecius*; 4. *Chronicon vetus Holſatiæ* ſub titulo *Continuationis Helmoldi*, quod ſperare nos juſſerunt *Cypreus*, & *Lambecius*. Ita ego tandem præclarorum Virorum fidem utcumque liberavi. Plura ejus generis aliquando ſequentur. Occaſionem tibi tranſmittendi non negligam.

Magnetis illius ſingularis, de quo *Galileus* in Epiſtola a D. *Buliſonio* edita ſcripſit, rogo meminiſſe velis, res enim foret non parvi momenti.

Librum D. *Guilielmini* noſtri de *natura Fluminum* inſignem ſanè accepi tandem, eique me plurimum obſtrictum agnoſco ob munus præclarum, non illi tantùm, ſed tibi. Certè mihi videtur multa ibi dicere egregia, & nova, & profutura. Agnoſcoque commodiùs hæc practica vulgariam Latino ſermone ſcribi. Legam autem ſtudio intentiore ubi primùm licebit, & gratias interim non meo tantùm, ſed & publico nomine ei agendas cenſeo, quòd in argumento magnæ utilitatis exponendo tantùm ſtudii ponere voluit.

Etſi haud dubiè multa ſunt in *Machiavello* reprehenſione digna, virum tamen magni ingenii nolim pro ſtulto, & inepto traduci: ſuum cuique tribuere juſtitiæ opus eſt. *Apologiam* quandam *Machiavelli* etiam apud nos dedit *Hermannus Conringius*, ingenuè explicans quid laudandum in Viro, quid reprehendendum. *Scioppianam* verò *defenſionem* haud dubiè ampliorem extare vellem: fuit enim *Scioppius* harum quoque rerum judex non aſpernandus.

Si obtineri adhuc aliqua poſſet notitia *Itinerarii*, Arabica neſcio, an Perſica Lingua ſcripti, & à D. *Herbelotio* pro Seren. Magno Duce verſi, plurimum obſtrictus tibi forem: nuper enim ex amicorum communicationibus edidi *Noviſſima Sinica*, de iis quæ in Regno Sinenſi pro Religione Chriſtia-

Chriſtiana noviſſimè ſunt acta, atque in præfatione hujus Itinerarii Chriſtianos veteres Sinenſes memorantis mentionem feci; adjiciens tuo beneficio fortaſſe poſſe impetrari.

Herbelotii Bibliotheca Orientalis nunc demum prodiit in Gallia; & ſpero mihi mox allatum iri. Neſcio an jam ad te perſcripſerim librum Apocryphum *de Infantia Jeſu* veteribus memoratum, ſed hactenus pro amiſſo habitum, ex Arabico nunc prodiiſſe ſtudio *Sikii* Juvenis Bremenſis perdocti in ſtudiis imprimis Orientalibus, qui & textum Arabicum, & notas adjecit. Quoties antiqua ſunt hujuſmodi Apocrypha, non pauca docent, atque interdum Hæreſium ſive fontes, ſive rivos, velut indice digito nobis oſtendunt.

Alius etiam eruditus juvenis, cui nomen *Starkio*, librum Græcè cum verſione Latina edidit titulo *Sapientiæ Indorum*: ejus jam verſiones extabant in aliquot Linguis; ſed Græcus ipſe textus nondum prodierat. Animalia loquentia introducuntur, argumentumque libri antiquis temporibus ab Indis ad Perſas, ab his ad Græcos veniſſe memoratur.

Rogo ut apud D. *Marchettum* ſilentium meum excuſes, cujus non alia eſt cauſa, quàm quòd librum ejus priùs videre vellem, quàm ſcribo; ne vacuas ſcribam literas.

Magnus eſt circuitus literas mittere ad R. P. *Papebrochium*. Quid ni, ut ante, Venetias deſtinas ad D. *Mendlin* Agentem Electoralem Brunſvicenſem. Sed literis circumdans operculum *all' Illuſtriſſimo Signor Abate Hortenſio Mauro in Hanover*.

Quod ſupereſt vale, & fave.

Dabam Hanoveræ 26. Novemb. 6. Decemb. 1697.

D. *Bertoldi*, qui Sereniſſ. Electoris Brandeburgi negotia aliquandiu apud nos curavit, nuper in Sueciam diſcedens a me petiit, ut tibi ipſius nomine ſalutem officioſiſſimè nuntiarem, ac memoriam ejus tibi commendarem.

EPISTOLA XXIX.

NOviſſimas meas acceperis. Interea D. *Ezechiel Spanhemius* Vir ſummus hac tranſiens, & per aliquot dies in Aula noſtra commoratus, indeque porrò ad Regiam Gallorum tendens, ubi Sereniſſ. Electoris ſui Ablegatum aget, mihi commiſit, ut præoccupato officio ſalutem tibi nunciem ipſius verbis, ſignificemque ex ipſa Lutetia literas ad te reſponſorias daturum; nunc enim nimis diſtrictum eſſe itinere, & negotiis, atque illic etiam plus materiæ reperturum eruditi commercii. Bruxellis in tranſitu etiam Sereniſſimum Electorem Bavarum Domini ſui nomine ſalutavit; ſi ita ferat iter *Papebrochio* etiam noſtro, quem maximi facit ex merito, libenter fruiturus apud Antverpienſes.

His jam ſcriptis, tuæ mihi ſunt redditæ plenæ, ut ſemper, eorum quæ de Re Literaria ſcire valde interſit.

Ad me pervenit *Herbeloti*, Viri olim in ſtudiis Orientalibus excellentis, *Bibliotheca Orientalis* Gallicè ſcripta magno volumine, quale in folio eſſe dicunt. Locupletiſſimus eſt apparatus rerum ſpectantium ad doctrinam Orientis.

Lindebrogius citat *vetus Gloſſarium Latino-Theotiſcum* MS. aſſervatum in Bibliotheca Magni Ducis. Non dubito quin adhuc ſuperſit, optemque ejus primam fortè, atque ultimam paginam, in ſpecimen beneficio tuo obtinere. Utinam apud vos reperiri poſſet verſio *Itineris* ex Perſia ad Sinas per Tartaros ab ipſo olim elaborata pro magno Duce; nam ajunt in ea eſſe quæ confirment antiquitatem Chriſtianiſmi apud Sinas, cujus cognitio Rei Chriſtianæ prodeſſe poſſet. Itaque noviſſima quædam Sinica nuper edens, & verſionis hujus, & ſpei meæ mentionem feci, addens non dubitare me, quin pro tuo in publica commoda & Eccleſiam ſtudio, effecturus ſis, ut recuperetur. Itaque ſi fieri poterit, liberabis fidem meam.

Ablegatus Regis Magnæ Britanniæ in Brunſvicenſibus Aulis commorari ſolitus, Hamburgo ubi controvetſiæ Danico-Holſaticæ cauſa ſubinde agit, ad me ſcribit *Gilbertum Burnetum* Epiſcopum Salisburienſem, Virum auctoritate & doctrina magnum, dediſſe ad eum literas, quibus ſignificet, mox pro me allatum iri exemplum *Commentariorum Præſidis Vargaſii* Hiſpani, olim in Tridentina Synodo Legati, quos in Anglia edi jam aliàs ſignificare tibi memini. Aiunt literas eſſe ſcriptas in Aulam Hiſpanicam, præſertim ad Cardinalem *Granvellianum*, quibus non confirmet tantùm ſcriptor, ſed etiam in deliciis augeat, quæ *Paulus* Servita narravit minùs grata illis, qui proram puppimque Eccleſiaſticæ auctoritatis in ea Synodo ſitam arbitrantur.

Dominus Comes *Palmerius* a D. Fratre ſuo accepit, huic D. Comitem *Laurentium Magalotium* tandem ſperata diu ex Sereniſſimi Ducis Archivis monumenta pro *Codice Diplomatico* meo tradidiſſe. Id jam agitur ut tutò ad me perferantur. Itaque ad tuam opem, tuaque conſilia confugio, ut ſi fortè offeratur occaſio, eam pro tuo in me favore ſuggerere velis: ſi quis ſcilicet Vir exploratæ fidei a vobis veniens, aut apud vos tranſiens, in has noſtras regiones tendat.

Puto ſalutem tibi me nuntiaſſe a D. *Bertoldo*, Reſidente Brandeburgico nuper a nobis in Sueciam digreſſo: Is tuam doctrinam, & humanitatem gratiſſima recordatione recolebat.

Dolendum eſt magnetem illum mirabilem, cujus in *Galilei* literis mentio, nuſquam comparere. Optandum excuti quicquid ſupereſt literarum *Galilei*, & *Torricelli*, ut appareat an non cognoſci poſſit, quis fuerit poſſeſſor magnetis. Certè apud ſapientes pretioſiſſimæ gemmæ præferetur hic lapis, qui promus condus eſſet futurus mirabilium experimentorum, per quæ altiùs penetrari poſſet in arcana Naturæ. Miror *Galileum* ipſum non

ſatis

ſatis admirabilem illam, quam memorat, proprietatem commendaſſe. Quod ſi feciſſet, ego quidem non dubito Magnum illum Ducem, cui *Curtius Pichena* a ſecretis erat, tantum naturæ monumentum, quovis pretio fuiſſe redempturum. Unus omnium optimè ſuccurrere poterit Celeberrimus *Vivianus*, quem *Galileani* ingenii reliquias qualeſcumque vel poſſidere, vel in poteſtate habere arbitror. Ex quibus utinam ſelecta quædam nobis dare per negotia poſſet! Sed quoties cogito, quàm multa ipſe præclara habeat, quibus a Magno Duce præfectus, a tot annis magis curare cogitur rem præſentem, & Florentinam, quàm publicam, & poſteritatis. Sed quid de te dicam ipſo, qui nobis perire pateris theſauros tuos inexplicabiles: penè conſcientiæ rem eſſe dixerim. Ego certè ſi aditum haberem ad eos Theologos, quorum uteris conſilio, ſcrupulos ei de te injicerem non mediocres, quòd ita Publicum defraudes. Nolim tamen metuas tale quid per me ad R. P. *Porterum* eſſe venturum, quem nuper ut a me ſalutares, & ad Emin. quondam Cardin. *Sfondrati* memoriam porrò defendendam hortareris, te rogavi. Vale.

Dabam Hanoveræ $\frac{1}{17}$. *Januarii* 1698.

EPISTOLA XXX.

AMiſimus, ut magno cum dolore meo intellexi, amicum optimum, & doctiſſimum Dominum Baronem *de Bodenhauſen*. Non dubito quin is caſus tibi quoque peracerbus acciderit; nam uti te colebat plurimum, ita quantum intellexi, viciſſim a te amabatur. Erat, ut ſcis, in Græcis, Latiniſque literis præclarè verſatus, in Mathematicis verò ſtudiis planè excellens, quibus addiderat non perfunctoriam Naturæ rerum cognitionem, quam etiam inveſtigabat magno ſtudio, eaque una fortaſſe in re modum exceſſerat, quem in Chimicis privatum ſibi circumſcribere præſtat. Sed utinam multi in eam potiùs partem peccarent, animoque tam recto, & laudabili: eſſet haud dubiè multum inde lucis nobis proventurum.

Cæterum initio morbi ſui ad me ſcripſerat, ſi malum in deterius vergeret, curam ſibi fore ut ad me rediret, quod ex meo exemplari ſcripto negligentius mundè, nitideque deſcripſerat Opuſculum περὶ τῶν δυναμικῶν. An vis morbi permiſerit, ut vel recordaretur hujus promiſſi ſui, vel propoſitum exequeretur haud equidem ſcio. Rogo tamen, ut inquiras, voluntatique defuncti pariter ac meis rationibus ne deſis. Vellem etiam remitti mihi literarum ad ipſum ſcriptarum faſciculum, quem credibile eſt repertum iri. Et fortaſſe cætera ejus Notata Phyſica, & Mathematica, aliave omnia, non alium quàm me meliùs hæredem acciperent, cùm mihi mens Viri in pleriſque fuerit explorata; eaque ratione fortaſſe illa uſum adhuc aliquem probare poſſint, quod non aliter facilè fiet. Scripſi in eundem ſenſum ad Illuſtriſſimum D. *Blockium*, qui ex ultima defuncti voluntate

luntate ad me literas dederat. Cum eo rogo, ut consilia communices; faciasque omnia pro amicitia tua, & consueta officiositate, & laudabili studio publici boni. Et credo ipsum Serenissimum Magnum Ducem, si rem ad ipsum deferri sit opus, aut Sereniſſimum Tusciæ Principem, desideria mea esse comprobaturos, quorum non alius est scopus, quàm ne quid pereat boni. Atque hæc quidem de argumento sanè tristi.

Nunc ad Rempublicam Literariam venio, ac nescio an tibi significaverim *Henricum Sikium* Bremensem doctissimum in Orientalibus Literis juvenem, adjunxisse se Clarissimo *Neocoro*, qui Ultrajecti *Diarium* quoddam *Eruditorum* concinnare non ita pridem cœpit.

In Gallia scis magnam exortam esse litem literariam, viro quodam docto ex Numismatibus probare aggresso, *quatuor* fuisse *Gordianos* Principes. Sed quantum intelligo, nec *Spanhemius*, qui dictaturam in his studiis gerit, nec *Andreas Morellus*, quem possumus huic Dictatori addere Equitum magistrum, *quartum Gordianum* probant; & *Gisbertus Cuperus* in his quoque literis excellens *dissertationem* etiam contrariam scripsit, quam ab ipso ad te missam non dubito.

Amicus ex Suecia redux specimina quædam ostendit mihi præclarorum operum, quæ illic parantur, quorum unum omnia complectetur antiqua monumenta toto Regno sparsa, Runica præsertim, accurate æri incisa; altero describetur quicquid aliter per Sueciam nobile, & visendum est.

Magnetem illum mirabilem, cujus animadverti mentionem fieri in epistola quadam incliti *Galilei*, ab *Antonio Bulifonio* ante multos annos Neapoli edita, & fortasse a te ipsi suppeditata, nuspiam hodie comparere valde doleo. Foret enim numerandus inter rarissima Naturæ miracula, & magnam lucem Philosophiæ Magneticæ accenderet: ut ægrè feram, *Galileum* ejus præstantiam *Curtio Pichenæ* Magni tunc Ducis Secretario non commendasse efficacioribus verbis. Interim vel indicium talis rei proderit posteritati, ut oblati Magnetes subinde examinentur, ne fortè neglecta in aliis lateat similis proprietas. Quanti autem momenti sit Philosophia magnetica ad Geographiam, & rem nauticam, imò ad eruenda naturæ, & systematis mundani nostri arcana, non ignoras.

Valde gratum mihi erit videre, quæ sperare me jussisti a R. P. *Portero* scripta pro Apologia Eminentissimi quondam Cardinalis *Sfondrati*, cujus & pietas, & doctrina merebatur, ut omnia, qua pote, in optimam partem acciperentur; præsertim cùm credibile sit, quæ Philosophico (quod vocant) peccato affinia sunt visa, scripta fuisse a Viro optimo ante *Innocentii XI.* Pontificis Maximi Censuram, & postea ab ipso ante obitum non satis fuisse revisa; neque enim, quantum intelligo, ultimam autoris limam accepit opus.

Intelligo fervere nunc Romæ examen libri, quod scripsit *de Mystica Theologia* Illustriss., & Rever. Archiepiscopus *Cameracensis*. Nondum ille ad me pervenit. Vidi tantùm quædam, quæ Eminentiss. in Theologia doctri-

doctrinæ autoritatisque Vir *Jac. Benignus Bossuetus* Meldensium Episcopus contra *Quietistarum* errores edidit, ex quibus ipsis tamen spero *Cameracensem* abhorrere. Equidem ea est natura veri amoris, ut ab eo quod interest, commodive privati respectu separatas habeat rationes, non ita tamen, ut a bono amantis possit divelli. Nam ut ego olim in libro edito definire memini, Amare est eo esse animo, uti in alterius felicitate sis reperturus voluptatem tuam. Prorsus ut picturam *Raphaelis* imagine quadam amoris prosequeremur, etsi nullos census, fructusque ferret, ex præstantia ejus (quando felicitatis ipsa capax non est) voluptatem capiendo.

Joh. Ulricus Meurerus præclarè, ut ex literis pariter, & editis quibusdam intelligi potest, doctrinæ Vir, viam ad notitiam tuam affectat, cùm *Historiam Literariam* inprimis illustrare moliatur, nemoque in eo genere facilè thesauros tuos æquet, puto magno id in publicum commodo futurum esse, si te ei præbeas: Itaque pararium me, si pateris, interponere volui. Vale.

Dabam Hanoveræ $\frac{3}{13}$. *Junii* 1698.

EPISTOLA XXXI.

ETsi occupationes tuæ, commerciumque literarium latissimè fusum efficiant, ut rariùs a te literas accipiam; subinde tamen amici ad me perscribunt, quæ faciunt, ut de secunda valetudine tua, & gloriâ novis semper egregiorum virorum plausibus vigente læter.

Audio litem inde a Patris *Martinii* temporibus, & ampliùs Romæ agitatam recruduisse, de honoribus, quos Sinenses mortuis deferunt, an habeant aliquid Idololatricum? Ego cùm vidissem, quæ Episcopus *Gregorius* natione Sinensis Ordine Dominicanus judicaverat, cujus nec zelus, nec intelligentia rei in dubium revocari poterat, aliaque hujusmodi expendissem, eò inclinavi, ut crederem Jesuitas non jure accusari; eique sententiæ tandiu insistam, donec ab adversariis contrarium luculentissimis probationibus sit evictum. Hujus opinionis meæ expressa vestigia quædam extant in præfatione *Novissimorum Sinicorum*, quæ a te Reverendiss. Præposito Generali Societatis Jesu videre desideranti missa scribis, eoque etiam post tot alia nomine tibi obstrictus sum, quòd mea a tanto viro legi voluisti.

Nec dubito quin tuo beneficio notitia nominis mei pervenerit ad D. *Antonium Monfortium* Nobilissimum Virum, ut præclarum libri ab eo scripti munus mihi destinatum non magis ipsius, quàm tuum censeam. Rogo autem, ut vel in antecessum gratias ei a me agas, & cultum testeris. *De Siderum intervallis, & magnitudinibus Commentatio* in egregio argumento versatur, de quo *Aristarchi* Samii antiqui Mathematici opusculum extat, *Wallisii* cura recensitum nuper; sed nostra ætas majoribus instructa auxiliis, multo utique longiùs processit. Nescio an *Cosmotheoron Hugenii* viderit D.

Mon-

Monfortius antè editum opuſculum. Angli ſibi videntur parallaxin orbis annui nunc ad oculum demonſtraſſe, quo poſito, jam ſine controverſia vicerit *Copernicus*.

Cùm Romæ eſſem hortabar egregios quoſdam Viros, & autoritate præditos, ut faverent libertati philoſophicæ in re minimè periculoſa, & tolli paterentur, vel deſuetudine aboleri cenſuras in *Syſtema Terræ motæ*: idque ipſius Eccleſiæ Romanæ intereſſe oſtendebam, ne ignorantiæ, & errori patrocinari ignorantibus videretur. Neque illi ſanè abhorrebant a conſiliis illis meis, ut ſperem adeo, ſi plures accederent *Monfortio* ſimiles, ingenio, & autoritate, poſſe antiquam libertatem recuperari, cujus oppreſſio multum nocet excitatis ingeniis Italorum.

Quoniam *Walliſii* memini, qui *Ariſtarchum* Samium *de Magnitudine, & diſtantia Aſtrorum* recenſuit, dicam me nuper tertium ejus operum volumen munere autoris celeberrimi accepiſſe; inſertaſque ei epiſtolas eſſe complures a me ex Gallia olim ad *Henricum Oldenburgium* Societatis Regiæ Anglorum quondam Secretarium ſcriptas, & ſcriptas nuper a me ad *Walliſium*, cum aliquibus *Newtoni*, & ipſius *Walliſii* literis. Edendi poteſtatem ſibi fieri a me petierat *Walliſius*, ſimulque dederat mihi mutandi, delendive, quæ a re minùs viderentur. Sed quod non vacaret autographa mea in ſchedarum mole quærere, quarum & magna pars perierat, malui totius rei arbitrium D. *Walliſio* committere, nec pœnitet. Ita enim apparebit cuivis, quænam, ſeriùs licet edita, jam ante pluſquam viginti annos habuerim.

Multas etiam gratias ago, quod ex D. *Fabretti* opere cujus inſpiciendi ſeriùs utique dabitur copia, excerpta ad me miſiſti. Nam exciderant animo, quæ ſcripſeram olim ſententiam meam deſideranti, conjecturâ uſus non ſatis certâ quidem, ſed tamen nec prorſus ſpernendâ.

Communicata ſunt mihi *ſcripta* quædam *circa Editionem S. Auguſtini a Benedictinis adornatam*, ex quibus video inter ipſos, & Jeſuitas litigari paulo acriùs, quàm utriuſque Ordinis dignitas pati videatur.

R. P. *Coronelli* experimenta circa ſaccos, quibus pulvis pyrius tutò includatur, mihi magni momenti videntur. Et velim noſſe, an jam communicaverit aliis artem, an potiùs ſibi adhuc ſervaverit. Sed & magni quod molitur *Dictionarii* (*bb*) mentionem fieri video in ejus edita typis ad te Epiſtola, cujus & dudum videram promiſſum ab autore factum. Suſpicor *Moreriani* Operis bonam partem in Italicam linguam transfuſam iri, accedentibus ſupplementis. Ego verò valde optarem præterea fieri in Italia, quod in Gallia jam habetur: nam præter Dictionarium *propriorum nominum*, quale eſt *Morerianum*, habemus *appellativorum vocabulorum* duplex, unum *uſu communi receptorum*, quale eſt Dictionarium Academiæ Gallicæ

(*bb*) F. Vinc. Coronelli: *la Biblioteca Univerſale Sacro - Profana, Antico - Moderna, Venezia.* Tomi VII. dall'anno 1701. al 1706. in fol.

Gallicæ κατ' ἐξοχὴν ſic dictæ ; alterum *Technicorum* quale ſcripſit *Furetierius*, & poſt ipſum *Cornelius*, cujus labor Operi ab *Academia Gallica* edito acceſſit, Tomumque tertium, & quartum facit, etſi non paucos contineat errores, quos Academiæ cenſuram non ſubiiſſe miratus ſum, antequam alienum opus velut adoptivum adjungi ſuo pateretur. Vobis eſt quidem præclarum *Dictionarium Academiæ della Cruſca*, ſed cùm voces tantùm communes complectatur, ſupereſt ut exoriantur aliquando, qui dent *Lexicon vocabulorum Technicorum Italiæ*. Technicorum enim explicatio ipſis rebus lucem affert. Hoc autem deſideratum utinam impleret veſtra illa eximia *Cribri* ſocietas; nam tum demum abſolutum Orbi Linguæ veſtræ Dictionarium dabit.

Miſſa mihi a D. *Nicaſio* fuit Epiſtola, quam D. *Pezronius* ad ipſum non ita pridem ſcripſit, in qua conſilium exponit ſuum ex Lingua Celtica illuſtrandi veterem Hiſtoriam, ipſaſque fabulas Poëtarum. Credit autem Titanas Poëtarum fuiſſe Celtas, aliaque id genus habet evolvendis Mythologiis. Ego ſanè dudum probabile putavi, *Prometheа*, quem Titanibus accenſeri conſtat, fuiſſe Scytham; quod Caucaſus indicat, cui fingitur alligatus, ſed Celtæ tamen non parum a Caucaſo abſunt.

A Viris egregiis *Guilielmino*, *Fardella*, *Fontanino*, *Muratore*, *Zaccagnino*, *Cevà*, *Marchetto*, *Buonarota*, *Blanchino*, aliiſque quibus illuſtratur Italia, plurima adhuc expecto utilia, quibus promotis, plurimum tibi magis magiſque debebit Reſpublica. Vale diu ex ſententia, & me ama.

Dabam Hanoveræ $\frac{10}{20}$ *Octob.* 1699.

Nihilne poſthumum *Ciampini* expectatur?

EPISTOLA XXXII.

Diu mihi neque lectum aliquid a te, neque de te auditum eſt. Non ideo minus tamen ſpero te valere, & florere; idque in hoc novi anni auſpicio in multos adhuc annos tibi, & nobis opto.

R. P. *Papebrochius* ſignificat etiam ſibi jam diu tuas deeſſe literas. Ex gravi morbo, & periculoſo decubuit, ſed vires utcumque recuperavit. Intereſt Reipublicæ diu adhuc ſervari nobis etiam tantæ doctrinæ, & virtutis Virum, neque enim ſemper ſuccreſcunt, qui priores æquent; quod ubique experimur; & juventus noſtra plerumque ſuperbo otio bonas literas deſpicit. Eo magis amandi ſunt, qui ſurgunt in ſpem melioris ævi. Talem notiſſimum ex Anglia juvenem Equitem *Fontanum* tibi commendo, ex veteris noſtræ amicitiæ lege, nam id gratum tibi ſcio accidere. Is ætatem moribus, doctrina genus ornat, & cum alia paſſim ſcitu digna venatur, tum antiquis Numiſmatibus cognoſcendis, atque colligendis præclaram operam navavit. Huic ſpero faveres commendante nemine, eoque magis, credo, dabis id precibus meis.

Res literaria nonnihil friget, in tanto bellorum apparatu. Nuper tamen inſignem *Æliani* editionem accepimus a *Perizonio* doctiſſimo Viro. Et quin-

que Tomi Inſcriptionum antiquarum, undecumque collectarum ſub prælo ſunt apud *Halmam* Ultrajectinum Typographum: ἱππολαίτων egit *Grævius* nuper, & inſerentur Theſauri *Gudiani*, quibus Vir quondam doctiſſimus *Marquardus Gudius* ornare Rempublicam poſt mortem diſtulit.

Quæ in Anglia gerant docti nemo rectiùs tibi enarraverit, quam ipſe *Fontanus*, a quo cætera etiam pleraque cognoſces, quibus adeo ſcribendis ſuperſedeo.

Berolini *Laurentius Begerus* V. cl. ſuo quodam inſtituto nonnullos veteres producet in uſum Principis Regii.

Apud me Juvenis quidam non indoctus *Diarium Eruditorum* jam a biennio dedit lingua Germanica, cui ſubinde ſuppedito nonnulla, quæ ad me perferuntur. Etſi non paſſibus æquis, ſequitur tamen doctiſſimi *Tenzelii* exemplum, qui curam eandem dudum deſeruit. Quod ſupereſt, vale, & fave.

Dabam Berolini 27. *Decembris* 1701.

EPISTOLA XXXIII.

PEne ſeſquianno elapſo ex quo dederas, literæ tuæ me pervenere, gratiſſimæ vel ideo quod docuerunt valuiſſe te cùm ſcriberes, & mei benevole meminiſſe: eoque in ſtatu adhuc & te eſſe, & me apud te, ſpero. Itaque exultaſſem iis acceptis, licèt non habuiſſent adjunctum munus præclarum, quod peculiares gratias meretur, quas nunc ago, tametſi nondum viderim librum quem adjunxiſti; puto enim Hanoveræ eum eſſe, unde literæ huc ſunt ad me tranſmiſſæ. Argumentum ejus non poteſt non placere ſtudia colentibus, quia egregiorum Virorum vitas tractat, qui veſtram Academiam, de Republica, & literis Hetruſcis tantopere meritam, illuſtravere. Utinam in illis tua eſſet Biographia dignum monumentum viventi ponendum ab aliquo amicorum.

Cæterum puto me jam olim tibi ſcripſiſſe, quid in votis habeam circa Linguam veſtram vernaculam, ut nihil Gallis concedentes, præter illud celebre *Dictionarium* verba uſitata in commune complexum, aliud condatis *vocabulorum Technicorum*, quale *Furetierus* publicavit, quale *Pariſini Academici* duobus peculiaribus Tomis ſuo illi diu expectato Dictionario adjungi curavere. In hoc tam plauſibile opus, & rebus ipſis illuſtrandis mirè profuturum excitari opiem Viros labori pares, quibus ipſa minuta artium, & vitæ profeſſionum inſpicere vacet.

Ego ſubinde in Hiſtoricis, & aliis diſquiſitionibus pergo, quantum per diſtractiones, & aulica officia licet. Valetudo quæ vacillabat nonnihil, viſa eſt confirmata rurſus per Dei gratiam, ex quo itinera miſcui ſedentariis laboribus: Et nunc in Palatio Reginæ ago, non pœnitendo, ſi non negotiis meis, certè valetudini loco. Itaque quod ex Italia de morte mea huc ſcriptum eſt (ut olim ex Germania in Italiam de tua) boni ominis loco accipio.

Cùm

Cùm olim non licuiſſet *Actis Eruditorum* inſerere duo Schediaſmata docta, & acuta, quæ Celeberrimus *Guilielminus* nuper ingenioſiſſimo *Papino* repoſuerat: ideo ne perirent, aliam nuper edendi occaſionem arripui. Agit nunc ſcilicet Hamburgi Vir doctus, & tibi notus D. *Joh. Groningius*, qui *Hiſtoriam* quandam *Cycloidis* pro *Torricellio* contra *Robervallium* emiſit, cujus bonam ei partem tu ſuppeditaſti. Is nunc quoddam *Diarii Eruditi* genus molitur per aliquot menſium intervalla edendi. Cumque primum tomum mihi miſiſſet, petiiſſetque, ut ſi qua ſe offerrent, communicarem locupletando operi; tranſmiſi ei *Guilielminiana*, quæ & accepit, & inſerere promiſit. Hoc volui ne neſcires, quoniam tuo beneficio ad me fuerant tranſmiſſa, quod ſi tibi occaſio affertur ſcribendi ad Virum præclarum, quem cum *Ramazzino* noſtro Patavium tranſiſſe didici; rogo ut eum officioſe a me ſalutes, & quod ſcripſi nunties.

Gratiſſimum etiam mihi erit aliquando diſcere, quid agant hi amici, & cum iis doctiſſimus noſter Abbas *Fardella*, omnes nunc Patavini. Vale, & fave. *Dabam Luzeburgi prope Berolinum* 3. *Octob.* 1702.

Si qua mandata mihi dare voles, ad me optimè pervenient per D. Abbatem *Guidium* Senenſem Hanoveræ degentem, ejuſque amicum Florentinum.

EPISTOLA XXXIV.

GRatias ago, quòd amicum Anglum eleganter doctum mihi innoteſcere voluiſti, & literas librumque cum eo miſiſti. Credo nihil attigiſſe te de rebus Italiæ literariis, quod illum ſatis narraturum judicares.

Ex Scotia Librum de Analyſeos Mathematicæ parte, quæ ſeries ſpectat, ad me miſit Medicus doctus, cui nomen *Cheinæo*. Accepi, & a *Tyrello* Nobili Anglo continuationem operis Hiſtorici luculenti patria lingua, & de rebus Anglicanis ſcripti.

Poſthuma Summi Viri *Chriſtiani Hugenii* accepi munere excellentis Mathematici apud Leidenſes *Volder*, qui cum *Fullenio* teſtamento *Hugenii* nominatus eſt, ut ederet, quæ commodè poſſe viderentur. Ibi comparet tandem aliquando promiſſa jam a Juvene *Dioptica*.

Feliciter contigit, quod paulò ante renovationem belli *Academiæ Scientiarum apud Pariſios Regiæ* proſpectum eſt, alioquin turbatis nunc rebus, iterum penderent:

Opera interrupta minæque
Murorum ingentes.

Nunc ingenioſiſſimus *Fontenelle* in edenda Academiæ Hiſtoria ſtrenuè pergit.

Cl. *Cellarius Prudentium* nuper edidit cum notis eruditis, ut ſolet. *Lampius* juvenis Bremenſis libellum edidit elegantem *de Cymbalis Veterum*. Quod ſupereſt, vale, & fave.

Dabam Hanoveræ 2. *Octob.* 1703.

P. S. Utinam aliquis, quod olim in *Italia Regnante* fecerat (etſi parum accuratè interdum) *Gregorius Letus*, præſentem *Italiam Literatam* tuo ductu nobis daret; ut olim *Apes Urbanas Allatius*. Paſſim in Germania tales prodeunt libelli, qui *Hamburgum literatum*, *Uratislaviam literatam*, & alias urbes ex præſenti ſtatu depingunt: ſed plerumque nuda fit mentio nominum. Melius *Holmia literata* paſſim, & opera, & molimina Virorum doctorum attingit. Et ſimile aliquid per Germaniam latè fuſum, Hamburgi nunc ſunt aggreſſi. Utinam ſimilis cura in Italia ſuſciperetur, ubi major plerumque, aut certè melior ſeges.

Optavi etiam plus una vice exoriri apud Vos, qui *Dictionario della Cruſca* adjiceret, quod *Gallicæ Academiæ* adjecit *Cornelius* cum aliis quibusdam, nempe *Lexicon Vocabulorum Technicorum*, horum enim notitiâ, & explicatione, etiam rerum cognitio augetur, nam verba propria, formæque loquendi artificum, plerumque rebus ipſis accommodabuntur. Quod ſi aliquis (præter *Alumnum* in *Fabrica*) aliquid ejus generis præſtiterit, id tuo indicio diſcere optem: quemadmodum, an fuerit, qui verba alia per Provincias Italiæ diverſas annotarunt. Te enim omnis hujus doctrinæ promum condum tale fugere nihil poteſt.

EPISTOLA XXXV.

EX literis tuis, ſanè gratiſſimis, poſt longum ſatis intervallum vigere te, ac mei meminiſſe lætus intellexi; perculſus plus ſemel vano rumore obitus tui, quem precor, ut in ſeros longinqui temporis annos differant amica fata. Apud nos proverbio celebratur falſæ mortis famam longæ vitæ prænuntiam eſſe: id proverbium, ut in te ſit veriverbium opto.

Nondum ad me pervenit vel Epiſtola, vel Libellus R. P. *Grandi* (cc), quem amico neſcio cui mihi tradidiſti; non dubito tamen, quin ille datam fidem ſit liberaturus, atque adeo tibi jam tum gratias ago, & peto, ut pro me agas in anteceſſum apud autorem, donec vel Epiſtola, vel Libro redditis, habeam ipſe, quod Viro egregio reſcribam materia ex re ſuppeditata.

Audio Rev. *Blanchinium*, quædam mihi deſtinaſſe per amicum, qui nunc Romæ verſatur; in iis ſpero fore, quos memoras, ejus libros novos.

Neſcio annon poſthuma quædam Eminentiſſ. *Noriſii* adhuc expectare liceat, id verò nemini exploratius erit quàm tibi.

Laboratur nunc in perficiendo *Magno Numiſmatum opere Morelliano*; nam multa nummorum veterum millia delineata reliquit *Andreas Morellius*. V. Cl.

(cc) Guidonis Grandi *Quadratura Circuli & Hyperbolæ per infinitas Hyperbolas & Parabolas Geometricè exhibita: Hyperbolæ dimenſio ope Tractoriæ; & innumerarum Parabolarum, Hyperbolarumque rectificatio.* Piſis 1703. in 8.

V. cl. partim æri inſculptorum, partim adhuc inſculpendorum, ſed deerunt innumeræ annotationes, & obſervationes quas additurus erat *Morellius* ſi vixiſſet.

Multæ *Peireſkii Epiſtolæ*, *& ad Peireſkium* edendæ erant Genevæ, ſed vel Bibliopolarum ſordibus, neſcio, qua alia cauſa pendet conſilium interruptum.

Cl. *Tenzelius*, nunc apud Regem Poloniæ, Saxoniæ Electorem ſtationem Dreſdæ non aſpernendam habet, atque ibi in Hiſtoria Saxonica ornanda ſtrenuè pergit. *Beichlingi* Comitis, primi Regis Adminiſtri, caſu nutabat fortuna ejus; quoniam ab eo erat accerſitus: at Rex de viri doctrina certior factus, hunc prope unum ex Beichlingianis Clientibus conſervavit.

Nicolai Henelii V. cl. *Sileſiographia* olim edita, nunc multo auctior ex poſthumis Auctoris ſchedis emiſſa eſt a Viro docto, qui plurima adjecit de ſuo. *Martini* etiam *Hanckii* V. cl. *Hiſtoria Sileſiæ*, jam ſub prælo eſt.

Olearius Lipſienſis Profeſſor Theologi filius ineditam *Syneſii orationem in Julianum* in lucem emiſit; & nunc *Philoſtrati Imagines* prælo ſubjecit.

Alius *Olearius* nummos quoſdam emiſit veteres Germanicos Bracteatos, quibus Hiſtoria medii ævi ſubinde illuſtratur: in illis nonnulli ſunt Brunſvicenſes.

Ego Deo volente integrum volumen in folio (ut vocant) emittam in lucem Scriptorum veterum res Brunſvicenſes illuſtrantium, quorum magna pars non eſt edita, pars prodiit, ſed a me ex manuſcriptis auctior, & emendatior editur: pars denique in pauciſſimorum manibus habetur. Omnes hi Scriptores vixere ante annum 1500. plerique latini ſunt, unus Italicè ſcripſit, aliquot Saxonico ſermone antiquo. In his computo veteres Scriptores nonnullos, qui res antiquorum Italiæ Marchionum, & Ducum, ex quibus Brunſvicenſes ſunt prognati, aut qui ex eadem ſunt ſtirpe, tractarunt. Itaque *Domnizonem de Vita Mathildis* veſtræ multo correctiorem edito eidem volumini inſeram, adjungamque ineditum in proſa ſcriptorem *de Vita Mathildis* veterem, quem debeo Cl. *Florentino Franciſci Mariæ* filio a te mihi olim conciliato.

Non dubito, quin a te multa hujus generis ex veſtris monumentis, & Bibliothecis, tuiſque aut amicorum tuorum theſauris mihi ſuppeditari poſſent, ſi ſatis communicari inter nos conſilia locorum diſtantia permitteret, aut ſcripti Hiſtoricorum manuſcriptorum indices haberi poſſent. Sanè ex Ambroſiana Bibliotheca nactus ſum egregium monumentum *Arnulphi de rebus Mediolanenſis Eccleſiæ*, in quo ſunt nonnulla in rem meam. Si doctiſſimus in his ſtudiis *Arena* veſter viveret, eſſent credo, quæ ab ipſo ſperare fas eſſet. Germania, Gallia, Anglia certatim contulere, quæ in rem ſunt meam. Ex Italia nactus ſum quædam cùm illic verſarer; ſed non dubito haberi inde poſſe multo plura; ſi vel meæ ætatis, aut commoditatis eſſet, vel temporum ratio permitteret apud vos coram denuo inquirere; nam nunc multa comperi, quæ in Italia agenti nondum erant explorata.

Nunc ad Epiſtolæ tuæ appendicem venio, in qua non ſine admiratione, atque indignatione legi, tantam ſibi licentiam ſumere quoſdam in aliorum famam publicè laceranda; ut ne tibi quidem pepercerint, quem de re literaria publicè, & de Viris literatis privatim tantopere, ac toties benemeritum, nulli gravem, aut noxium fuiſſe conſtat. Hoccine eſt pro meritis gratiam rependere? Sed jamdudum Reſpublica Literaria omnem antiquæ diſciplinæ ſeveritatem in ſolutiſſimam licentiam commutavit! Magis tamen miror tale quid proficiſci potuiſſe a Viris religioſius vitæ inſtitutum profeſſis, & qui latere non poſſunt, neque volunt (dd). Equidem omnino a ſuperioribus curandum, puto, ut tibi ſatisfiat, & freno quodam coerceatur intolerabilis maledicendi libido. Itaque ego ipſe, qui uſque adeo te amico glorior, prima quaque die ſcripturus ad Reverendiſſ. Patrem *Verjuſium Lachaiſii* Socium, & Gallicarum ex Societate Jeſu Miſſionum propagandæ Fidei directorem, qui mihi ſubinde nova Sinica ſuppeditari curat, tangamque hoc ulcus, oſtendamque quantum exigat ipſa cura honeſtatis publicæ, ne dicam caritatis Chriſtianæ, ne talia negligantur.

Literas nuper Pekino accepi a R. P. *Boureto* Societatis Jeſu, Viro docto, & bene animato, quas mihi miſit ſuis incluſas R. P. *Fontaneius*, qui hoc ipſo vere proximo ex Sinarum Regno in Galliam eſt reverſus; & ſperare nos *Tabulas Geographicas Tartariæ Sinis vicinæ* jubet ex *Gerbillonii* obſervatis. Quod ſupereſt, vale, ac fave adhuc diu.

Dabam Hanoveræ 12. *Auguſti* 1704.

EPISTOLA XXXVI.

INvito te, icona tuam accepimus. Eam ni fallor Sereniſſimus Cardinalis *Mediceus* miſit ad Sereniſſ. Electricem Brunſvicenſem: Pictoris nomen adſcriptum non eſt, ſed tuum, & in libro appoſito leguntur hæc verba: *Biblia Polyglotta.* Magnopere dolendum non adveniſſe cùm Regina Pruſſorum viveret. Amiſimus in ea Principem Divinam, in qua ſpecies cum ingenio certabat, virtus cum ſapientia. Meus peculiaris eſt maximuſque certè dolor in publico luctu, nam ſi dicam quantum illa mihi fecerit, quàm ægrè a ſe dimiſerit, quantum in colloquio cum ea de rebus graviſſimis ſubtiliſſimiſque ſuavitatis fuerit, vereor ne jactantiæ accuſer. Certè nuntius jacturæ noſtræ (nam Berolini tunc eram, nec ſtatim potueram Hanoveram euntem ſequi:) quo nihil poterat venire inexpectatius, ita me perculit, ut non multum a morbo periculoſo abeſſem, & ita perturbatus fui aliquandiu, & per varia diſtractus, ut ſero demum redierim ad literas, & amicos. Tu inter primos es cui ſcribo. Ad picturam tuam revertor: ea profectò egregia eſt. Eam Sereniſſ. Dux *Antonius Ulricus* nobis invidet; vellet

(dd) Editores Ephemeridum Literariarum Trevoltientium.

vellet enim, & ipſe nanciſci quam in celeberrima ſua Bibliotheca, Auguſta ſcilicet Guelferbytana, quæ nunc morte fratris ad ipſum ſola rediit, dedi et. Hæc mihi ſignificari curavit. Ego ad te redeo, nec video cur negare velis tanto Principi, quod alii te invito habent. Itaque ſi pateris, eumdem rogabimus *Dandinum*, vel alium, ut te pingat Duci; inveniemus amicum qui rem curet.

Thomas *Rhymerus*, Vir apud Anglos inſignis, mei *Codicis Diplomatici* aſpectu excitatus, ut ipſe ad me ſcripſit, Diplomata Regia in Archivis Monaſteriienſibus, Turriſque Londinenſis excuſſit, atque inde jam duos Tomos edidit. Primus jam advenit, alterum expecto miſſu ipſius.

Jacobus etiam *Tyrellus* novum Hiſtoriæ Anglicanæ volumen edidit, quod ab ipſo expecto, jam enim priora ad me miſit.

Nihil ne exſtat in manuſcriptis Bibliothecæ Mediceæ, aliisque Florentinis, quod ſit ſcriptum antiquo aliquo ſermone Teutonico? Id ſi eſt, indicium ejus aliquod mihi fieri opto.

Aiunt D. Abbatem *Lucenti* occupatum eſſe in Opere *Italiæ Sacræ* rurſus edendo. Non dubito quin multimodis ejus opera auctiorem ſimus habituri. Alius quidam Vir doctus dicitur acturus *de Italicis Abbatiis*, *& Monaſteriis* aliis. Nam quæ *Lubinus* de eo argumento edidit, non ſatis plena ſunt.

Diu eſt quòd nihil intellexi de R. P. *Bacchino*. Vereor etiam, ne poſt cladem Mutinenſem Mediolanum redierit Vir doctus, quem Dux Bibliothecæ ſuæ præfecerat.

Cl. *Zenus*, qui de *Origine*, *& Viris eruditis familiæ Treviſanæ* (ee) ſcripſit, ſpero egerit in libello ſuo de celeberrimo illo inter Chymicos *Bernardo Treviſano* (ff), qui pro Adepto, ut vocant, apud ipſos paſſim habetur, cujus & libri extant ænigmatici, ut mos eſt talium auctorum.

Accepi, & cum voluptate legi R. P. *Grandi* libellum *de Quadraturis* ingenioſum certè, & qui facit, ut aliis duoque operibus ejus nihil vulgare expectem; quemadmodum, & ab egregio Juvene *Gabriele Manfredo*. Literas meas ad *Grandium* hic adjectas, rogo ut curare velis.

Venit in mentem quærere, an D. *Gronovius*, cùm apud vos eſſet, totum *Pandectarum Florentinorum* Codicem cum edito contulerit; ſi abſolvit, eſſet auctoritate tua impellendus, ut tandem aliquando collationem daret in lucem, ne Sereniſſimi Magni Ducis benignitas male collocata videatur.

Nicolaus Witſenius Conſul Amſtelodamus, Vir maximorum in literas meritorum, ſcribit mihi in eo ſe eſſe, ut opus *Rerum Septentrionalium* edat, quo Moſchica, & Tartaria egregiè illuſtrabuntur. Ego adhuc literas a

RR. PP.

(ee) *Apoſtolo Zeno: Lettera diſcorſiva a Giuſto Fontanini intorno alla grand' opera delle Meditazioni Filoſofiche del Sig. Bernardo Treviſano. Venezia per Ant. Bortoli* 1704. in 8.

(ff) *Bernardus Treviſanus* magni nominis inter Alchemiæ Scriptores: nil commune habet cum Nobili Veneta *Treviſanorum*, ſive *Tarviſinorum* Familia.

RR. PP. Jeſuitis ex Regno Sinarum ſubinde accipio. Cura valetudinem, Vir eximie, & me amare perge.

Dabam Hanoveræ 21. *Julii* 1705.

EPISTOLA XXXVII.

Diu eſt, quòd nihil de te intellexi: interim valere te ſpero, & florere, etſi interdum rumores diſcurrant, quos toties falſos magno meo gaudio didici. Ego nunc Berolinum excurri, tum ut intereſſem nuptialibus gaudiis Sereniſſimæ Principis Hanoveranæ, quam Regius Pruſſorum Princeps duxit, tum ut res *Societatis Scientiarum* a Rege fundatæ curare pergerem: non tamen licebit hic diu morari, cùm negotia mea Hanoveram revocent.

Literaria commercia paulo languidius colo, per alia diſtractus. Accepi tamen miſſu Auctoris tomum inſignis operis renovati priorem, *de Uſu, & Præſtantia Numiſmatum*, quod ultra duplum crevit. Magnum editionis apparatum in eo publicat Illuſtriſſ. *Spanhemius*, & faſtigium quodammodo huic ſtudio imponit, cujus ipſe ante tot annos fundamenta jecit. In eo erat ut ad vos rediret, jamque Orator Regis Pruſſorum Sereniſſ. Magnæ Britanniæ Reginæ vale dixerat, navimque conſcenderat; cum novis Berolino mandatis acceptis, in aulam Londinenſem regreſſus eſt: unde Reſpublica Literaria hunc fructum capiet, ut alter tomus præſente Autore a Typographo Anglo, non minùs bene edatur, quàm prior.

Suidam Cl. *Neocori* inſcriptum Regi Pruſſorum, tibi viſum puto, & placere arbitror. Fortaſſe nunc de *Heſychio* edendo cogitabit. *Joh. Erneſtus Grabius* Pruſſus, ſed in Anglia degens, cujus nonnulla ad *Primas Eccleſiæ Antiquitates* pertinentia jam prodiere, id nunc agit, ut *Septuaginta Interpretum verſio* ex celeberrimo illo Codice Alexandrino edatur, qui in Bibliotheca Regia Londinenſi extat, & cui *Epiſtolam S. Clementis ad Corinthios* debemus.

Deviſerus Gallus *Mercurio* ſuo elegantiarum promocondo notus Vitam Regis Chriſtianiſſimi edidit, ſed magis mole quàm pondere ingentem; inſunt tamen quædam non ſpernenda.

Cæterum has ad te literas perventuras ſpero per Principem juventutis *Saxonico-Meinunganum* magnæ utique ſpei. Natus eſt filia Sereniſſ. Ducis Guelferbytani *Antonii Ulrici*, cujus notiſſima eſt virtus, & doctrina, & inter Principes exemplum facit. Huic rem gratiſſimam facies, ſi cariſſimum nepotem beneficiis tuis ornes, & non Florentiæ tantùm ope & conſiliis juves, ſed & alibi amicis commendes.

Quantum eo nomine tibi debiturus ſim, utinam oſtendere poſſe ſperarem. Quod ſupereſt, vale, Vir eximie, & mihi fave.

Dabam Berolini 30. *Novembr.* 1706.

EPIS-

EPISTOLA XXXVIII.

NOn optimam eſſe valetudinem tuam, & præſertim oculos interdum dolere, non ſine meo dolore intellexi. Mea quoque valetudo vacillare incipit: ita quam optant omnes longævitatem incommodis luimus. Medicorum ars (imperfectiſſima hactenus) rarò ſuccurrere poteſt, ita ut nihil aliud ferè nobis relinquatur, quàm patientia, & vota. Nec vota, preceſque planè inutiles ſunt, dant enim animos, & implent imagine meliorum: quin etiam non ſemper irrita cadunt, præſertim quæ a bono animo proficiſcuntur. Itaque quod Deum precor ut te diu nobis ſervet, & valetudinem optatam reddat, eoque novum annum auſpicor, tibi non diſpliciturum puto.

Cùm nuper Czarigenæ Principi Sereniſſ. Ducis *Antonii Ulrici* ex filio Nepotis Torgaviæ deſponderetur, affui, & magno Ruſſorum Monarchæ ſum locutus, qui laudatiſſimo ſtudio ſcientias in gentem ſuam transferre tentat: Cui inſtituto, ut par eſt, applauſi. Eſt quoddam ſcientiarum velut iter, quæ a Chaldæis, Ægyptiis, Phœnicibus, ad Græcos & Romanos, inde ad Arabas profectæ ſunt: deinde in Occidentem redierunt, nunc viam in Septentrionem affectant.

Nihil magni nunc fit in literis. Memorari tamen merentur vetera monumenta Pariſiis nuper effoſſa, quæ quaſdam Gallorum veterum Divinitates oſtentant. Inter alios exhibetur Deus quidam cornutus, cui aſcripta vox KERNVNNOS, quæ vox ipſo Aremorico ſermone, & propemodum etiam Germanico, cornutum ſignificat, nam *Kern* idem eſt quod *cornu*, Germanis *horn*. Ex hoc nomine hujus Dei derivo nomen Germanicum menſis Februarii HORNVNS, cujus etymologia hactenus fuit ignota, credoque huic Deo ſacra a Germanis, & Gallis facta menſe Februario. An autem *Bacchum*, an *Panа*, vel *Faunum*, vel alium Deum Romanis planè ignotum intellexerint, ampliùs inquirendum erit.

Schminkius ex Haſſia juvenis doctus edidit *Eginhardi Vitam Caroli* M. cum notis variorum, ſuis inprimis; opuſque ex Batavis ad me miſit.

Eſt in vicinia noſtra Abbatia celeberrima *Quedlingeburgenſis* Principatus Axiomate inſignis: de ejus antiquitatibus nuper librum edidit *Kettnerus* Eccleſiarum loci ſuperintendens, & ad me tranſmiſit. Quod ſupereſt vale, ac fave.

Dabam Hanoveræ 29. Decembr. 1707.

EPISTOLA XXXIX.

Literas tuas magna cum exultatione mea accepi, qua non tantùm valere te optimè (invita fama, qua nihil mendacius) ſed & mei benevolentiſſimè meminiſſe intellexi.

In primis jucunda fuere, quæ memoraſti de tuo congreſſu cum elegantiſſimo *Walthero*, noſtro amico veteri, Coſmopolita nuper, nunc Dano, ſed quem omnis Europa Daniæ invidet. Viſus mihi ſum adeſſe vobis colloquentibus, & liquidiſſima illa voluptate una frui, quæ perfundit amicos animo candidos, ingenio liberales, moribus faciles, ſtudiis imbutos, cùm poſt longum intervallum redeunt in conſpectum. Gratias multas habeo quòd mei non obliti eſtis. Ego nuper ad D. Baronem *Walthernm* ſcribens, memoravi quanto cum ſenſu jucunditatis colloquii veſtri noviſſimi in literis ad me meminiſſes. Optavi autem ut ſæpe adhuc frui poſſitis hoc Dei beneficio, mihique aliquando intereſſe liceat.

Nunc tibi juvenem non vulgaris ſpei commendo: *Buerius* eſt Equeſtri in Mecklenburgicis Familia, ad præclara aſpirans, Antiquitatum in primis, & in his veterum Nummorum ſtudioſus. Tales cui, quæſo, meliùs mittantur, quàm tibi omnis doctrinæ, ſed antiquæ maximè promocondo.

Chriſtianus Wolterecius Lipſiæ agens quaſdam *Diſſertationes de Re Veterum Numiſmatica*, magnam partem ex Gallico a ſe latinè factas, uno faſciculo edidit, eique *Schediaſma* quoddam meum *de Nummo Gratiani*, *in quo Gloria novi ſeculi*, occaſione novi Pruſſiæ Regni (hoc ſeculo ineunte conſtituti) ſcriptum, me quidem inconſulto, inſeruit, quemadmodum animadverti, ubi faſciculum ad me miſit.

D. *Fontana* Eques Anglus cùm mihi mitteret Nummos Anglo-Saxonicos a ſe explicatos, ſpem fecit veterum quoque Britannicorum colligendorum, atque illuſtrandorum.

Amſtelodami *Barryus* qui Hiſpali diu Batavorum Conſulem egit, Nummos Hiſpanos veteres (partim linguæ gentis perditæ reliquias oſtendentes) poſt *Johannem Laſtanoſam* Luſitanum jam edere molitur, ſpemque lucis in hanc literaturam inferendæ facit, quam impleri opto. Utinam aliquis omnia genuina veteris literaturæ Hetruſcæ monumenta collecta daret, illuſtraretque! De *Tabula Eugubina* judicium tuum neſſe velim. Mihi ſuſpecta eſt. Vale, & fave.

Dabam Hanoveræ 29. Junii 1709.

EPISTO-

EPISTOLA XL.

NEmo elegantior Ultramontanorum (ut vos appellatis) te inviſo, Italiam ſibi rectè viſam putat. Itaque parens Juvenis illuſtri loco nati has ad te literas curaturi a me petiit, ut aditum Filio ad te impetrarem. Eſt ille Dom. de *Steinberg* apud Sereniſſ. Ducem *Welferbytanum* unus ex Primariis Statûs Adminiſtris, qui gaudebit Filium in itinere inſignes Viros ſalutare, quorum in numero cum paucis tu præmines fama, meritiſque, nec cuiquam humanitate concedis. Itaque parum neceſſaria eſt mea commendatio: volui tamen occaſionem arripere teſtandi, quam te colam, & quam gaudeam te valere, ac mei benevolè meminiſſe.

Quem librum per Illuſtriſſ. *Walterum* noſtrum mihi miſſum ſcribis, vidiſſe non recordor, itaque error aliquis intervenire potuit.

Eſt nunc in Aula hac (id eſt Guelferbytana, ubi nunc per aliquot dies verſor) Dom. Abbas *Giardinius* a Sereniſſ. Duce Mutinenſi in Germaniam miſſus, ut jus ſui Principis Imperiique in Comachum oſtendat uberius, & viva voce commendet. Romanorum de hoc argumento ſcriptorum non niſi primum vidi, cui titulus eſt: *Dominium Temporale in Comachum* &c. cui oppoſitæ fuere *Obſervationes Mutinenſes*. His per bina ſcripta a Romanis replicatum aiunt, ſed audio, mirorque, ea propemodum occultari ab ipſis illis qui edi curarunt, & in paucorum manus veniſſe. *Mutinenſis duplicatio* ſanè erudita a Dom. *Giardinio* mecum communicata eſt.

Dom. *Baſnagius* Theologus Roterodamenſis pergit in inſtituto, quo ſibi propoſuit renovandi *Antiquas Lectiones Caniſii*, *& Spicilegium Dacherii*, uterque enim liber jam rareſcit.

Dulſeckerus Bibliopola Argentoratenſis *Freherianos Rerum Germanicarum Scriptores* recudere parat.

Joh. Petr. Ludovicius JCtus Hallenſis Diſſ. elegantem *de Antiquis Germanorum Nummis* ad me miſit. Idem *Conradum I. Regem Germaniæ* illuſtravit.

In Gallia id agitur, ut opus *Annalium Hiſtoriæ Francorum Eccleſiaſticæ a le Cointio* aliquouſque productum continuetur.

Nova ab Oriente arma ſpem pacis publicæ, & Literarum profectus in longum differunt, nec conſtat quid Deus paret, cujus voluntati non tantùm neceſſario, ſed & libenter parere nos decet. Ejus te tutelæ in multos annos commendo, ut meliora tempora attingere poſſis. Vale.

Dabam Guelferbyti 28. *Decemb.* 1710.

EPISTOLA XLI.

NUper literas ad te perferendas miſi nobili juveni *de Steinberg*; ſed quia ille fortaſſe non tam ſubitò Florentiam veniet, his præſentibus teſtari volui, quàm gaudeam te nobis ſupereſſe, cui & his anni novi auſpiciis multos annos alios fauſtos fortunatoſque precor.

Illud diſplicet, oculos tibi ex acri fluxione dolere. Amicus quidam meus cantharidibus in cervice appoſitis a ſimili malo liberatus eſt; ſed difficile eſt ab exemplis rectè argumentari: habetis inſignes Medicos quorum conſilio diſpicies, an tale remedium tuo malo convenire poſſit.

In *Hiſtoria Florentina Scipionis Ammirati*, quæ Florentiæ Anno Dom. 1647. in fol. cum additionibus Junioris *Ammirati* prodiit, reperio libro I. ad ann. 896. *Adalbertum* filium *Adalberti*, Marchionem Tuſciæ *Albino* Epiſcopo Volterrenſi, & Eccleſiæ S. Octaviani dediſſe juriſdictionem Berignonis, Caſoli, Monteri, Saſſi, & Marcianæ 1. Septembris Ann. 896. Optem poſſe impetrari a Volaterranis totum tenorem hujus Diplomatis, ideo inprimis, ut diſcam, an in eo ſe *Adalbertus Longobardum genere* dicat, ut innuit *Scipio Ammiratus*. Et gratum foret etiam noſſe, an ſcriptura authentica adhuc extet. Itaque valde rogo, ut per amicos apud Volterranos in hanc rem inquirere velis.

Reverendiſſ. Dom. Abbatis *Johannis Pauli de Nurra* Canonici Calaritani *Diſſertatio Epiſtolaris* (*gg*) quam ex voluntate ejus ad me miſiſti, nunquam perlata eſt. Non eo minùs tamen inſigni illi Viro me obſtrictum profiteor, & gratias ago; quemadmodum & tibi. Quod ſupereſt, vale, & fave.

Dabam Hanoveræ 4. *Januar.* 1711.

Gratias etiam ago pro tranſmiſſa *Diſſertatione Ramazziniana de Barometris* (*hh*), in qua meam ſententiam probat.

Fuit in hac Aula, aliiſque Dom. Abbas *Giardinius* a Sereniſſimo Duce Mutinæ ad demonſtrandum Jus ejus in Comachum miſſus. Is mihi novum opuſculum Italico ſermone conſcriptum dedit, quo obſervationes antea editæ contra impugnantes defenduntur. Viennæ quidam Conſiliarius Imperatoris Jus imperii in Comachum peculiari ſcripto aſſeret. Tota *collectio mea ſcriptorum Brunſvicenſia illuſtrantium* tribus Tomis in folio intra paucos menſes, Deo volente, prodibit in lucem. Non inſeruntur auctores recentiores, ſeu qui poſt Reformationem *Lutheri* ſcripſere.

EPISTO-

(*gg*) Jo. Pauli Nurræ *Epiſt. ad* Ant. Magliabechium *de varia Lectione Adagii* Βαμμα Σαρδονιακον, *Tinturæ Sardiniacæ*, *Florentiæ* 1708. in 4.

(*hh*) Bernardini Ramazzini *Ephemerides Barometricæ Mutinenſes, addita controverſia quam cum* Gunth. Schelhammero *habuit*, *Patavii* 1710. in 12.

Digitized by Google

EPISTOLA XLII.

CUm magna tua ſit in Germanos omnes benignitas, me tamen præcipuè afficit, quòd commendationes meas aliquid apud te valere, tam crebrò tamque efficaciter oſtendis. Senſit hoc Nobiliſſimus *Behrius* ex Mecklenburgico tractu ornatiſſimus, doctiſſimuſque Juvenis, qui tuæ effuſæ humanitatis multo cum ſenſu grati animi ſæpe memoriam recolit, & nunc fratrem non imparem eadem experturum ſperat. Hunc ego tibi etiam atque commendo, rogoque ut tuam ei benevolentiam, tuam opem patere velis. Quanquam id pro eo petere ſuperfluum ſit, qui ab ipſa natura, doctrinaque, vivas fert commendationes. Itaque ego non tam ipſi velificor, quàm mihi, occaſionemque te per literas adeundi novam, & tibi pro propenſione tua gratam, mihi datam gaudeo; ut intelligas quamdiu vixero, vivam apud me fore memoriam beneficiorum tuorum, certantisque cum humanitate doctrinæ.

Literæ in his turbis penè frigent, & penè unus in Gallia *Bignonius*, in Italia *Magliabechius*, in Batavis *Cuperus*, in Germania *Fabricius*, ſiſtunt fugientes.

Vidiſti opinor, quæ *Baudelotus*, aliique edidere de veteribus quibusdam monumentis Celticis ex fundamentis ædis Cathedralis Pariſinæ erutis. Ibi Deus HERNUNNOS legitur, ſpectaturque cornua gerens. Et conſtat KERN Wallis & Aremoricis veterum Gallorum reliquiis, idem eſſe quod Græcis Κέρας, Latinis *cornu*, Germanis *Horn*. Inde judicavi ab hoc Deo, hactenus ignoto, menſem Februarium veteribus Celtis, id eſt Germanis, Galliſque dictum *Horung*, quod vocabulum Germanis manſit. Quis etymologiam hujus menſis Germanicam ex ruinis Pariſienſibus erui poſſe credidiſſet?

Quod ſupereſt, vale diu, & ſemper fave.

Dabam Viennæ Auſtriæ 17. *Januar.* 1713.

G. G. LEIBNITII ANNOTATIUNCULÆ SUBITANEÆ AD TOLANDI LIBRUM

De Chriſtianiſmo Myſteriis carente.

Conſcriptæ 8. Auguſti 1701.

LIber Anglicana lingua ſcriptus, ſæpe auditus mihi, nondum viſus, *de Chriſtianiſmo myſteriis carente*, cùm nuper in manus meas veniſſet; non potui temperare mihi quin perlegerem ſtatim, & more meo aliquas notatiunculas in chartam conjicerem inter legendum, quod non rarò facio cùm Libri occurrunt ſingulares. Hunc certè ingeniosè ſcriptum eſſe fateri oportet. Et, cùm caritas non ſit ſuſpicax, ego mihi libenter perſuadeo, ſcopum Autoris, viri doctrina & ingenio non vulgari præditi, & ut arbitror bene animati, fuiſſe ut homines à Theologia theoretica ad practicam, à diſputationibus circa perſonam Chriſti ad ſtudium imitandæ ejus vitæ revocaret; etſi via, qua ad hunc ſcopum ivit, non ſatis recta aut plana ubique videatur. Equidem Theologiam verè Chriſtianam, eſſe practicam conſtat, & primarium Chriſti ſcopum fuiſſe potiùs inſpirare voluntati ſanctitatem, quàm intellectui immittere notiones veritatum arcanarum.

Non tamen ideò negari debet, per Chriſtum nobis revelatas fuiſſe divinas doctrinas quas ratio perſpicere non poteſt, & cavenda mihi videntur non tantùm quæ ſectarias opiniones Theologorum fovent, ſed etiam multo magis quæ Clerum Reformatum plebi odioſum reddere aut in contemtum adducere poſſunt; quòd genus ſectæ omnium periculoſiſſimum foret, nam turbas dare poſſet, quibus alimenta ſubminiſtrare alieniſſimum eſſe arbitror à mente autoris, qui ut virum probum decet ſuas cogitationes ad bonum reipublicæ dirigere velle profitetur. Certè errores & abuſus qui irrepſêre in Eccleſiam, non tam Cleri artibus, quàm temporum vitio tribui debent; ipſamque autoritatem Pontificum nimiam, paulatim enatam conſtat circumſtantiis faventibus, & caſu interveniente ut ſolet. Præterea illis temporibus quibus ſolus ſapiebat Clerus, cæteri verò omnes ingenui homines militares erant; non abſurdum erat, militare imperium ſapientum, id eſt Cleri, autoritate temperari.

Titulus ipſe Libri mihi videtur longiùs ire quàm par eſt, nam ita habet:

bet: *Chriſtianiſmus myſterio carens, hoc eſt Tractatus oſtendens nihil ineſſe Evangelio contrarium rationi, nihil ſupra rationem; atque adeo nullam Chriſtianam doctrinam myſterii nomine propriè loquendo appellari poſſe.* Equidem omnes fatentur nihil ineſſe debere Theologiæ Chriſtianæ quod ſit contrarium rationi, id eſt abſurdum; ſed eidem nihil ineſſe quod ſit ſupra rationem, id eſt, quod ratione noſtra comprehendi nequeat, non video qua probabilitate dici poſſit; cùm ipſa divina natura, quæ infinita eſt, neceſſariò ſit incomprehenſibilis: quemadmodum & in omnibus ſubſtantiis aliquid ineſt infiniti, unde fit ut a nobis perfectè intelligi poſſint ſolæ notiones incompletæ, quales ſunt numerorum, figurarum, aliorumque hujuſmodi modorum à rebus animo abſtractorum. Fateor eſſe nobis, ut optimè obſervat autor, diſtinctam quandam infiniti (per ſe ſcilicet ſeu abſoluti) notionem; ſed non eſt nobis finito intellectu præditis, infinitarum varietatum diſtincta conſideratio, qua tamen in rebus præſertim divinis comprehendendis perſæpe opus foret. Itaque miror initio ſtatim Libri, in præliminari formatione ſtatûs controverſiæ, improbari eos qui dicunt: „adorandum eſſe quod nequit comprehendi;“ quo tamen pronuntiato nihil mihi videtur eſſe certius: niſi ſcilicet comprehenſionem, ut alicubi cl. Autor facit, (*ſect.* 3. *cap.* 2.) ita interpretemur, ut nihil aliud ſignificet quàm cognitionem; qui tamen ſenſus non eſt uſitatus, nec proinde in populari uſu facilè adhibendus.

AD SECTIONEM I.

Venio ad Libri contenta primaria, & Sectionem quidem primam *de Ratione*; ubi *Capite* 1. autor ingenioſus ait *eſſe in nobis facultates formandi ideas ac perceptiones rerum, affirmandique aut negandi prout eas inter ſe convenire aut diſſidere perſpicimus; atque inde amandi ac deſiderandi bona, aut contrà odio habendi fugiendique mala.* Et legitimum harum facultatum uſum eſſe *Senſum communem* aut *Rationem in univerſum.* Hanc ego definitionem libenter concedam, quia bonum ſenſum admittit. Tametſi aliquid in ea deſiderari poſſit, dum non explicat in quo rectus ille uſus conſiſtat. Quod tamen hoc loco faciliùs excuſari poteſt, quia ſcopus autoris non eſt hæc tractare ex profeſſo. *Ideam* definit *immediatum cogitationis objectum*, quod ab aliorum quoque ſenſu non abhorret.

Capite 2. tractat in quo Ratio conſiſtat; aitque, *Cognitionem* eſſe *perceptionem conſenſus aut diſſenſus idearum*: in quo nonnihil hæreo. Videtur enim mihi id verum quidem eſſe in noſtra cognitione rationali, nempe ex ideis ſive definitionibus deducta, quam dicimus eſſe à priori, ſed non in cognitione à poſteriori ſumta, ſive experimentali; ubi ſæpe nullas diſtinctas ideas habemus, neque adeò conſenſum aut diſſenſum earum percipimus: ita (ut exemplo utar) experimento quidem cognoſcimus acida ſirupum violarum rubro colore tingere, ſed nullam perſpicimus conſenſionem

nem idearum, quas acidi & rubri & violacei distinctas nondum habemus. Solius DEI est omnia deducere ex mentis suæ ideis. Quæ adduntur de duplici *cognitione* (rationali scilicet) *immediata* & *mediata*, laudo; etsi altiùs penetrandum putem, ut res sufficienter explicetur, quod fateor hujus loci non esse.

Caput 3. sine Annotatione transmittere posse mihi videor.

In *Capite* 4. admittere possum *fundamentum persuasionis esse evidentiam*, modò abusus hujus doctrinæ absit. Etsi enim id de quo persuasi sumus non semper sit evidens; debet tamen evidentia intervenire in modo persuadendi. Verbi gratiâ, evidens esse nobis debet autoritas eorum quibus credimus aliquid contigisse, quod tamen quomodo factum sit non semper perspicimus. Ita qui ignorant quomodo Hydropota intra breve temporis spatium ex ore magnam copiam lactis, atramenti, cerevisiæ, vini rhenani, vini ex tellina valle, spiritûs vini, aliorumque liquorum in conspectu virorum perspicacium, & de propinquo intentorum emittere potuerit; rem tamen factam esse, non tam mihi (qui bis Hanoveræ vidi) quàm tot aliis mecum testibus oculatis credere possunt, eorumque errorem à scriptoribus nonnullis temere defensum deponere, quibus persuasum est non veros esse illos liquores sed simulatos tantùm & in speciem nescio quibus essentiis tinctos. Et hæc *Evidentia* in rebus fidei divinæ inest iis argumentis, quæ vulgò multi Theologi (minùs eleganter quidem) vocant *motiva credibilitatis*. Sed explicandum erat *Evidentiæ criterion*: multos enim vidi ad Evidentiam provocare ubi nulla erat. Itaque in Schediasmate quodam Actis Lipsiensibus inserto *De cognitione, veritate, & ideis*, (*a*) pro parte supplere conatus sum hunc defectum scriptoribus communem.

AD SECTIONEM II.

Clarissimus Autor *agnoscit neminem Theologorum quos norit, aliquid credendum docere, quod fateatur rationi contrarium; à plerisque tamen doceri, omnino fieri posse ut fidei dogma rationi contrarium saltem videatur*: quod ipse impugnat *capite* 1. ubi obiter annoto Evangelicis, quos (invitis ipsorum præstantissimis non paucis) *Lutheranos* appellat, non rectè imputari *impanationem*, nec ab omnibus ipsorum Theologis admitti *ubiquitatem*, vel potiùs omni-præsentiam carnis Christi. Rectè verò culpari *Socinianos* quòd *creatum quendam Deum introducunt divini honoris capacem*.

Quod attinet *communes notiones* quibus congruunt aut non congruunt divinæ veritates, jamdudùm distinxere prudentes Theologi inter eas quæ sunt metaphysicæ necessitatis, ubi contrarium implicat contradictionem, à quibus dissidere nulla divina veritas potest; & inter veritates physicas, quæ hauftæ sunt ab experientia, atque, ut sic dicam, ex consuetudine mundi, cui

(*a*) Vid. Pag. 14. Tom. II.

cui derogare Deum nihil prohibet, cùm etiam in naturalibus tale quid contingere ſæpe videamus, ut ipſe Cl. Autor infrà agnoſcit. Talis veritas eſt, maſſam ferream ſua natura in aqua deſcendere; quod tamen cùm non fiat, quoties ea arte in cavum lebetem formatur, quis dubitat multo magis Deo modos præſto eſſe idem efficiendi, dum naturæ arcana quadam ratione aſſiſtit?

Sed hoc miſſo, inſpiciamus an hîc res eodem redeat, ut ait Dn. Autor, *ſive contradictio ſit vera ſive apparens.* Id vero ego mihi perſuadere non poſſum. Equidem fateor, nobis regulariter ſequenda eſſe quæ apparent, & verorum locum tenere; ſed quoties plura apparent inter ſe contraria regulam neceſſariò ceſſare, & expendendum eſſe quænam veriſimilitudo magis ſit ſequenda. Ubi non tantùm ſpectandum eſt quæ ſententia ſit probabilior, ſed & quæ ſit tutior. Veluti ſi major mihi probabilitas lucrandi quàm perdendi proponatur; ſed lucrum ſit futurum exiguum, damnum verò ingens; ſitque multo major ratio damni ad lucrum quàm ſpei ad metum, rectiùs propoſita conditione abſtinebo. Ita ſi verba Domini faveant uni ſententiæ, & rerum ſpecies alteri, & verbo Domini potiùs ſtando rebus Domini nullum periculum creetur, à verbis autem recedendo periculum accerſatur mihi, profectò rectiùs verbis inhærebo neque recedam ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ prætextu τῆς διανοίας. Idque tanto magis verum eſt, quanto Dominus prudentior eſt & major; cùm etiam in re militari miles non impunè ſit laturus, qui verba mandati ab imperatore ſuo profecti ſine graviſſima cauſa deſerit. Cæterum *apparentem contradictionem* hic intelligo eam quæ re non ſatis diſcuſſa offertur; veluti ſi quis inſpectis obiter tabulis rationum ab agente in rebus redditarum, videatur ſibi errorem videre aut in calculo, aut in materia calculi: ille huic judicio ſuo fidere non debet, niſi examine ut par eſt iterato & diſcuſſione abſoluta confirmetur; cùm nihil in rebus impeditis ſit magis lubricum quàm judicium promtum.

Quod verò hoc loco dicitur *neminem credere poſſe niſi quod animo concipit*, verum eſt, ſi non nimium extendatur. Verba ſenſum aliquem habere oportet, ſed non ſemper neceſſarios eſſe conceptus diſtinctos, nedum adæquatos, experimenta oſtendunt (qualium & ſupra memini) quibus fidem adhibemus tametſi de multis ſenſuum objectis immediatis, (veluti coloribus, odoribuſque) diſtinctos conceptus non habeamus. Etiam in metaphyſicis cl. Autor noſter cum pleriſque aliis loquitur de *ſubſtantia* tanquam ſuſtentaculo, de *cauſa*, aliiſque multis; etſi diſtinctæ ſatis notiones vulgo fortaſſe deſint. Immo oſtendi alibi, eſſe quædam in ipſis primis Geometriæ notionibus non ſatis hactenus à Geometris explicata. Et quanto quiſque in meditationibus verſatior eſt, tanto magis hos defectus agnoſcit, animumque ad eam præſertim in ſacris modeſtiam componit, quæ neque exigat nimium neque polliceatur.

Cap. 2. dicitur *Revelationem eſſe tantùm modum informationis, non argu-*

mentum assensum extorquens ; cujus pronuntiati si is est sensus, Revelationem non plus habere autoritatis quàm magistrum cui credimus tantùm quia probat, aut quia rem per distinctos conceptus explicat, stare nequit. Nam Revelator non tantùm habet personam magistri aut docentis, sed & testis imò judicis irrefragabilis ; postquam scilicet constat, quòd revelans sit ipse Deus. Itaque etiam in humanis non semper opus est *evidentia in rebus* (quam cl. Autor requirit) modò sit *in personis*, ut de earum fide constet. Secus est in doctrinis quæ ratione constant, ut si magister me doceat Geometriam ; ibi enim locum habet, quod cl. Autor paulo generaliùs pronuntiare videtur, *fundamentum persuasionis meæ esse non autoritatem dicentis, sed claritatem conceptionis.* Illud utique verissimum est, nihil esse in divina revelatione quod non sit dignum Deo, qui summa ratio est : sed scimus tamen etiam in œconomia naturæ multa nobis visa esse absurda, ob nostram ignorantiam, quia in vero centro collocati non sumus, unde rerum pulchritudo spectari debet. Ita *Alphonsus* Rex, Astronomiæ studio insignis, ridiculè credebat melioris Systematis ideam se daturum fuisse, si à creatore in consilium adhibitus fuisset. Cùm tamen nunc, ex quo nos animo in solem (quem deprehensum est centrum esse hujus systematis) transferre didicimus, manifestum sit pulcherrimam esse rerum constitutionem.

Cap. 3. concedit cl. Autor, ut par est, *miracula à Christo fuisse edita* : sed hoc ipso, si quid judico, etiam concedit esse aliquid credendum in Christiana Religione quod sit supra rationem nostram : quid aliud enim miracula sunt quàm operationes quæ ex naturæ creatæ legibus quas intellectus creatus quantæcunque capacitatis percipere posset, derivari non possunt. De cætero bene disputat contra eos, qui Evangelistas & Apostolos malè & obscurè scripsisse putant de rebus quas scire oportet.

Cap. 4. respondet objicientibus *corruptam esse rationem nostram.* Hic mihi videtur rursus non malè disputare dum distinguit inter ipsam *Rationem* & *pravum* facultatis bonæ *usum*, uti distinguimus inter artem & artificem. Interim non ausim dicere quod habetur §. 31. *omnes nostras cogitationes planè liberas esse* ; arbitror enim in quantum nostra natura infirma vel corrupta est, in tantum nos servituti obnoxios esse. Et cùm mox disputat pro omnimoda *arbitrii libertate*, vereor ne longiùs procedat quàm res patiatur aut sit necesse. Sed ea quæstio hujus loci non est.

AD SECTIONEM III.

Cap. 1. Autor ostendit *Mysteria* apud Ethnicos significasse *ritus arcanos in quibus profani aut non initiati admitti non debebant* ; adeoque *mysterium* olim fuisse *rem non intellectam quidem, sed valde tamen intelligibilem si revelaretur.* Hoc non illibenter admisero. Gentilium enim Religio non tam in dogmatibus quàm ceremoniis consistebat, quæ quisque pro lubitu interpretabatur : unde fiebat etiam ut inter ipsos de religionibus non certaretur.

Cap. 2.

Cap. 2. obſervat *non ſtatim Myſteria eſſe, quorum adæquatas ideas aut omnium ſimul proprietatum notitiam non habemus.* In quo ipſi libens itidem aſſentior, alioqui enim etiam circuli & reliquæ figuræ forent myſteria. Sed illud jam quæritur utrum aliqua ſint Myſteria in natura? ubi aio ſi *Myſterii* voce intelligatur quicquid præſentem rationem noſtram ſuperat, innumera etiam phyſica myſteria deprehendi. Ita ſi quæratur an aquæ interior cognitio ſit ſupra noſtram rationem, reſpondeo eſſe ſupra præſentem: nondum enim à quoquam ejus texturam ſatis expoſitam puto; ſed tamen non deſpero poſſe aliquando explicationem dari quæ phænomenis ſatisfaciat. Sunt etiam multa ſupra rationem humanam poſita non noſtram tantùm, ſed & poſterorum, ſeu qualis ſcilicet non nunc tantùm exiſtit, ſed & unquam erit in hac vita quam in tertis degimus; etſi fieri omnino poſſit, ut ab aliqua creatura nobiliore intelligantur, & nobis etiam in nobiliorem ſtatum tranſlatis aliquando ſint futura intelligibilia.

Sed ſi quis *Myſterium* appellet quicquid eſt ſuprà omnem rationem creatam; auſim dicere, nulla quidèm phænomena naturalia ſupra rationem eſſe, ſed ipſas tamen ſubſtantiarum ſingularium comprehenſiones creato intellectui eſſe impoſſibiles quia infinitum involvunt. Unde fit ut rerum univerſi perfecta ratio reddi non poſſit. Et talia nihil prohibet eſſe etiam dogmata quædam divinitus revelata, ut nulla rationis vi ſatis explicari queant etſi animo utcunque attingantur atque etiam à contradictionis accuſatione ritè vindicari poſſint. Porrò *comprehenſionem* appello non tantum cùm diſtinctæ interveniunt ideæ, ſed & cùm adæquatæ; id eſt cùm non tantùm propoſiti termini habetur definitio ſive reſolutio, ſed & quivis terminus eam ingrediens rurſus reſolutus habetur uſque ad primitivos; ut in numeris experimur.

Cap. 3. oſtendere aggreditur etiam in Scriptura ſacra & libris primæ antiquitatis *Myſterium* vulgari Theologorum ſenſu incognitum eſſe. Adducit tamen ipſe locum *Pauli* 1. Cor. II. 9, 10. ubi dicitur *nec oculum vidiſſe, neque aurem audiſſe, nec in hominis cor intraſſe, quæ Deus amicis ſuis paravit.* Ubi videtur aliquid intelligi quod nobis ignotum eſt, non ideò tantùm quia nobis non eſt dictum, ſed etiam quia licèt nobis diceretur, percipi non poſſet niſi exaltarentur ſenſus noſtri & veniremus in rem præſentem per altiorem quandam experientiam: prorsùs ut cæcus de coloribus judicare non poteſt, etſi ipſi colorum doctrina exponatur, niſi oculi ejus aperiantur.

Cæterum illud bene notat Autor noſter, multa ignota fuiſſe Philoſophis & nuda ratione obtineri non potuiſſe, non quòd eſſent incomprehenſibilia, ſed quòd penderent à re facti nonniſi per divinam Revelationem cognoſcenda. In exemplum affert doctrinam de *lapſu Adami*, quæ difficultates tollat de cauſa peccati, quibus Philoſophi exercebantur.

Cæterum quod ait §. 30. *nihil magni præſtari ſi reveletur veritas incomprehenſibilis*, non puto ac ſemper jure dici. Sic in naturalibus quoque de-

tectio acûs magneticæ res magna eſt eritque, etſi operationes ejus perpetuò nobis inexplicatæ manerent. Eodem modo in Theologia veritas cujus ratio reddi nequit magni tamen ad ſalutis œconomiam momenti eſſe poteſt.

In 1. Tim. III. 16. videtur *Myſterium* etiam aliquid ampliùs ſignificare quàm *rem ignotam quidem antea, ſed revelatione facta facilem intellectu.* Nam cùm dicitur *Deum manifeſtatum in carne, viſum Angelis, receptum in gloria*, apparet intelligi quæ naturam creatam, vireſque rationis tranſcendunt.

Obiter annoto quod ait Dn. Autor §. 39. *veteres in pueritia mundi vixiſſe, & nos adultiore ejus ætate vivere, adeoque præſentia potiùs vetera eſſe dicenda*; veriſſimum equidem eſſe, & autoritati antiquorum detrahere in iis quæ ſunt ſcientiæ & experientiæ, ſed non in iis quæ ſunt hiſtoriæ ac traditionis. Manifeſtum enim eſt remotiores à fonte narrationes vel voce vel ſcripto propagatas fieri indies imperfectiores.

Cap. 4. Reſpondet objectionibus à locis ſcripturæ, item à natura fidei petitis, quibus nunc ut inhæream neceſſe non puto. Tantùm annoto quod dicitur §. 54. *Fidem eſſe ex auditu, ſed ſi quæ audiamus non intelligantur inanem imò nullam fidem fore*; eſſe quidem veriſſimum: ſed multum tamen differre intellectum verborum & comprehenſionem rei, ut etiam in naturalibus patet. Sæpe enim vel ideæ quas habemus, vel methodus ex ideis ratiocinandi quam habemus, non ſufficiunt ad connexionem ſubjecti & prædicati intelligendam etſi aliquam ſubjecti & prædicati notitiam præſtent. Etiam in Geometria non eſt cujuſvis, theoremata demonſtrare figurarum diſtinctè licèt cognitarum, quamvis ea theoremata jam ab aliis ſint inventa ac communicata.

Cap. 5. Cl. Autor ſibi ipſi prudenter objicit, quod ſuprà objeceram, *Miracula eſſe ſupra rationem.* Definitio *Miraculi* quam exhibet ſic ſatis ni fallor convenit communi doctrinæ Theologorum, ut ſcilicet ſint *ſuper leges naturæ ordinariaſque operationes.* Rectè tamen agnoſcit eſſe *poſſibilia & intelligibilia.* Sed eo modo etiam Myſteria Theologis poſſibilia & intelligibilia ſunt. Quis enim dubitat quin abſit contradictio & verba intelligantur, etſi modus explicandi utrobique rationis noſtræ vim tranſcendat. Itaque Vir cl. objectioni mihi ſatis feciſſe non omnino videtur. Nihil refert, quòd *myſteria* ſunt *doctrinæ*, & *miracula* ſunt *hiſtoriæ*; nam miracula ſunt, ut ſic dicam, myſteria tranſitoria, & myſteria aliqua habent quodam modo miraculi durabilis naturam.

Quæ *Cap.* 6. dicuntur de *introductione Myſteriorum*, & *origine Ceremoniarum*, brevitatis cauſa non perſequor, de re ipſa ſatis feciſſe contentus; nam quæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinent latiùs diffunduntur, quàm ut brevibus tractari poſſint, neque neceſſaria ſunt ad ſcopum noſtrum.

In *Concluſione* ſperare jubet Cl. Autor *explicationem intelligibilem doctrinæ Novi Teſtamenti.* Talem ego quoque putem dari poſſe, imò, (etſi fortaſſe diſperſam) jam haberi; ſi inferiore quodam intelligibilitatis gradu ſimus contenti. Sed cùm id opus non prodierit, non eſt cur rei immoret

hoc

hoc loco. Itaque & ipſe finio, tantumque addo: Philoſophos noſtri temporis inſignes multa in natura agnoſcere ſupra noſtræ rationis vires.

Quidam Carteſiani eximii unionem animæ & corporis pro miraculoſa habent; alii compoſitionem continui, aut conciliationem liberi arbitrii cum divina præordinatione negant comprehendi poſſe.

Lockius, magni nominis Philoſophus Anglus, cujus ſententias Autor noſter paſſim probat, cùm olim docuiſſet omnia corporum phænomena poſſe explicari ex ſoliditate & extenſione & harum modis; nunc in reſponſione quadam ad celeberrimum *Stillingfleetium*, Epiſcopum nuper Wigornienſem doctiſſimum, retractat ſententiam magna cum laude ingenuitatis, & profundiſſimi *Newtoni* perſuaſus argumentis Attractionem cujuſvis materiæ partis admittit originariam & a mechaniſmo non derivatam, nec proinde ratione explicabilem.

Ego etſi ſperem quædam ex dictis explicationem aliquam admittere, cujus & ſpecimen dedi circa unionem animæ & corporis; aliter tamen agnoſco interiorum naturæ incomprehenſibilem ſublimitatem ab influxu infiniti orientem, qui fons eſt idearum clararum ſimul & tamen confuſarum (quales ſenſibilium quarundam qualitatum habemus) quibus nulla creatura penitus exui poteſt, & quas in controverſia inter eximios viros *Stillingfleetium* & *Lockium* non ſatis ab aliis diſcretas puto. Atque hæc quidem omnia ſanè oſtendunt multo minùs mirandum eſſe ſi in rebus divinis occurrunt, quæ rationis vires longè tranſcendunt. Quòd ſi ergo ſunt quædam difficilia & impedita apud Theologos, non ideò aut ipſis inſultandum, aut Theologica Syſtemata (id eſt ordinatam doctrinæ expoſitionem) rejicienda cenſeo, non magis quàm philoſophica aut medica; ſed tantùm cavendum (ut in medicina) ne nimium diſputando praxin & ſalutem negligamus.

G. G. LEIBNITII
EPISTOLA AD ***.

De Computationis mirandæ ſpeciminibus.

GRatæ fuere literæ tuæ, quibus renovas nuperi colloquii memoriam, & de *Walliſiano* computi memoriter facti ſpecimine diſſeris, videtur numero ordinem cifrarum, quem notaſti, dediſſe ſtudioſe, vel ideo ut appareret numerum ab ipſo pro arbitrio delectum. Nam alioqui ordo in hoc numero non juvat in enuntianda ejus radice. *Walliſianum*, quod ait, præſtitiſſe reapſe, mihi incredibile non videtur. *Frenidium* in arithmeticis inſignem non minora præſtitiſſe, & faciliùs etiam, Pariſiis accepi a fide dignis. Et quid dices de homine Sueco idiota, qui ne vulgarem quidem Arithmeticam didicerat, & tamen ingentes calculos mente, & ſubitò quidem, nec in ſilentio, tenebriſque nocturnis, ſed turba, peragebat? Dn. *Schmidius* Ablegatus Hanoveranus aſſidebat Comitis *Oxenſiernæ* Cancellarii Regni menſæ cum aliis convivis, quando vocatus affuit juvenis ille, & quæſitus quantum conficerent tot arbores in horto, quarum ſingulæ tot haberent ramos, ramus tot ramuſculos, ramuſculus tot folia, foliis tot inſiderent vermiculi; vel ſimile quiddam; poſt moram non magnam productum tot multiplicationum ex vero enuntiavit. Abiit poſtea homo in Daniam, nec pro miraculi merito habitus eſt, & vereor ut ſuperſit. Ita vides eſſe quædam etiam in ingeniis monſtra. Plurimum debeo humanitati tuæ, quod literas mihi deſtinatas, & in tabulariorum officina pene pro derelictis habitas, ad me miſiſti, vellemque non tantùm demereri hoc officium, ſed etiam oſtendere poſſe, quanti ingenium tuum faciam, & quàm velim fructus ejus aliquando in publicam utilitatem matureſcere. Quod ſupereſt, vale, & fave.

Dabam Hanoveræ d. ultimo Sept. 1711.

G. G.

G. G. LEIBNITII EPISTOLÆ XV.

AD SAMUELEM REYHERUM,

Juris & Mathematum in Academiâ Kilonienſi Profeſſorem ordinarium.

EPISTOLA I.

I. Reyherl *elogium.* II. *De* Tiedii *morte.* III. *Status controverſiæ de emendatione Calendarii.*

I. Nihil a Te niſi doctum proficiſcitur, & unde proficere poſſimus, ſive Jurisprudentiam tractes, ſive hiſtoriam, ſive Matheſin. Itaque optem, tua multa edita & inedita aliquando in faſciculum colligi. Pro iis, quæ miſiſti, multas ago gratias.

II. *Tiedii* noſtri mortem ex tuis primum literis didici, eique indoleo. Superiore anno miſeram ipſi prolixam ad me *Blanchini* epiſtolam, quæ diſcurſum conſtituebat. Neſcio an tibi communicaverit. Nunc mihi remitti optarem.

III. Ex eo tempore nihil de re Calendaria Romana didici. Ægre illic adducentur homines, ut intercalandi rationem mutent. Quod ſupereſt, vale, & fave.

Dabam Hanov. 11. *Jul.* 1705.

P. S. Adjectos ad Dominum *Kortholtum* mitti peto. Ne quæſo ſupprime, quæ circa Longitudinum problema excogitaſti. (a)

(a) Plerasque omnes hujus Problematis ſolutiones *Samuel Reyherus* recenſuit diligenter, & quid in unaquaque deſiderandum maximè ſit eruditè excuſſit in commentatione de Bacillis Sexagenalibus p. 26. ſeq. & p. 42. conf. viri doctiſſimi *Friderici Koſii* diſſert. de ratione perficiendi Geographiam Mathematicam, quam Kilonii 1721. lectionibus ſuis Coſmographicis præmiſit.

EPI-

EPISTOLA II.

I. *De MSc. Gudianis.* II. *De mutato obtenta prope Hochſtadium victoria Europæ ſtatu.* III. Leibnitius *Syſtema Matheſeos* Reyherum *poſcit.* IV. *Lumina quomodo concilianda? De arcu triumphali vitam Principis compendio exhibente.*

I. HOdie mane ad Celeberrimum *Blanchinum* literas dedi, eique Catalogum manuſcriptorum Gudianorum, ut juſſeras, tranſmiſi, eademque occaſione quæſivi, quo nunc loco eſſent de calendario meditationes? Ego vereor, ne aulæ Romanæ circulos valde turbarint jam nuntii ex Hiſpania Belgioque adventantes.

II. Mutato penitus pene in momento Europæ ſtatui divinum aliquid ſubeſt, de quo dubitanti merito aliquis dicat illud Virgilianum: *Non vires alias, converſaque Numina ſentis?* Atque illud etiam Claudianeum, etſi paulo audacius: *Abſolvitque Deos.* Nam ſucceſſus injuſtorum deſtinatorum dubitare de divina providentia facit eos, qui non ſatis introſpiciunt interiora rerum.

III. Cæterum ego, vir ampliſſime, magna ſemper voluptate, atque etiam cum fructu lego, quicquid a te proficiſcitur. Multas itaque pro nupero munere gratias ago. Vellem vacaret tibi dare nobis aliquando ſyſtema matheſeos, vel, ſi ita videretur, alienum aliquod augere atque provehere. Venêre aliquando in manus meas Icones compendii Mathematici, quas æri inciſas reliquit Theologus & Polyhiſtor *Jo. Valentinus Andreæ*, quibus manu ſua notas acceſſionesque adjecit inſignis Mathematicus *Wilhelmus Schickardus.* Sed fatendum eſt, pleraque eſſe, ut ſic dicam, obſoleta, quum ſcientiæ Mathematicæ a quinquaginta plus minusve annis mirificè creverint. *Sturmii* Matheſis juvenilis non ſpernendum eſt compendium plerarumque partium Mathematicæ doctrinæ, ſed plurima tamen deſunt. Integra abeſt Muſica, Graphica imperfecta eſt valde, Mechanica quoque jejunior videtur, quæ ad Nauticen pertinent non attinguntur. Optandum ergo eſſet, vel ſuppleri opus non inutile, vel plenius aliquid dari, quod a Te, vir egregie, & imprimis fieri poſſet.

IV. Monuiſti aliquid nuper de luminibus cubiculo conciliandis figura vitrorum: An aliquod ejus rei experimentum cepiſti? Vereor, ut tuæ literæ Dn. *Cunæo*, Conſiliario Regis Boruſſiæ, in tempore fuerint redditæ, nam ille aliquamdiu domo abfuit, & apud Caſſellanos egit, negotia quædam ex obitu Filiæ Regiæ nata procurans. An reverſus ſit haud equidem ſatis ſcio. Frontiſpicium operis juſtorum funebrium Sereniſſimo Electori Brunſvicenſi primò paratum continet arcum triumphalem, qui pene totam inſignis Principis vitam variis figuris luculenter exhibet. Sed nondum abſolutum eſt opus, aut proſtat, mox tamen habebitur. Non dubito, quin placi-

placiturum ſit, quod ſimili cultu Regi Boruſſorum deſtinas. Quod ſupereſt, vale ac fave.

Dabam Hanov. 4. Junii 1706.

P. S. Dominum Filium Summi viri *Marquardi Gudii* a me reſalutari peto perofficiosè. Non ſatis mirari poſſum Regem Daniæ, aut Ducatus Holſatiæ Adminiſtratorem pati, ut hic theſaurus diſſipetur.

EPISTOLA III.

I. *De* Reyheri *diſſert. de Clementina periodo* Blanchino *oppoſita.* II. *De Miſcs. Gudianis.*

I. QUidquid a te venit mihi pretioſum eſt. Interim neſcio an conſultum ſit noviſſima tua de Clementina periodo mittere ad *Blanchinum*, cui fortè in re, quam nondum publicè apparere voluit, ſe publicè refutatum nollet.

II. Exemplaria Catalogi manuſcriptorum Gudianorum in Italiam & Galliam miſi: fortaſſe non ſine fructu, doleo diſpergi & vellem a Magno Principe redimi. Sed hoc aulæ curant ſcilicet. Delibero excurrere Hamburgum adhuc ante venditionis initium. Quòd ſi ergo, te intercedente, Dominus mihi faveat, ut curioſus inſpector eſſe poſſim tanti theſauri, antequàm nobis evaneſcat in carbones, non mediocre id beneficium putarem, conarerque oblata occaſione demereri. Vale faveque.

Dabam Hanoveræ 20. Jul. 1706.

EPISTOLA IV.

De Matheſi Biblica.

MAtheſeos Biblicæ tuæ egregium opus avidè expecto. Poteras fortaſſe & quæſtionem de motu terræ attingere, quem quidam fruſtra ex Scriptura refutare, alii ex ea adſtruere contendunt. Chronologia etiam fortaſſe Biblica curam tuam merebatur, non minùs quàm ratio annorum, menſium, intercalationum. De Templo Salomonis amplum opus molitur amicus ex Pariſino Oratorio, vir doctus, cujus extant Algebræ, Geometriæ & Perſpectivæ Elementa Gallico ſermone conſcripta. Etiam doctrina de ponderibus, menſuris & monetis biblicis tuæ juriſdictionis foret. Gaudeo, quòd Clementinæ periodi conſenſum cum tua vel Tidiana agnoſcis. Diu eſt, quòd negotium hoc ſilet, idque ex *Blanchini* ſilentio colligo. Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanoveræ 1. Octobr. 1706.

P. S. Ut multas præclaras obſervationes, quas te habere non dubito, vel miſcellaneorum forma edas, hortor.

EPISTOLA V.

I. De Reyheri *cum* Blanchino *controverſia. II. De emendatione Calendarii.*

I. QUòd ſubinde mihi præclara tua opuſcula mittis, multas debeo gratias. Gaudeo etiam quòd Blanchinianis meditationibus nunc magis es contentus, quàm initio eſſe videbare. Diu eſt, quod ab eo nihil intellexi; Vereor ingratum ipſi fuerit, quòd de meditationibus ejus nondum ſatis maturis aut conſtitutis aliquid in publicum venit.

II. Quoniam conſtat quæ Corporis Evangelici nomine in emendatione Calendarii Ratisbonæ ſunt concluſa, nonnihil adhuc determinandum reliquiſſe, ea de re judicium tuum intelligere velim. Quod ſupereſt, vale, & præclarè de republica mereri perge.

Dabam Hanov. 27. *Jan.* 1707.

EPISTOLA VI.

I. De antiquo de beneficiis ſcriptore. II. De ſcriptis Reyheri *junctim edendis. III.* Leibnitius Buſchii *Mſc. de reformatione monaſteriorum deſideras.*

I. UTi omnia tua magni facio, ita pro nuperis tranſmiſſis multas gratias ago. Præclarè pergis in enarrandis doctis iſtis. Docuiſti me, ubi nunc lateat *Antonius de Prato Veteri Mauritianus.* Puto tibi nondum viſum auctorem de beneficiis, Feudorum Longobardicorum compilatione antiquiorem, quem nuper ab *Eybenio* veſtro (*b*), imo noſtro, inſigni viro, acceptum edidit *Chriſtianus Thomaſius* notiſque doctis illuſtravit. *Freherus* olim eumdem promiſerat, ſed bene eſt, quod tandem prodiit, etſi non multa nos doceat.

II. Utinam tuas diſſertationes omnes collectas edi curares. Quid agit Matheſis Moſaica? Obſervationes ſtellæ in Balæna communicari petierim.

III. Audeo adhuc aliquid hac occaſione a te petere. Celeberrimo viro *Sebaſtiano Kortholto* veſtro nuper ſcripſi, rogavique, ut permiſſu eorum, ad quos res pertinent, mihi *Buſchii* cujuſdam, qui tempore Concilii Baſileenſis floruit Manuſcriptum de Reformatione Monaſteriorum mitteret, quod in Bibliotheca veſtra Academica extare intellexi (*c*). Ea in re rogo, ut, ſi opus eſt, ei ſis adjutor. Et quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanov. 6. *Auguſti* 1709.

EPISTO-

(*b*) Illuſtris *Eybenius* primùm fuit Conſiliarius Statûs Ducis Sleſvici & Holſatiæ, deinceps Epiſcopi Oſnabrugenſis primarius aulæ miniſter & conſilii intimi ſocius evaſit.

(*c*) Vide quartam, XXXVI. Epiſtolarum *Leibnitii* ad *Seb. Kortholtum*, in hoc tomo inſertarum.

EPISTOLA VII.

I. De Reyheri *Hiſtoria Juris. II.* Leibnitius Reyhero *auctor eſt, ut obſervationes quaſdam Berolinenſibus miſcellaneis interſerendas mittat.*

I. QUoties aliquid a te venit, toties lætor, tum quòd te valere, tum quòd mei meminiſſe videam. Gratias ago pro egregia de Juris hiſtoria diſſertatione, quæ multa me docet.

II. Utinam quas habes complures non tantùm collectiones, ſed & obſervationes atque etiam inventiones, ne perire patiare, ſed vel per ſaturam in publicum emittas. Obſervationibus publicandis offero Berolinenſia Miſcellanea, quorum ex miſſis ad ſocietatem Regiam ſchedis jam ſub prelo eſt ſpecimen. Si pateris inſeri curabo indiculum mutationum caloris frigoriſque a 30. annis ex obſervationibus tuis ſumtum, qui editus mihi a Domino *Kortholto* v. cl. tranſmiſſus eſt, (*d*) quòd ſi aliquas Aſtronomicas obſervationes vel meditationes ſelectas dare velis, his quoque uti gaudebimus. Memini aliquando te ſpem facere meditationum ad longitudines aliquando definiendas profuturarum, quod de his extare velis in tua manu eſt. Si quid etiam in re architectonica, aut aliis Matheſeos partibus in publicos uſus ſuggerere placeat, quod non amplo ſchediaſmate complecti libeat, erit in rem noſtram. Quod ſupereſt vale diu & nobis fave.

Dabam Hanov. 25. Octobr. 1709.

EPISTOLA VIII.

Veterum Jureconſultorum lacinias qui collegerint?

ADhuc pro miſſa continuatione doctiſſimi de Jure operis, & ad hiſtoriam ejus noſcendam utiliſſimi, aliiſque gratias agere debeo, & ut par eſt ago, ſimul Deum anno novo inito precatus, ut te nobis ad multos annos ſervet publico bono. Quærere lubet, an præter eos, quos *Jacobus Godofredus* in manualis parte, quæ Bibliotheca Juris Romani appellatur cap. 2. recenſet, alii extent, qui veterum JCtorum lacinias per digeſta *Juſtiniani* diſperſas, recollegere & verbatim extribuere? Mihi occurrit ex recentioribus *Alteſerra*, qui *Triphonini* libros diſputationum Juris in recitationibus ſuis, ut licuit, recenſuit. Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanoveræ 24. Januar. 1710.

(*d*) Obſervationes tricennales circa frigus hyemale ex Ephemeridibus *Samuelis Reyheri* Miſcellaneis Berolinenſibus p. 379. inſertæ ſunt.

EPISTOLA IX.

I. De indice inventorum Reyheri. *II. De* Schelhammeri *inſtitution. medicis. III. De* Ramazzini *de barometris ſententia.*

I. GRata recordatione nuperum congreſſum noſtrum recolo, & gaudeo cogitare te, ut innuis, de indice inventorum tuorum meditationumque ſingularium edendo, cui velim accedere breviculas explicationes, ne præclara cogitata intercidant. *Wagnerus* noſter vir egregius & humanitatem & ubertatem in expromendis pulcherrimis obſervatis tuam mirè laudat. Id tibi pro ſtimulo eſſe debet, ut de publico bene porrò mereri non intermittas. Quod ſupereſt vale faveque.

Dabam Guelferbyti.

II. *P. S.* Hortare quæſo eximium medicum veſtrum & Collegam tuum Dn. *Schelhammerum*, ne differat dare nobis quas molitur inſtitutiones rei medicæ, quas certe extinctis *Conringio*, *Meibomio*que, nemo temerè pleniores ſolidioreſque proferet.

III. Celeberrimus *Ramazzinus* mihi miſit libellum recens editum, in quo Amœbæa *Schelhammeriana* & ſua de barometris complexus eſt. Is poſtremò noviſſimis curis ſententiam ipſe ſuam candidè retractans, meam amplectitur, quæ huc redit: Aërem pluvioſum leviorem eſſe, quia guttulæ cadere incipientes, non ampliùs a columna aëris ſuſtentantur. Experimentum mechanicum (in privatis ad eum literis) attuleram, corporis, quod dum in aqua natat, ponderat in bilance, dum in ea cadit non ponderat. Id ubi ſumſit, & aliquot repetitionibus verum deprehendit, jam in mea conceſſit caſtra (*e*).

EPISTOLA X.

De deſcriptione palatii mathematici pro ſereniſſ. Electoratus Brunſvicenſis hærede.

FOrtè inter ſchedas reperio involucrum a te, cui inſcripſeras bina te moliri: deſcriptionem palatii mathematici pro ſereniſſimo Electoratus Brunſvicenſis hærede, & cum adjuncta ſeptem artium liberalium delineatione; tum & indicem tuorum inventorum; dubito, an hoc inter reſpondendum ſatis attigerim, itaque novis literis ſignifico, plurimum tibi debituram Rempublicam, ſi hæc perficias. Filius Principis Electoralis noſtri, etſi infans nuperrimè, non tantùm nunc expeditè fatur, ſed & paulatim per figuras ad aliquam rerum cognitionem ducitur. Huic aliquando prodeſſe

(*e*) Vid. primam epiſtolam *Leibnitii* ad *Schelhammerum* & notam epiſtolæ ſubpoſitam. Fol. 70. Tom. II. Part. II.

deſſe poterunt egregia molimina tua. Itaque Deum precor, ut te diu nobis conſervet ad cœpta abſolvenda. Dn. D. *Wagnerus* Helmſtadienſis in literis ad me ſuis mirificè & humanitatem tuam, & doctrinæ ubertatem laudat. Sed hoc, ni fallor, nuper ſcripſi. Vale faveque.

Dabam Hanov. 30. *Octob.* 1710.

EPISTOLA XI.

I. De Reyheri *hiſtoria juris. II. Catena fortificatoria: & III. de dirigendis Principis ſtudiis.*

I. MIrè gaudeo, quoties te valere & mei meminiſſe intelligo. Itaque multas ago gratias pro integro opere ſanè inſigni Hiſtoriæ Juris varii. Excitabit ea res juniores, ut talia præſertim circa gentium leges minutatim exequantur. Sed dum Juriſprudentiam ita ornas, nolim alterius Spartæ tuæ obliviſcare. Spem mihi, vel potiùs nobis, indicis inventorum tuorum feciſti. Eum, ut matures, peto; in tua manu eſt, an non nihil de inventorum ratione in tuis mihi deſtinatis adjicere velis?

II. Interea unum abs te peto, quàm primùm ut mihi inſtrumentum tuum fortificatorium (Catenam, ni fallor, à partium mobilitate appellabas) confici cures. Rogavi Dn. *Kortholtum*, cum quo interdum rationes habui, & qui in redimendis Manuſcriptis Gudianis favit, ut ſumtum qualemcunque pro me facere velit, obtinendæ illi tuæ catenæ fortificatoriæ neceſſarium.

III. Princeps noſter puellus nondum ſtudiis maturus eſt. Sed ubi tamen nonnihil adoleverit & ſtudiorum prætidem acceperit, de quo jam cogitatur, faxo, ut ad conſilia tua recurratur, expetanturque inventa puero Principi erudiendo deſtinata. Nam nunc intempeſtivè fruſtra judicavi. Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanov. 11. *Sept.* 1711.

P. S. In annum ſequentem noſtro Principi puero ſtudiorum initia deſtinant. Itaque quæſo, ut conſilia conferas. Hoc equidem nondum juſſus, ſed de meo a te peto. Spero tamen futurum, ut gratanter audiantur conſilia tua, ubi in rem veniemus. Et catena illa munitionalis, quæ in oculos omnium elegantia ſimplicitateque ſua incurret, mihi materiam tui, ut par eſt, prædicandi dabit. Optem, omnes tuas diſſertationes uno vel altero volumine collectas proſtare, ego pauciſſimas anteriorum habeo. Facit illa de aquis, pro qua gratias ago, ut cætera etiam Elementa ſimiliter tractata videre geſtiam.

EPISTOLA XII.

De quibuſdam Reyheri *ſcriptis & inventis.*

QUicquid a te proficiſcitur mihi plurimum ſatisfacit. Argumentum aquæductuum inſigne in Jure pariter & Matheſi. Ne quæſo catalogi inventorum obliviſcere. De catena etiam fortificatoria aurem vellico. Gratulor conſiliarii honorem, optoque, ut adhuc diu fruaris. Vale & fave.

Dabam Hanov. 3. *Dec.* 1711.

EPISTOLA XIII.

De indice inventorum Reyherianorum *ejuſque catena fortificatoria.*

MUltas tibi debeo gratias, tum pro catena tua Poliorceutica, tum verò maximè pro catalogo inſignium inventorum. In quo multa ſunt optimæ frugis. Optem, edi cum explicationibus adjectis, interimque & has, ubi videbitur tibi, aut in quantum videbitur, ad me pervenire poſſe. De aëre præclarus eſt labor tuus, (*f*) eritque etiam haud dubie de igne. Optem, diſſertationes à te olim editas uno faſciculo comprehendi. Vellem noſſe an alicubi catenæ tuæ uſum rationeſque explicaris? Plura de inventis tuis alias ſcribam. Nunc vale & fave.

Dabam Hanov. 21. *Mart.* 1712.

EPISTOLA XIV.

I. De Reyheri *diſſertatione de aëre atque aliis ejus ſcriptis. II. De ordinatione ad Academiam Holſaticam pertinente.*

I. DIſſertationis tuæ elegantiſſimæ, de aëre, continuationem accepi, & multas pro tuis omnibus, quæ miſiſti, hactenus gratias ago. Opto, ut catalogum inventionum tuarum vel publicè, vel ſaltem in privatis ad me literis expoſitione illuſtrare velis, & juſto aliquando libello tradere immortalitati. Ita enim deliciæ mathematicæ magis magiſque augebuntur. Quod ſupereſt, diu vale & fave.

Dabam Hanov. 24. *Junii* 1712.

II. *P. S.*

(*f*) *Reyheri* diſſertatio, de aëre, Kilonii 1670. prodiit, conf. *Journal des Savans* Tom. VI. p. 400. Eadem multis acceſſionibus aucta Kilonii 1712. recuſa eſt.

II. *P. S.* Si bene memini, vidi aliquando ordinationem (*g*) aliquam ſatis elegantem rerum ad veſtram Academiam pertinentium, neſcio impreſſam an manuſcriptam? Hanc beneficio tuo obtinere velim.

EPISTOLA XV.

De indice inventorum Reyheri.

QUod indiculum tuorum inventorum, quod libellum de auctoribus Juris ſcriptoribuſque, quod diſſertationem de aëre recuſam, & acta præclarè omnia mecum communicaſti, & egi gratias & porrò ago habeoque. Nunc peto, ut illum indiculum inventionum utiliſſimarum uberius explicare velis, in uſum vel publicum, vel certè amicorum. Ego ſanè, qui tuis omnibus delector, & imprimis capior meditationibus non vulgaribus, multum eo nomine tibi debeo. Neſcio unde habui tibi Conſiliarii honorem a Sereniſſ. Duce Gothano, Patriæ tuæ Principe, collatum, quam ob rem gratulor ex animo, & Deum precor, ut diu adhuc & illi & nobis proſis. Quod ſupereſt, vale faveque.

Dabam Hanov. 18. *Octob.* 1712.

(*g*) Reſpicit ad Reſcriptum, cujus index: *Des Durchlaucht. Fürſten und Herrn, Herrn Friedrichs &c. Gnadigſtes* Reſcript. *an Dero Univerſität Kiel vom 17. Febr. an.* 1701. *die Aufnahme der* Studien *und der Academien beſſeren Flor betreffend.*

G. G. LEIB-

G. G. LEIBNITII EPISTOLÆ XXV.

AD MICH. GOTTLIEB HANSCHIUM

S. Cæſar. & Cath. Majeſt. Conſiliarium.

EPISTOLA I.

I. *De* Chriſtiano Wolfio, II. *de Lipſienſi Academia*, & III. *de P.* Longi *Bibliotheca ſcripturaria.*

I. REctè accepi, quæ miſiſti, & quàm bonum nomen fueris, ut par eſt, agnoſco. Gratias officium facienti non debes. Dominus *Wolfius* mihi Berolini loquutus eſt, profeſſionis dignitatem Halæ nactus eſt, non dubito etiam emolumenta acceſſura. Erat cum eo juvenis eruditus Sileſius, mathematici ſtudii non expers.

II. Spero Lipſienſem Academiam paulatim ad priſtinum ſtatum redituram, etſi urbi & ſtudiis illic vulnus non facile ſanabile fuiſſe inflictum ſatis appareat.

III. Ecce quid a te petam, ſi vacat, Reverendiſſimus *Meyerus*, Theologus Sueciæ Regis per Germaniam primarius, a me accepit librum MSct. *R. P. Longi* de Congregatione Oratorii Pariſina, in quo continetur Catalogus Interpretum Scripturæ Sacræ Germanorum. Similem confecit pro aliis nationibus. Hunc in Germaniam miſit, ut ſuppleretur & corrigeretur. Id Dominus *Meyerus* in ſe ſuſceperat, ſed, multo jam tempore elapſo, *Longus* ſuum librum repetit. Rogo ergo, ut Dominum *Meyerum*, ſi adhuc Lipſiæ agit, meo nomine adeas ac perofficiosè ſalutes, & petas, ut librum remittat, & ſi quæ obſervata in eam rem jam habet, adjungat. *Longus* in eo jam eſt, ut ab editionibus Scripturæ ſacræ ſuum opus Bibliothecæ ſcripturariæ incipiat. Si qua ea in re adhuc ſuppeditare poteſt Ampliſſimus *Meyerus*, vel alius amicus, rem gratam & utilem faciet. Quod ſupereſt vale & me ama.

Berolini die 25. Jan. 1707.

EPISTO-

EPISTOLA II.

I. *De linea recta breviſſima.* II. *De* Ottone Menckenio.

I. EX definitione rectæ, quòd inter duo puncta ſit breviſſima id ipſum, quod aſſumis demonſtrari, petitur, breviſſimam hanc eſſe unicam. Hoc enim habito utique per ſe patet duas rectas ſpatium non comprehendere. Porrò, quo magis videas, demonſtratione opus eſſe, conſiderandum eſt, æquè breviſſimas plures, imò infinitas aliquando dari, veluti in ſuperficie ſphærica, ubi inter duo quædam puncta, nempe polos, infinitæ tales duci poſſunt, tot ſcilicet, quot ſunt ſemicircumferentiæ circulorum magnorum per hos polos tranſeuntium, ſeu meridianorum; quarum quælibet eſt via a polo ad polum, qua brevior non datur. Oſtendendum ergo erat, quod in ſuperficie ſphærica poſſibile eſt inter duo puncta, id abſolutè inter duo puncta fieri non poſſe. Præterea ex definitione Rectæ non tantùm oſtendendum eſt, duas rectas non comprehendere ſpatium, ſed etiam duas rectas non poſſe habere partem communem, ſeu, ut *Euclides* loquitur, ſegmentum commune. Atque adeo generaliter oſtendendum eſt, duas rectas, quæ continuatione utrinque facta non coincidant, *per* duo puncta duci non poſſe.

II. In optimo & doctiſſimo viro Dn. *Ottone Menckenio* amicum inſignem perdidi ego, perdidit reſpublica litteraria columen non vulgare. Spero tamen eximium ejus filium laudes paternas nobis, ut cœpit, repræſentaturum. Eum rogo, ut data occaſione a me ſalutes, condolendi officium meo nomine peragas, & ſtudia ei mea deferas. Spero Actorum Eruditorum laborem utiliſſimum ipſius operâ porrò proceſſurum.

Berolini 6. Febr. 1707.

EPISTOLA III.

I. *De* Ottone Menckenio. II. *De* Bernardi *Calendario eccleſiaſtico & civili.*

I. GRatiſſimum aliquando erit accipere, quæ inclyti *Menckenii* noſtri perennem famam dignè ornabunt.

II. Tantum benevolentiæ tuæ tribuo, ut novum a te beneficium petere audeam. *Thomas Smithus* inſignis Eccleſiæ Anglicanæ Theologus, idemque ſcriptis celeberrimus, ad me ſcribit: Ante quatuordecim circiter annos *Eduardum Bernardum*, Domini *Friſchii* Bibliopolæ Lipſienſis precibus victum, credidiſſe viro *Calendarium eccleſiaſticum & civile plerarumque gentium*, manuſcriptum, quod hic quamprimum edere in ſe recepit; ſed neque edidit, neque remiſit. Tandem nuperrimè intellectum eſt ab Anglis manuſcriptum, neſcio quomodo, ad excellentis doctrinæ famæque virum, Dn.

Carpzovium, Polyhiſtorem inſignem, non ita pridem Lipſiæ defunctum, perveniſſe. Petit ergo *Smithus*, petunt amici, quibus cara eſt tanti viri memoria, quantum omnes ſcimus *Bernardum* fuiſſe, ut in tam pretioſum depoſitum inquiratur, recuperatumque, vel in Germania, vel in Anglia quamprimum in commune bonum proferatur. Valde de me, valde de litteris merebere, ſi hac in re favere nobis poſſis. Hæredes Carpzovianos, vel propinquos cumulatæ virtutis viros, intellecta re, pro certo habeo, tam æquæ & honeſtæ petitioni non defuturos, unde plurimum laudis in ipſos redibit. Neque enim dubito, inſigne opuſculum fore, quum *Bernardum* in hoc genere regnaſſe conſtet. Vale & me ama.

Dabam Berolini 15. *Febr.* 1707.

EPISTOLA IV.

De Theodicæa Leibnitii.

QUum olim ſereniſſima Pruſſorum Regina *Baylii* libros doctrinæ & elegantiarum plenos libenter legeret, & in iis crebras objectiones circa juſtitiam divinam, libertatem arbitrii, originem mali, cauſſam peccati, animadverteret, ſententiam meam rogabat. Ego verò oſtendebam, non tantas eſſe difficultates quantæ viderentur, & rem omnem, ni fallor, rectè & dilucidè expediri poſſe. Et ſanè, quæ afferebam, non diſplicebant. Itaque plus ſemel inſtabat inclyta Regina, ut meditationes meas eo de argumento in chartam conjicerem, & gallica quidem lingua, quo ab ipſa, & aliis etiam extra Germaniam latinæ minùs aſſuetis, legi poſſet. Cœperam opus, ſed morte Reginæ filum abruperam. Sed quum hac hieme Berolini agerem, amici, quibus voluntas Reginæ nota fuerat, ut ejus mandatis ex aſſe ſatisfacerem, urgere non deſtitere. Ita nata eſt mihi ſcriptio, quæ ſi prælo committeretur, octava forma juſtæ magnitudinis libellum daret. Vellem autem typis Batavis edi Gallicum hoc ſcriptum. Ita enim faciliùs per varias Europæ partes, ubi linguæ ejus uſus eſt, diſpergeretur, præſertim cùm ipſa *Baylii* & Antagoniſtarum ejus ſcripta itidem in Batavis Gallicè ſint edita. Venit autem in mentem *Friſchium* noſtrum in Batavis jam officinam habere, ibique editionem commodè curare poſſe. Nomen quidem meum non eſſet præfigendum libello, neque is adeo mos eſt ſcribentibus Gallicè, ſed tamen neminem facilè lectorum peritorum latere poſſet, ob doctrinas paſſim inſperſas, quas alibi jam tum expoſui. Vellem autem rem omnem ſtudioſo ſilentio tegi, donec abſoluta ſit ſcripti impreſſio. Quodſi conſilium *Friſchio* non placet, attamen ſilebit ut ſpero, bona fide. Sed quod viciſſim peto, numerus eſt exemplarium inſignis. Calculo enim inito comperi minimum 120 eſſe amicos, quibus ſingulis unum exemplum mittere velim. Et quum aliquid deſiderem ultra neceſſitatem opus erit exemplaribus circiter 150. Is numerus venditioni ceterorum,

rum, tantum abeſt, ut ſit nociturus, ut potiùs, ſparſis ea ratione per varias regiones exemplis, notius opus ſit redditurus atque expetibilius. Quodſi itaque cum *Friſchio* hac de re ſecreto colloqui voles, & ſententiam ejus ad me perſcribere me plurimum tibi obſtringes. Charta erit, qualem libri apud Batavos habere ſolent, ipſique inprimis Bayliani noviſſimi in octava forma editi, veluti reſponſio ad provincialem. Vale.

Dabam Hanoveræ 23. *Junii* 1707.

EPISTOLA V.

I. *De manuſcriptis Keplerianis.* II. *De* Frid. Bened. Carpzovio. III. *De* Tenzelio.

I. PRo Catalogi manuſcriptorum Keplerianorum communicatione multas gratias ago. Miſi Berolinum ad eos, qui Societatis ſcientiarum illic curam gerunt, ſed nondum reſponſum tuli; itaque iterum quæſivi. Video non omnes eſſe libros, quos manuſcriptos reliquit. Nam *Hipparchum Kepleri* aliaque habuit *Hevelius*, & ex incendio ſervavit.

II. *Carpzovium* exſtinctum doleo, vir fuit eximius & mihi amicus. Quid apud vos in re literaria agatur diſcere beneficio tuo ſemper gratiſſimum erit. Quid de epiſtola mea ſentias non expreſſiſti. *Forſtero* Bibliopolæ noſtrati commiſi tum ut expenſam pro me pecuniam tibi reddat, tum ut exemplum operis mei tibi meo nomine offerat. Utrumque factum ſpero.

III. Nolim verum eſſe, quod ſpargitur Dn. *Tenzelium* in indignationem aulæ veſtræ incidiſſe, neſcio qua de cauſſa. Quod ſupereſt, vale & me ama.

Dabam Hanov. 16. *Octob.* 1707.

EPISTOLA VI.

I. *De* Hipparcho Kepleri. II. *De machina corporis humani.* III. *De* Montfalconii *Palæographia Græca.*

I. A Septimanis aliquot non optima valetudine ſum uſus. Præterea nondum Berolino reſponſum certum de Keplerianis manuſcriptis accepi. Inde factum, ut ſeriùs reſpondeam. Intelligo ex Keplerianis ſupereſſe ejus *Hipparchum*, inſigne opus, quod in tuo indice non comparet.

II. Gratulor tibi, quòd anatomico ſtudio aliquid etiam temporis tribuis. Lachrymales glandulas non iguoras a *Meibomio* eſſe detectas. Machinam corporis humani eſſe, ut ita dicam, Pyrobolico-Hydraulico-Mechanicam, dici poteſt. Spiritus enim impetum facientes exploſione agere credibile eſt. Febrium cauſſam immediatam magis in ſpiritibus quàm humoribus ſitam eſſe puto. Vellem corpus humanum deſcribi principio ſumto a cauſſa finali ſeu officio, & dicere ſoleo, eſſe machinam conſervandæ contemplationis gratiâ inventam.

III. Ex cœnobio Lucenſi nihil impenditur, niſi in Conventuales, & hi ipſi etiam abſentes carent. De rebus litterariis vix quidquam novi mihi compertum, niſi, quòd exſpectatur opus inſigne *Montfalconii* de ſcriptura & literis Græcorum, in quo de veterum manuſcriptorum & Diplomatum Critica agitur.

Dabam Hanoveræ 15. Decemb. 1707.

EPISTOLA VII.

De Ehrenfr. Walth. Tſchirnhuſio.

ILluſtris viri *Ehrenfridi Waltheri Tſchirnhuſii* mortem ex literis tuis aliorumque amicorum non ſine magno dolore meo intellexi. Perdidi ego amicum veterem, & præclarum ſtudiorum communium adjutorem. Perdidit reſpublica virum inſignem a quo multa præclara exſpectabamus; quæ utinam ne intercederent. Itaque dandam operam cenſeo, primùm ne ſcripta diſſipentur, deinde ne machinæ aliique apparatus disjiciantur. In homines etiam inquirendum cenſeo, quorum ille operâ ad exequenda molimina utilia utebatur. Quum ergo Dreſdæ aut fueris nuper, aut mox ſis futurus, poterimus abs te diſcere, quid in eo genere ſit ſperandum; itemque quid ultima voluntate conſtituerit, de ſcriptis operibusque ſuis. Filium habuit, quem ipſe olim, quod memini, in Galliam duxit. An ſuperſit ille, & patriſſet nonnihil, noſſe itidem velim. Neſcio quid de creditoribus ſpargitur. Ego verò Regem & Principem Gubernatorem non commiſſuros puto, ut tanti viri memoriæ injuria fiat. Nec deero apud amicos in aula veſtra potentes hortando, monendoque, ut in ea re non Regis minùs, quàm defuncti dignitati conſulatur. Cæterum, ſi quid porrò, de hoc argumento comperies & mihi ſignificabis plurimum adjicies ceteris tuæ benevolentiæ argumentis.

Dabam Brunſvigæ 16. *Novemb.* 1708.

EPISTOLA VIII.

I. *De ſtudio anatomico.* II. *De Keplerianis.*

I. PErgratæ mihi fuere literæ tuæ. Gratulor ſtudiis quibus in naturæ arcana magis magisque penetrare laboras. Poſt ſtudium virtutis nullum eſt magis neceſſarium, quàm ſanitatis, quod phyſicæ ſpecialis & anatomiæ inprimis cognitionem requirit. Nullas a te litteras ſine reſponſione tranſmiſſas puto.

II. Berolinenſes, quibus Kepleriana commendaveram non ſatis animum adhibuerunt negotio. Quod ſupereſt, vale, & me ama.

Dabam Hanoveræ 31. *Maii* 1708.

EPI-

EPISTOLA IX.

De Keplerianis.

COnſilium edendi *Hipparchum* non poteſt non laudari. Et ſanè omnia Kepleriana uno volumine edi merentur. Meminiſſe videor olim Epiſtolam *Keplerum* ſcripſiſſe continentem animadverſiones in *P. Torrentii* epiſtolam de rebus Sinenſibus. Hanc quæſivi, ſed nondum inveni.

Dabam Hanoveræ 16. *April.* 1709.

EPISTOLA X.

De prudentia tacendi.

GAudeo te ſcopum tuum obtinuiſſe apud Roſtochienſes, optoque, ut honore, quem acceptus es, diu fruaris, & tuo & publico emolumento, felicibusque novi anni auſpiciis multos alios adjicias annos, non minùs ex voto fluentes. Pro tranſmiſſis ſanè doctis & lectu dignis gratias ago, ſatisque animadverto, fuiſſe tibi loquendum cum multis, dum ſapis, cum paucis. Idque prudentes facere poſſunt, nulla violatione intemerandæ veritatis.

Dabam Hanoveræ 3. *Januar.* 1710.

EPISTOLA XI.

I. *De Keplerianis.* II. *De* Valliſio. III. *De problemate quodam geometrico.*

I. NOn memini videre litteras tuas, quibus uberiorem Keplerianorum MStorum indicem conſignaveras. In *Hipparcho* aliisque Keplerianis edendis non eſt, cur aliquid præcipites. Sat citò, ſi ſat bene.

II. Quod *Walliſio* objicis, ratione non caret. Ego non tam quæro, quæ lineæ adhibeantur, quàm quæ ſit totius operationis facilitas. Cæterum ut verum fatear, omnes illæ conſtructiones per lineas conicas vel altiores rarò adhibentur in praxi, nec ferè niſi pro ingenii exercitio valent.

III. Problema tuum de duobus triangulis mixtilineis æqualibus non videtur inelegans, at non eſt determinatum, ſed ſolvi poteſt infinitis modis; etiamſi centra magnitudoque radiorum & baſis dari ponantur. Noſſe velim an aliquem uſum habeat? Talibus invigilare juvenum eſt, aut his propriè ſtudiis vacantium. Meum tempus non patitur, ut attentionem huc vertam. Interea alios non deterreo, ſed potiùs adhortor. Vale & fave.

Dabam Hanoveræ 2. *Octob.* 1710.

EPISTOLA XII.

I. *De Keplerianis.* II. *De juſtitia Dei.* III. *De fide & peccatis infantum.* IV. *De libertate.* V. *De* Jo. Jacobo Maſcovio.

I. CUm voluptate intelligo ex gratiſſimis literis tuis pergere te in Keplerianis ad editionem adornandis. Puto neceſſe non fore, ut Juniano programmati reſpondeas aliter, quàm facto ipſo, Epiſtolarum fortaſſe *Kepleri* volumen daturus. Sanè & Clar. *Junium* & omnes eruditos optare editionem Keplerianorum, aut certè optare debere, arbitror. Doleo in *Pfauzio* veterem amicum amiſſum.

II. Quod ad dubia tua attinet, inter æternas veritates habendum eſt, neminem a juſto judice niſi ob culpam ſuam damnari. Culpa autem niſi intelligentis & volentis nulla eſt. Si quis ſecus ſentit, novas juſtitiæ notiones fingat oportet, quas Deo attribuat, vel Deum quidvis jure poſſe dicet. Alterutro autem modo incidet in ſententias duriſſimas ſupralapſariorum.

III. Objicis, uti multi ſtatuant fidem habere infantes, etſi ejus non ſint conſcii; ita etiam eos habere peccatum actuale ſeu culpam. Reſpondeo hoc intereſſe, quod ad fidem talem in ipſis generandam ex eorumdem auctorum ſententia opus eſt miraculo, ſed Deus non faciet miraculum ad producendum peccatum ſeu culpam infantum, cujus conſcii non ſint.

IV. Ipſum *Carteſii* locum allegavi, ubi ad libertatem videtur requirere omnimodam indeterminationem, ſed talis notio libertatis eſt impoſſibilis. *Spinoſa* ſolet *Carteſii* mentem detorquere ad ſuam. Ex ſenſu illo intimo nulla infertur libertas, ut bene notavit etiam *Baylius*. Res enim reſolveretur in argumentum tale negativum: *Ego non ſentio; ergo non adeſt.* Certè etſi nos rationes neceſſitatis non ſentiremus, poſſent tamen ſubeſſe. Neque enim omnia ſentimus, quæ in nobis fiunt, quum multas habeamus perceptiones confuſas, quarum ingredientia a nobis non ſentiuntur. Sed tales objectiones ipſe facilè reſolves, ſententia mea expenſa.

V. Dn. *Maſcovius*, civis tuus, videtur ſcribere non ineleganter, & ad optima ferri. An ſpecimen jam dedit in publicum? Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanoveræ 30. *Octob.* 1711.

EPISTOLA XIII.

De Keplerianis.

GAudeo tantum eſſe Keplerianorum MSct. apparatum, quantum non exſpectabam. Tecum ſentio, pleraque omnia Kepleriana tanti eſſe, ut perire non debeant. Rectiſſimè facies, ſi indicem eorum amplum publices,

blices, inque eo ſpecimina quædam inſpergas, unde tamquam ex ungue leonis judicari poſſit. Difficulter in edendis libris caretur Bibliopolarum opera. Id enim pro axiomate habent, ut, quos alii ſuis ſumtibus edidere, ſupprimant. Unum eſt remedium ſubſcriptionum. Sed malim illud adhiberi, quum ipſa edentur Kepleriana, quàm quum edetur index, quem Bibliopolæ alicui celebri edendum committi, ut tanto melius diſpergatur, & per ora virum volitet, conſultius putem. Miror, quæ tibi lis cum quoquam Lipſiæ eſſe poſſit, quum nemini obſtes, aut officias. Sed ſunt fortaſſe, qui tibi fortunam Keplerianæ hæreditatis invideant. Ego verò malo tanti viri monumenta in tuas manus incidiſſe, quàm in meas, cùm tibi ſit animus hoc agendi, mihi eſſe non poſſet. Itaque non miror jam, ab *Hevelio* minorem eorum rationem habitam fuiſſe, quàm par erat, quia *Hevelius* non niſi Aſtronomiam, eamque practicam maximè ſpectabat, ſed *Keplerus* aſſurgebat altiùs, ac ſeſe latiùs diffundebat. Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Guelferbyti 19. *April.* 1712.

EPISTOLA XIV.

I. *De diſſertatione ſub* Buddei *præſidio de origine mali habita judicium.* II. *De interpretatione Theodiceæ Germanica.*

I. DOminus D. *Buddeus* miſit mihi diſputationem de Origine mali, ſub ſuo præſidio meæ Theodiceæ oppoſitam. Quum verò mihi magis doctoris ſupralapſarii, quàm Evangelici noſtri dogmata ſequi videatur, & ſententiam periculoſam defendat, quod omnis juſtitia, omnis moralitas, non rerum natura ſed deſpotico quodam Dei arbitrio conſtet, quod, ni fallor, ſæpe in noſtris Theologis graviter reprehenſum eſt, & hodie pene ab omnibus Theologis Reformatis rejectum, mirarer, ſi noſtri ſine oppoſitione paterentur, tale dogma in noſtris Academiis publicè defendi: Itaque tuam & aliorum noſtrorum Theologorum, inprimisque Ampliſſimi *Fechtii* ſententiam de diſſertatione Buddeana diſcere velim.

II. Dominus *Fritſchius* clarus apud vos Bibliopola vellet invenire, qui Theodiceam meam in Germanicum ſermonem convertere poſſet. Id profectò non eſt cujusvis. Fortaſſe tuo hic conſilio juvari poſſemus. Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanov. 30. *Maii* 1712.

EPISTOLA XV.

De Theodicea.

LIbentiſſimè intelligo a te recenſeri Theodiceam meam, hæc intelligente. Sed Halenſis recenſio, quum fiat a non Theologo, non magni apud Theologos ponderis erit. Ego malim intelligere, quid *Fechtius*, *Löſcherus*

Lôſcherus aliique inſignes Theologi de Buddeanis principiis ſentiant. Eorumque judicia recenſioni tuæ adjici e re foret. Buddeana mihi ipſius Theologiæ naturalis fundamenta evertere videntur. Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanoveræ 6. Septemb. 1712.

EPISTOLA XVI.

I. *De Theodicea.* II. Val. E. Loeſcheri *prænotiones Theologicæ laudantur.*

I. RECenſionem tuam Theodiceæ meæ optaſſem videre, antequàm ederetur. Nam quum Gallica lingua interdum difficultatis nonnihil injiciat eis, qui magnum admodum ejus uſum non habent, fieri poteſt, ut quædam ſiniſtrè accipiantur, quod etiam in aliis expertus ſum, quibus, ubi mecum contulere, ſublatus eſt ſcrupulus. Vereor, ne, dum addis, te tua non facere, quæ a communi eccleſiæ noſtræ doctrina recedere videntur, ſuſpicionem lectoribus, neſcio cujus heterodoxias injicias, & ideo plus noceas, quia favens haberis. Nam ſi tu, qui amicus es, agnoſcis recedentia a communi noſtræ Eccleſiæ doctrina ineſſe, alius minùs amicus credet ſubeſſe errores periculoſos. Suffeciſſet tantùm dici, te non omnia in libro contenta tua facere. Neque enim re vera quidquam ineſſe puto, quod recedat a noſtris libris ſymbolicis, quibus continetur communis eccleſiarum noſtrarum doctrina. Quodſi quid tale ineſſe putas, indica, quæſo. Fortaſſe enim hunc ſcrupulum eximam. Quodſi jam edidiſti hoc monitum, quod non ſpero, erit opus aliqua declaratione, ne in pejus accipiatur. Poſſum a communi doctorum ſententia recedere, etſi non recedam a communi doctrina eccleſiæ. Hoc facio in doctrina de Angelis, quos quidem ſpiritus eſſe ſtatuo, ſed ſemper corpora indutos, etſi minùs iiſdem affixos, quàm ſunt animæ noſtræ.

II. Perplacent, quæ Dn. *Lôſcherus* junior tibi ſcripſit. Nuper incidi in doctiſſimas ejus prænotiones Theologicas, & video pleraque in iis contenta, præſertim, quæ ſpectant ad negotium Theodiceæ, cætera enim non ſatis adhuc libare licuit, meis convenire, & quæ ab illo, eadem etiam pleraque a me reprehendi. Ita ut opus meum in plurimis videatur reſpondere ipſius laudabilibus deſideratis, dum optat caveri, ne per novas recentiorum ſententias puriori Theologiæ labes inferatur. Ego certè multa emendavi, quæ *Carteſius*, *Malebranchius*, *Lockius*, *Clericus*, *Poiretus* & ſimiles minùs probanda attulere. Quod ſupereſt, vale & fave.

Hanoveræ 16. Octob. 1712.

EPI-

EPISTOLA XVII.

Cæſar litterarum ſtudiis favet.

I. NOn dubito, quin intellexeris, me poſt aditum Ruſſorum Monarcham in Aulam Cæſaream proficiſci conſtituiſſe, quod intelligerem Magnum Cæſarem ſtudiorum cultui favere, quod etiam reapſe ſum expertus. Amicus quidam Domini Comitis de *Herberſtein* tuum ad Cæſarem libellum ſupplicem oſtendit, Keplerianorum edendorum cauſſa. Sed viſum eſt ambobus ægrè his difficillimis temporibus aliquid, idque non niſi exiguum & haud par expectationi, obtentum iri. Cæſar tamen conſilia agitat de conſtituendo aliquo fundo, qui ab ordinariis reditibus non dependeat, unde ſcientiarum cultoribus ſuccurri poſſit. Interea ſuaſerim cum typographis agi. Neque eo minus ſuo tempore a Cæſare habebitur, quidquid poterit.

II. Domino *Goldbachio* rogo, ut gratias agas, quòd nonnulla me circa nova litteraria docet. Grata erit continuatio. Domum redux potero ei vicem reddere. Objicit, quòd ex electione optimi ſequatur fatalis neceſſitas. Sed, ni fallor, talibus objectionibus dudum ſatisfactum eſt in libro, ut repetitione opus non ſit. *Neceſſitas*, quæ ex electione optimi fluit, quam *moralem* appello, non eſt fugienda, nec ſine abnegatione ſummæ in agendo perfectionis divinæ evitari poteſt. Sed neceſſitas illa vitanda eſt, quæ conſiſtit in neceſſitate objecti, quum ſcilicet ipſum per ſe oppoſitum objectum in conceptu ſuo involvit contradictionem; &, ſi neceſſitas eſt bruta, qualem introducunt, qui non ex electione ſed neceſſitate rerum, mundum exiſtere volunt, velut ex concurſu Atomorum, aut materia & motu, velut Democritici, item *Hobbes* & *Spinoza*. Si mundus alius a noſtro in conceptu ſuo implicaret contradictionem, hic mundus abſolutè eſſet neceſſarius. Sed quia infiniti alii fingi & diſtinctè concipi poſſunt, ad inſtar fabulæ Mileſiæ, vel Utopiæ, & ſola electio optimi, objecto extrinſeca, facit, ut noſter potiùs exiſtat, quàm illi: Hinc noſter eſt non niſi moraliter neceſſarius, abſolutè autem loquendo contingens. Secus loqui velle eſt nodum in ſcirpo quærere, & affectare paradoxa cum *Baylio*, reapſe autem tantum de vocabulorum uſu litigare, neglecto ſcopo, qui nobis præfixus eſſe debet in nēceſſitate vitanda, ut ſcilicet ex divina ſapientia & potentia, non verò neceſſitate objectorum, ſeu rerum extrinſecis naturis, exiſtentia earum petatur. Vale & fave.

Dabam Viennæ 15. *Martii* 1713.

EPISTOLA XVIII.

I. *De Arithmetica dyadica.* II. *De* Keplerianis.

I. SI Dn. *Pelicanus* Arithmeticæ Dyadicæ negotium perſequi cupit, quæ mihi quoque a multis annis placuit, hortarer, ut de mirabilibus in ea periodis indagandis numerorum & regulis earumdem eruendis cogites. Ibi enim multum latet, ad promovendam Arithmeticæ theoriam. Numeri naturales, quadrati, cubi, biquadrati, ſurdeſolidi, & omnes ſeries cujuſcunque potentiæ habent id commune, quod etiam demonſtravi, ut in numeris dyadice expreſſis primæ columnæ periodus ſit binarum, ſecundæ quatuor, tertiæ octo, quartæ ſedecim notarum, & ſic in infinitum. Itaque periodi altiſſimarum potentiarum non ſunt longiores, quàm periodi numerorum naturalium, qui ſunt 01 0011 00001111 0000000011111111 in infinitum.

II. In Keplerianis optimum fortaſſis erit ex primi conſilii inſtituto per partes procedere in edendo, & ab epiſtolis incipere. Hæ facilè diſtrahentur, & mox ad proſequentium operum comparationem invitabunt. Quodſi ſocietas ſcientiarum, qualem opto, conſtituta eſſet, faciliùs rationem promovendi laudabilis inſtituti tui reperiemus. Subſcriptiones fortaſſe ſuccederent, ſi per partes procederetur, & rem in ſe ſuſciperet Librarius, cui ſatis fides apud omnes. Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanoveræ 13. *Decemb.* 1714.

EPISTOLA XIX.

De Hiſtoria philoſophica.

HIſtoria philoſophiæ Platonicæ, cujus prodromum te dediſſe ſcribis, velut continuatio quædam foret Hiſtoriæ philoſophiæ Pythagoricæ. Nam *Pythagoræ* primaria dogmata *Plato* renovavit & illuſtravit. In *Diogene Laertio* & pleriſque aliis ſcriptoribus magis hominum, quàm dogmatum hiſtoriam invenio; magis philoſophorum, quàm philoſophiæ. De Platonica dici poteſt uberius, quia *Platonis* Opera exſtant. Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanoveræ 14. *Martii* 1715.

EPISTO-

EPISTOLA XX.

De epiſtolis Keplerianis.

OPtimum fortaſſe erit, ut Opera Kepleriana edantur per partes. Fortaſſe etiam utile erit partem epiſtolarum addi parti aliorum ſcriptorum. Nam epiſtolæ inſervient, ut reliqua tanto faciliùs divendantur. Sunt enim epiſtolæ tales non unius generis eruditorum, ſed omnium deliciæ. Gratæ erunt interdum a te notitiæ literariæ. Quod ſupereſt, vale & fave.

Dabam Hanov. 30. *Auguſti* 1715.

EPISTOLA XXI.

I. Leibnitius *morbo laborat.* II. *De Dno* Fahrenheit. III. *De Societate Scientiarum & Keplerianis.*

I. QUum nunc vulnera, quæ in pedibus ultra octo menſes habui, clauſa & ſanata ſint, ſpero excurrere poſſe Guelferbytum aliquando, ſi non ante anni hujus exitum, certè proximo, ſi Deo ita videbitur, & tunc ipſe inquiram in rem, de qua ſcripſiſti.

II. Domino *Fahrenheit* reſpondi, ſed nihil ampliùs ab eo intellexi. Non eſt tutum res ſuas & ſpes omnes in extraordinariis ſubſiſtendi rationibus, aut inventionibus collocare, ſed ordinaria ſtatione opus eſt, cui deinde extraordinaria inædificari poſſint. Itaque Domino *Fahrenheit* ſuaſerim, ut de officio aliquo obtinendo cogitet. Ita deinde liberiùs meditabitur.

III. Vereor, ut ipſe conſultè facias, quòd editionem Keplerianorum nimium urges. Bibliopolæ ſolent editores deſtituere, qui ipſi ſumtus fecere, & in eos conſpiratione quadam, parum laudabili quidem, coëunt. Si paulum exſpectaſſes, fortaſſe inveniſſemus rationes multo & tibi & in publicum meliores. Imperator ipſe, quod inter nos dictum ſit, nolim enim præmaturè efferri, mihi noviſſimè per Imperatricem *Amaliam*, hæc per aliquam ex nobilibus Dominabus primariis Aulæ ſuæ, ſignificari curavit, fixum ſibi ratumque eſſe fundare Societatem ſcientiarum. Et ego, ubi primum te conſpexero, aperiam tibi rationem quamdam perutilem prælaborandi, cui exſequendæ aptus inprimis eſſes, ſi eſſes tunc liber.--Si prodire debet Tomus epiſtolarum, ſuadeo, ut ne appelles Tomum primum. Id enim multos ab emendo deterrebit, donec totum opus completum ſit. Sufficit inſcribi Epiſtolas *Kepleri*; quemadmodum *Grotii* epiſtolæ ſeparatim venduntur, nec ceteris ejus operibus alligantur. Cæterum, qui partem operum habebit, poſtea faciliùs adducetur, ut emat deinde etiam reliquas partes. Quod ſupereſt vale & fave.

Dabam Hanoveræ 6. *Decemb.* 1715.

EPISTOLA XXII.

De Societate Scientiarum Viennenſi.

SUadeo, ut nonnihil acquieſcas, & editionem Keplerianorum, niſi commodas & proficuas cum Bibliopola aliquo rationes inire potes, differas. Nam mihi *Cæſar* per ipſam Imperatricem, fratris viduam ſignificari curavit, Academiam Scientiarum inſtituendam ſibi cordi eſſe. Sed hoc tibi in aurem dico. Nolim enim immaturè publicari. Societate ſcientiarum fundata, inter primas curas erit, ut ratio ineatur, præclara opera edendi, per quam etiam Auctorum vel edentium commodis conſulatur, ne eruditi, magno doctrinæ dehoneſtamento, ſint mercenarii Bibliopolarum. Sed hoc conſilium omnino premendum eſt. Bibliopolæ enim omnem lapidem movebunt, ut bona hujuſmodi conſilia impediant. Illuſtriſſimus Comes de *Schlick* inter eos eſt, qui fundationi Societatis Scientiarum plurimum favent, & ſpero ejus operâ efficere, ut Bohemicæ regiones ad tam ſalutare inſtitutum utiliter concurrant. Sed, ut dixi, talia præcipitari non poſſunt. Interea non omitto apud Cæſarem per Imperatricem & alios, & apud Adminiſtros ejus per amicos, rem urgere. Vale.

Dabam Hanoveræ 27. Decemb. 1715.

EPISTOLA XXIII.

I. *De philoſophia Platonica.* II. *De Dn.* D. Lehmanno, *Prof. Phyſices Lipſienſi*, & III. *de* D. Rüdigero.

I. ELegans eſt tua de Enthuſiaſmo Platonico diſſertatio, & gaudeo eam illuſtriſſimo Comiti *Schlickio* gratam fuiſſe. Fortaſſe aliquando meſſem colliges ſparſæ ſementis; ſed non apud nos, quantum judico, ubi ea eſt rerum facies, ut ne ſpem quidem injicere auſim. Ubi aliquando tui loquendi occaſio erit, dicam, quid mihi actu commodiſſimum interea videatur. Peto ut reſponſionem adjunctam ad Dn. *Ehlerum*, Reipublicæ Dantiſcanæ Secretarium, curare velis. Philoſophia Platonica mereretur ſane componi in corpus. Nam ſunt in ea multa, quæ probo. Scis nuper *Dacierium* in Gallia, quædam *Platonis* in Gallicum ſermonem vertiſſe, & illuſtraſſe. Adjungendus eſſet *Plotinus*, itemque *Proclus*: Ambo enim *Platonem* illuſtrare ſunt conati. Sed vereor, ut tibi ſatis vacare poſſit hoc agere, quoniam hodie ſterilia vulgò habentur.

II. Quum Dn. *D. Lehmanni* Epiſtola non niſi paucarum ſit linearum, non habeo reſpondendi materiam. Itaque rogo, ut eum a me ſalutes. Sanè plurimum doctrinæ ejus, & præclaræ in veritate indaganda voluntati, tribuo.

III. Vidi

Digitized by Google

III. Vidi aliquid illius Dn. *Rüdigeri*, quem refutat, ſed non bene memini, quas ille ſententias foveat. Videbatur mihi παραδοξολογειν in rebus jam ſatis confectis, etſi ingenio non carere videbatur. Qui conjecturas amant, habent campum, in quo ſe exerceant ſatis grandem, ut bene ſtabilita convellere neceſſe non ſit. Dn. *D. Boehmerus* electus eſt Coadjutor Dn. Abbatis *Molani*. Primò preces Imperatoris hic locum non habent. Neque enim ſunt Canonicatus, aut ſimile quiddam, neque ſtationes addictæ. Itur abiturque, & eſt Monachiſmi ſpecies, ſed ſalva libertate. Quod ſupereſt vale & fave.

Dabam Hanoveræ 10. *Maii* 1716.

EPISTOLA XXIV.

I. *De Monadibus.* II. *De* D. Lehmanno. III. *De Societate Scientiarum.* IV. *De Ovario feminarum.*

I. QUæ nobiliſſimo Domino *D. Hofmanno*, Medico Halenſium celeberrimo dixiſti, ſummatim ſic ſatis menti meæ conveniunt; etſi verbis fortè alicubi aliter uſurus fuiſſem. Inter alia mallem dicere omnem monadem eſſe incorporatam, quàm *monadatam*, ſeu omnem Monadem ſuum corpus organicum habere, atque ita vivum conſtituere. *Subſtantiatum* ego appello aggregatum ex monadibus. Omne vivum appellari poſſet *Monadatum*, quod ab una ſcilicet Monade dominante vegetatur. Viciſſim poſſet dici omnem Monadem *Monadare*, ſeu corpus aliquod vivum vegetare, ſed non ipſam *Monadari*.

II. Dn. *D. Lehmanni* ſchediaſma promulgatorium de floribus hyeme procurandis, primario Ruſſorum Monarchæ Medico miſi. Id cum officioſa a me ſalute ipſi ſignificari peto.

III. Ingens victoria a Turcis reportata Magno *Cæſari* animos dabit etiam ad ſcientiarum incrementa. Aut enim mox pacem glorioſam habebimus, aut maximos belli progreſſus, per quos ſumtus ſubleventur. Itaque nobis canere debemus:

Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis!

IV. Cum Domino *Nabotho* vel alio Anatomico inſigni Lipſienſi communicanda judicavi, quæ ad me perſcripſit celeberrimus *Leewenhoekius*, Delfenſis, Ovarii ſeminarum haud approbator. Inſignis Anatomici judicium expeto, ſed, licèt diſſentiret, honorificum *Leewenhoekio*, cujus ſagacitas & induſtria æſtimari merentur. Curabis pro benevolentia tua, ut *Leewenhoekiana* lecta & expenſa mihi, & quidem addito, quale dixi, judicio, remittantur. Quæſtio de generatione Animalium inprimis examinari meretur. *Kerckringius* & alii ovarium ſeminarum protulerunt. *Leewenhoekius* ſeminarium marium, *Andrius* & alii quidam utrumque conjungunt.

Vallisnerius oppugnat seminarium vivum *Leewenhoekii*. Hortatus eum sum, ut suas objectiones proferat, vivo *Leewenhoekio*. Contra *Leewenhoekius* ovarium oppugnat, quod *Vallisnerius* defendit. Velim Dn. *Nabothi* taliumque sententiam intelligere. Attingit rem *Leewenhoekius* in novissimis ad me. Habet etiam præclara, licet alterius generis, ut prioribus ad me, quæ & ipsa expendi optem. Quod supereſt, vale & fave.

Dabam Brunsvigæ 4. *Septemb.* 1716.

EPISTOLA XXV.

De animalculis seminalibus.

OPtarem Dn. *D. Paulium* & Dn. *D. Nabothum* paulo fusiùs agere de re tanti momenti, quanta est generatio animalium, & uberiores esse tam in oppugnanda *Leewenhoekiana* sententia, quàm in adstruenda sua. Vellem enim rem agitari diligenter vivo adhuc *Leewenhoekio*, qui est admodum senex. Ita enim re discussa ab egregiis viris, certiùs emicabit veritas. Quod negant, a se visos vermiculos in seminibus quibusdam, vereor, ut sufficiat, quum tot alii viderint, aut se vidisse videntur, & inter alios *Hartsoekerus*, qui multus est in ea re; sed & *Hugenius*, vir magni acuminis, magnique judicii, *Leewenhoekianis* observationibus quum primùm prodiere, adstipulari videbatur. Argumento Dn. *D. Pauli* de multitudine animalculorum seminalium inutili, quæ sapientiæ divinæ haud convenire videatur, non malè occurrit *Leewenhoekius* ab exemplis in plantis, & consilio abundandi in natura. Neque enim inutilia ideo sunt reliqua, quæ pereunt animalia. Nec dubium est, hæc quoque ad modum ceterorum propagari per sexus. Cætera, quæ pereunt, bruta sunt, & sola, quorum succedit transformatio, animam rationalem vel accipiunt, vel habent ab initio rerum, præstabilitam inditamque. Desiderem ergo rem tantam tractari curatiùs.

--- *die* 25. *Sept.* 1716.

DISCOURS

DISCOURS DE Mr. G.G. LEIBNIZ

Sur le projet d'érection d'une Académie Royale à Berlin, dans lequel il dévelope toutes ſes vües ſur les moyens de fonder & de faire fleurir cette Societé (a).

LE Roi m'ayant fait l'honneur de demander mon avis, ſur l'érection d'une Societé des Sciences que S.M. s'eſt propoſé de fonder;

J'ai crû qu'il falloit commencer par le but qu'on s'y propoſe, puiſqu'il doit régler les moyens d'y arriver. Ce but doit être d'avancer la félicité des hommes, qui conſiſte principalement dans la Sageſſe, & dans la Vertu, & puis dans la Santé, & les Commodités de la vie; d'où réſulte enfin, en joignant le tout enſemble, toute la ſatisfaction dont on eſt capable ici-bas, & dont ce n'eſt pas la moindre partie de pouvoir la répandre parmi les autres, & contribuer au bonheur général. Or tout cela ſe peut obtenir le mieux par l'union des perſonnes qui y ſont propres, ſous les auſpices d'un Auguſte Chef, plein de grandes lumiéres, & d'inclinations généreuſes. Car la puiſſance de pluſieurs milliers d'hommes ſe trouve comme réünie dans la Perſonne d'un grand Prince. Pluſieurs diront, peut-être, qu'il y a des choſes plus néceſſaires à faire dans ces tems difficiles: mais ils ne conçoivent peut-être pas aſſez qu'un grand Roi, aſſiſté comme il l'eſt, ſachant bien choiſir ſes hommes, & bien diſpenſer ſes moyens, peut mettre ordre tout à la fois à des affaires bien différentes; & qu'en renvoyant les matiéres importantes, on s'expoſe à des regrets inutiles, & à des reproches qu'on ſe feroit un jour d'avoir perdu le tems irrécouvrable, qui eſt la plus précieuſe choſe de la vie. Car le Souverain lui-même, par les moyens qu'il a de ſe prévaloir des choſes, ſera celui qui pourra profiter le plus des belles découvertes, qui tendront ſurtout à pouſſer plus loin l'art de conſerver, & de rétablir la ſanté. En effet les hommes, s'ils s'y prennent bien, peuvent plus avancer en dix ans, que ſans cela ils ne feroient en quelques ſiécles; & c'eſt le moyen de pouvoir joüir nous-mêmes des fruits de nos travaux, qui ſans cela ſeroient réſervés à la poſtérité.

Le premier fondement de la félicité humaine eſt la bonne éducation de la Jeuneſſe, qui contient auſſi le redreſſement des études. Rien n'eſt plus

(a) Ce Diſcours a été communiqué en original à l'Académie de Berlin par Mr. le Conſeiller *Scheid* Bibliothécaire de S.M. Britannique à Hanover, & il ſe trouve dans le Tom. VII. de l'Hiſtoire de cette Académie imprimée l'année 1751. Pag. 21.

plus important pour l'Etat en général, & pour le bien des hommes en particulier, que de donner un bon pli à l'eſprit comme au corps, en exerçant l'un & l'autre de bonne heure, en ce qui augmente ſa perfection, pour gagner le tems, que le peu de durée de notre vie ne nous oblige que trop de ménager. C'eſt une honte de voir, combien il eſt mal employé dès la jeuneſſe, & combien on en perd à apprendre des inutilités, ou à apprendre mal, & par détour, ce qu'il importe de ſavoir, & qu'il ſeroit aiſé d'obtenir promptement par les bonnes voyes. Les réglemens qu'on pourroit faire pour cet effet ſerviroient en même tems au public, & au Prince Electoral préferablement à d'autres, de la même maniére que ſi on les avoit inventés exprès pour lui ſeul; comme les ouvrages faits pour Mgr. le Dauphin ont ſervi à tous, & auroient été bien utiles, ſi ceux qui ont eu ſoin de ces ouvrages ſe fuſſent attachés davantage aux Sciences réelles, au lieu de ne penſer preſque qu'aux humanités, & ce qu'on appelle les Auteurs Claſſiques, employés dans les Colléges. Car il ſeroit bien plus important de donner des Tableaux des Sciences & des Arts tant libéraux que mécaniques, & de dreſſer un Théatre de la Nature, & de l'Art. Ces Tableaux contiendroient en figures, & en raccourci tout ce qui eſt figurable & qui mérite d'être ſçû; & ſouvent une Science entiére pourroit être compriſe dans une grande eſtampe ou deux, comme on en a déjà des exemples. Une collection de ces repréſentations choiſies, tirées d'une infinité de tailles-douces déjà faites, avec le ſupplément de ce qui manque encore, donneroit un Atlas univerſel, qui ſeroit un tréſor merveilleux pour rendre les études plus riches, & plus agréables. Et le Théatre de la Nature, & de l'Art, qui contiendroit les choſes mêmes en nature, ou en modèles, feroit un effet encore plus grand. Cela enrichiroit l'imagination, en lui préſentant quantité d'idées nettes. Mais pour former encore le jugement, il faudroit des préceptes ſolides & eſſentiels des Sciences, qui donneroient le moyen de les appliquer, & de les pouſſer plus loin. Et comme notre mémoire ne ſauroit tout retenir, & encore moins nous faire ſouvenir à point nommé de ce que nous avons retenu; il faudroit qu'on fit des Recueils, qui contiendroient le Tréſor de tout ce que les hommes ſavent déjà d'important, mis en ordre, & accompagné d'Indices, ou repertoires, pour le trouver promptement, & s'en ſervir aiſément au beſoin. Ce qu'il faudroit tirer non ſeulement des bons livres, mais encore bien plus des hommes experts de chaque profeſſion & de differens pays. Et enfin, il faudroit prendre des meſures pour pouſſer plus loin les découvertes, le plûtôt, & le plus efficacement qu'il ſeroit poſſible. Je voudrois même qu'on ne négligeât pas l'Hiſtoire, les Antiquités, & les Langues, qui donnent de grandes lumiéres ſur les origines des Nations, & des connoiſſances humaines, & ſervent à célébrer la mémoire des Princes, & autres hommes bien mérités, pour ne rien dire des Droits & intérêts des Etats, & des Familles.

Mais

Digitized by Google

Mais comme la ſanté paſſe tout après la vertu, il faudroit prendre tout le ſoin poſſible pour pouſſer la ſcience dont elle eſt l'objet, tant en établiſſant ſes fondemens ſur des raiſons ſolides, & ſur des Aphoriſmes vérifiés, qu'en les enrichiſſant par de bonnes obſervations faites, & à faire.

Il y en a beaucoup de conſidérables qui ſe trouvent déjà, mais diſperſées, dont il faudroit avoir des collections méthodiques, accompagnées de Repertoires inſtructifs; ſans quoi le plus habile Médecin ne s'en ſçauroit toujours ſouvenir au beſoin. Mais pour en faire beaucoup de nouvelles en peu de tems, il faudroit continuer en plus d'un pays, & ſur-tout dans celui ci, l'Hiſtoire Médicinale annuelle, qu'un habile Médecin Italien a commencée à ma ſollicitation; & obliger pour cet effet les Médecins gagés par le public, d'envoyer tous les ans le plus choiſi de ce qu'ils ont obſervé ſur les maladies courantes, ou autrement. Il faudroit mieux étudier d'ailleurs les corps des hommes, des animaux, des plantes, & d'autres choſes naturelles des trois Règnes, qui ſervent de remèdes, de nourriture, ou d'inſtrumens aux hommes, en faiſant leur analyſe tant par l'Anatomie que par la Chymie, qui a beſoin d'un Laboratoire bien fourni, & ſur-tout en y employant les Microſcopes, qui dans le monde ſenſible nous découvrent un autre monde inſenſible, mais dans lequel les cauſes des choſes ſenſibles ſont ſort ſouvent cachées. On a déjà fait un grand nombre de belles découvertes par ce moyen, & cependant il n'y a que peu de perſonnes qui s'y ſoient appliquées; chacun ſeulement en ſon particulier, ſans être de concert avec d'autres. Mais que n'y découvriroit-on pas, ſi pluſieurs s'y prenoient avec aſſez d'application, & partageoient les objets entre eux? Par ce moyen nous aurions bien-tôt un tréſor ineſtimable ſur la connoiſſance de l'intérieur de la Nature: & les miniéres, jardins, chaſſes, & cabinets de rareiés, qui ſont au Roi, ou au Pays, ſourniroient de la matiére aux recherches dans les trois règnes, mineral, végétal, & animal, ſi les Inſpecteurs, Officiers, & gens de ſervice dans les différentes profeſſions qui y ont rapport, ſont obligés à l'aſſiſtance.

Cette application offriroit auſſi de grandes occaſions d'avancer les affaires de l'œconomie publique & particuliére, & les moyens qui ſont ſubſiſter les hommes en gagnant leur vie, c'eſt-à-dire, dans la culture de la terre & des miniéres, dans les ouvrages & manufactures de toutes ſortes d'Artiſans & Ouvriers, dans le Commerce, & dans les beaux Arts. Car on pourroit introduire pluſieurs cultures, & fabriques nouvelles, & perfectionner celles qui ſont déjà dans le pays; établir des Académies des beaux Arts, dépendantes de la Societé des Sciences; faire mouler des modèles ſur les belles antiquités qui ſe trouvent à Rome & ailleurs, à l'exemple de ce qu'on a fait en France; attirer & encourager par ces voyes des éléves qui aſpirent à la qualité de *virtuoſi*, en ſe diſtinguant dans ces profeſſions.

Et puiſque dans les affaires militaires, (qui ſont la ſûreté de l'Etat,) après la diſcipline, les exercices, & les proviſions, tout dépend des Sciences

réelles, c'eſt-à-dire, des principes Mathématiques, Méchaniques, & Phyſiques, dont la ſtructure des armes, & de l'attirail de guerre, la fortification & l'artillerie font foi; il eſt aiſé à juger par ce qui ſe pourroit déjà faire, que l'accroiſſement de ces Sciences contribueroit encore beaucoup aux moyens de ſe défendre, de ſe couvrir, & de repouſſer les ennemis; outre les voitures néceſſaires pour le tranſport des choſes peſantes, ce qui eſt ſuſceptible de beaucoup de corrections importantes pour faciliter des expéditions, que la difficulté des chemins & de la ſaiſon rendroit ſans cela impraticables. Il importeroit encore d'établir une maniére d'écoles militaires; & auſſi une école de Chirurgiens, où les apprentifs fuſſent bien inſtruits dans l'Anatomie, & ſtilés aux opérations.

Outre les maladies, & les deſſeins des ennemis, on eſt encore obligé de ſe précautionner contre d'autres cas fortuits, tels que ſont ceux qui ſont cauſés par le feu, & par l'eau. C'eſt pourquoi l'introduction des ſeringues à boyaux par tout le pays, même dans les petites villes, ſeroit utile, puis qu'il y auroit moyen d'en diminuer la dépenſe de beaucoup. Et quant à l'eau, on pourroit ſouvent la divertir, s'en aſſurer des rivages, & diminuer les inondations. Sans parler d'autres affaires de police, comme ſeroit l'inſpection des bâtimens, le redreſſement des poids & des meſures pour obvier aux fraudes, & les bureaux d'adreſſe.

Un point des plus importans ſeroit auſſi la propagation de la foi par les Sciences, en portant la lumiére, & la culture chez les peuples éloignés. L'on a trouvé, que les Mathématiques & la Médecine ont donné le plus d'entrée aux Miſſionaires. Et comme le Czar eſt porté à favoriſer ces ſortes de deſſeins par tout ſon grand Empire, la bonne intelligence où il ſe trouve avec Sa Majeſté, donneroit aux perſonnes qu'on voudroit envoyer juſqu'aux Indes, & à la Chine, les moyens d'y pénétrer facilement, de regagner les fraix par le Commerce, & de nous rapporter les productions & connoiſſances de ces pays & peuples en échange des nôtres. Je paſſe mille autres choſes, & je n'entre point dans le détail de ce que je touche, pour éviter la longueur.

Pour exécuter des deſſeins ſi utiles & glorieux, la Societé des Sciences, qui réuniroit en un corps le but d'autres Académies, ou Societés curieuſes établies chez les étrangers, ſeroit pourvuë de perſonnes de réputation & de mérite, & qui ſeroient véritablement zélées & portées à bien faire ſur toutes ſortes d'objets. Elle établiroit des correſpondances chez les étrangers, & envoyeroit même des perſonnes à la quête, pour acquerir des connoiſſances de conſéquence. Elle publieroit des mémoires & journaux à la façon des Anglois, des François, & autres; & tâcheroit même d'en corriger les défauts. Elle feroit faire des obſervations Aſtronomiques, & ſur la variation de l'aiman; choſes des plus importantes pour la Géographie, & la Navigation. Mais elle feroit travailler ſur-tout avec application aux obſervations médicinales, & en feroit donner actuellement le réſultat, puiſ-

puiſque c'eſt la choſe la plus importante, & la plus innocente du monde.

Mais tous ces beaux deſſeins ſeroient des châteaux en l'air ſans un fonds ſuffiſant. Sa Majeſté y a pourvû en partie. Cependant il ſeroit peut être bon d'y joindre quelques moyens, qui ſeroient également utiles au public, & capables de donner quelque revenu. On a commencé à mettre ordre aux Almanachs. Une choſe des plus faiſables encore, ſeroit d'autoriſer la Société par un privilège à introduire des bons livres dans les écoles, qu'elle feroit réimprimer, & faire de nouveau; cela ſerviroit à en bannir les erreurs & inutilités, & à faire apprendre promptement & agréablement les doctrines les plus ſolides & les plus utiles. On pourroit encore trouver quelque profit raiſonnable dans le commerce, & dans la fabrique du papier; matiére qui a bien de la liaiſon avec les Sciences.

Le bureau d'adreſſe, la rectification des poids & meſures, & l'introduction des ſeringues à feu avec de longs boyaux, & d'autres bons ordres contre les incendies, y pourroient contribuer auſſi. Mais le gain de terroir, en faiſant écouler les eaux, & d'autres améliorations œconomiques de cette nature, aſsûrées en fonds de terre, ſeroient des plus ſolides fondemens d'une entrepriſe durable. Et comme il y a quantité de fondations pieuſes dans le pays, deſtinées à l'avancement des études, on les pourroit faire concourir au but glorieux que le Roi ſe propoſe. Mais comme il faudroit quelque revenu clair & net au commencement, on pourroit tirer quelque choſe du public d'une maniére raiſonnable, & qui ne ſeroit point à charge.

PATENTES *accordées par S. M. le Roi de Pruſſe à Mr.* G. G. Leibniz, *pour la Charge de Préſident de la Societé des Sciences, fondée à Berlin l'année* 1700.

NOus FREDERIC III. par la grace de Dieu, Margrave de Brandebourg, Archi-Chambellan, & Electeur du St. Empire Romain, &c. &c. SAVOIR FAISONS par les préſentes, qu'étant inſtruits du mérite, & des éminentes qualités du Conſeiller privé de la Cour Electorale de Brunſwic, *Godefroy Guillaume de Leibniz*, par ſes ouvrages, & par le rapport avantageux qu'on nous a fait de ſon ſavoir dans la Juriſprudence, ſur tout quant au Droit public, & au Droit des Gens; de ſes profondes connoiſſances, de ſa pénétration extraordinaire, & de diverſes belles inventions & rares découvertes qu'il a faites dans pluſieurs Sciences curieuſes, utiles, & ſublimes, comme ſont la Philoſophie, les Mathématiques, les Antiquités, l'Hiſtoire, les Belles-Lettres, & autres ſciences qui méritent qu'on s'y applique; en conſidération de quoi il y a déjà long-tems qu'il a été aggrégé à l'Académie Royale des Sciences de Paris & à la Societé de Londres; Nous avons réſolu en grace de le conſtituer Préſident de la

nouvelle Societé que nous avons fondée pour procurer l'avancement des Sciences utiles, & les progrès des Beaux Arts; le ſuſdit *de Leibniz* ayant de ſon côté déclaré, par un effet de cette loüable inclination qu'il a pour le maintien des Arts & des Sciences, qu'en ſe conformant à nôtre gracieuſe volonté il accepteroit cette Charge, dont il peut s'acquitter commodément, & ſans négliger les fonctions de ſon Emploi actuel, autant que le voudra permettre ſa Cour, au ſervice de laquelle il demeurera toujours attaché.

A CES CAUSES, nous le nommons, & l'établiſſons effectivement par les préſentes en qualité de Préſident de la Societé des Sciences, enſorte, & à icelle fin qu'il ait à remplir cette ſienne fonction avec zéle & fidélité, en procurant nôtre avantage, celui de la Societé, & en même tems celui du Public. Pour cet effet il gérera la Préſidence; & afin d'y vaquer, il ſe rendra dans nôtre Réſidence, autant que ſes charges préſentes, & ſes autres occupations pourront le permettre; & quand il ſera abſent, il chargera quelque autre de préſider à ſa place. Il ſera attentif à tout ce qui peut être utile aux vües que nous nous ſommes propoſées en fondant la Societé, & en procurera l'exécution autant que la choſe dépendra de lui; lorſqu'il ſera ſur les lieux, il ordonnera les convocations d'Aſſemblées; il conférera ſoigneuſement avec le Directoire de la Societé ſur l'état, les circonſtances, & les progrès de ce Corps, & avec tous les autres membres ſur les divers objets de leur travail; quand il ſera abſent, il correſpondra rélativement aux mêmes choſes, & donnera ſes ſoins à ce que tout ce qui ſe paſſera dans ce corps ſoit mûrement examiné, & traité avec ordre. Pour leſquels ſervices nous avons non-ſeulement réſolu en grace, de lui donner le rang d'égalité avec nos autres Conſeillers Privés de Juſtice, mais encore de lui aſſigner des appointemens convenables, de le dédommager outre cela de tous les fraix qu'il pourra faire pour le bien public, pour le nôtre & pour celui de la Societé, enfin de lui accorder dans l'occaſion toutes les autres graces, & émolumens, que ſes fidelles ſervices lui donnent lieu d'eſpérer.

En foi de quoi, nous avons ſigné les préſentes de nôtre main, & y avons fait appoſer nôtre Sceau.

Donné à Cologne le 12. *Juillet* 1700.

FREDERIC.

(L. S.)

P. DE FUCHS.

G. G.

G. G. LEIBNITII
JUDICIUM,

De Scriptis Comenianis, D. Heſenthalero *Profeſſori quondam Tubingenſi, inſcriptum.*

QUia licuit mihi beneficio tuo majore, quàm antea ſolitus eram, in *Comenii* ſcriptis animi attentione verſari, judicium meum qualecunque, quod flagitas, ingenuè perſcribam. Et primùm agnoſco profundiores paullo cogitationes voluiſſe, quàm prima ſpecie appareret. Vellem ad particularia ſe demiſiſſet magis. Neque enim dubito ingentem ei rerum apparatum tot annorum ſtudio comportatum præſto fuiſſe, cùm præſertim ipſummet alicubi & rationibus & exemplo ſuo excerpendi ſtudium commendare videam. *Didactica* ejus in ſumma valde probo, nec moveor illis quæ in ſua methodo *Beccherus* objicit. *Becchero* videtur vocabula naturali ordine digeſta quidem, ſed disjuncta ſeparataque, nec in continuitatem ſermonis colligata, exhibenda diſcentibus eſſe. Mihi contra videtur, nihil lucis, nihil jucunditatis ineſſe ſimplici vocabulorum congeriei, utcunque ordinatæ, quod ex ipſo Beccheriano ſpecimine ſatis apparet. *Comenio igitur prorſus aſſentior, Januam Linguarum & Encyclopædiolam debere eſſe idem.* Illud tamen diffiteri non poſſum in hac philoſophiæ luce rem paullo aliter inſtituendam, quàm illis temporibus potuit *Comenius.* Quæres, *quid Encyclopædiolam complecti debere credam?* Ego verò ad eam pertinere puto *primùm* definitiones vocabulorum crebriorum & inſigniorum, & ex his deducta theoremata & problemata inſignioris uſus, eaque in moralibus adagio aliquo dictoque Sapientum aut hiſtoria memorabili veſtita aut potiùs explicata: *deinde* experimenta naturæ vulgariora, *denique* compendium Hiſtoriæ & Geographiæ tum univerſalis, tum inprimis hodiernæ. Videtur mihi *Hornius* hoc inprimis fine poſtrema aliquot opuſcula ſua publicaſſe, quem ego, quicquid etiam dicant delicatiores, non omnino contemno, melioribus tamen opus eſſe agnoſco. Encyclopædiolam autem his contractis conſtare vel hinc apparet, quòd Encyclopædia integris abſolvitur. *Eſt enim* utique *Encyclopædia Syſtema omnium, quouſque licet, propoſitionum verarum, utilium, hactenus cognitarum.* Omnes autem propoſitiones aut ſingulares ſunt aut univerſales, quanquam dentur ſingulares quiddam univerſitatis tenentes, ut propoſitiones de corporibus cœleſtibus ob conſtantiam curſus, quemadmodum contra dantur univerſales ſingularibus accedentes, quæ ſcilicet inductione ſunt

fabricatæ. Singulares univerſæ ſunt pars aut hiſtoriæ aut Geographiæ univerſalis, aut potius utriuſque, tractant enim de iis quæ certo tempore locoque evenere. Propoſitiones univerſales vel *demonſtratione* vel *inductione* conſtitutæ ſunt, id eſt vel ratione vel ſenſu. *Demonſtratione* cognitæ ſunt propoſitiones, quæ pendent ex definitionibus vocabulorum, ſeu claris diſtinctisque ideis rerum, quales ſunt omnes arithmeticæ, geometricæ, logicæ, metaphyſicæ, magnaque pars earum, quæ ad moralia ſcientiamque civilem ac juriſprudentiam naturalem pertinent; quarum omnium clavis in definitionibus continetur. Cùm enim *nihil ſit aliud demonſtratio quàm combinatio definitionum*, ut in arte combinatoria oſtendi, manifeſtum eſt, qui claras quaſdam ac lucidas definitiones vocum habent (quales *Plato* in dialogis paſſim, *Ariſtoteles*, *Euclides* cæterique mathematici; *JCti veteres* in pandectis, *Cujacius*, *Campanella*, *Carteſius*, *Hobbius*, & ſæpiſſime *Ritſchelius* dare ſolent) eum innumera theoremata ſolius Analyſeos ope, (ut in arithmeticis *Diophantus* & *Cardanus*, in Geometricis *Vieta* & *Carteſius*, at in mechanicis & civilibus hactenus docuit nemo) eruere, & problema datum ſolvere, aut oſtendere impoſſibilitatem poſſe. Quo negotio cùm apex humanæ ſcientiæ contineatur, efficiam ſpero, ut quæ aliquando *de arte combinatoria* Lullianorum exerrationibus depravata & infamata *pene puerilibus annis orſus* ſum, fructu aliquo exitum ſortiantur.

Inductione cognitæ ſunt propoſitiones medicorum, chemicorum, aſtronomorum pleræque omnes aut ſaltem fundamentales. Denique dantur propoſitiones mixtæ ex theorematibus & obſervationibus inter ſe combinatis deductæ. Sed quo feror? Volui hæc eo tantùm conſilio huc afferre, ut » oſtenderem, non poſſe perfectam Encyclopædiam, aut Encyclopædio» lam fieri, niſi omnium potiſſimorum vocabulorum definitionibus, om» nibus expetimentis artium liberalium pariter & mechanicarum fundamen» talibus, utilioribus, denique Hiſtoria univerſali temporum locorumque » diſtinctiſſima ſummaria, collectis & digeſtis. Unde omnia accedentibus tantùm artibus combinatoria & analytica, ſeu ſynthetica & reſolutoria, quarum illa invenionis hæc judicii eſt, propriò ingenio ſuppleri poſſunt; quanquam auctis interim experimentis, Hiſtoria & Geographia, ipſa quoque Encyclopædiæ ſuppellex perpetuò augeatur. Sed & Hiſtoriæ & Obſervationes particulares, quæ nihil cum publicis negotii habent, ut Sectio anatomica monſtri cujuſdam, ubi parum refert quo loco & tempore contigerit, rectius velut materia inductionum ab Hiſtoria & Geographia ad experimenta transferuntur. Hæc mihi nuperrimè circa Comeniana deſtinata conſiliumque præclarum Encyclopædiæ perficiendi in mentem venere aut rediere.

G. G.

Digitized by Google

G. G. LEIBNITII
COGITATA QUÆDAM,

De ratione perficiendi & emendandi Encyclopædiam Alſtedii.

OPeræ pretium eſſet, Encyclopædiam *Alſtedii* perfici & emendari. Deſuit viro optimo non labor, non judicium, ſed materia, ſed noſtri temporis felicitas. Ego verò ad ejuſmodi Encyclopædiam conſtituendam hæc nobis comportanda puto. Quicquid ſciri dignum eſt, diſtinguo in Theoremata ſeu rationes, & obſervationes ſeu hiſtoriam rerum, hiſtoriam locorum & temporum. Encyclopædiæ igitur neceſſaria ſunt primo elementa veræ philoſophiæ accuratè demonſtrata. Huc inſerendus *Thomas Hobbes* de corpore & de Cive integer, paſſim tamen emendatus. Inſerenda huc Elementa *Euclidis*, & quæ iis addita ab eo tempore inventa, ſimiliter demonſtrata. Pro vera Theologia addenda noſtra Elementa philoſophica de mente, pro vera Juriſprudentia noſtræ demonſtrationes juris naturalis, pro vera politica noſtræ demonſtrationes tum de utili in genere, tum de optima civitate poſſibili. Interea pro philoſophia de mente adhibenda excerpta quædam ex *Carteſio* & *Digbæo* & *Bonarte*, & Logica (nam & illa eſt pars Philoſophiæ de mente) *Jungii* cum excerptis ex *Claubergianâ* & *Arnoldiana*, & mea arte combinatoria. Pro vera Phyſica ſupplendo *Hobbio* addenda *Galilæana & Hugeniana* de motu, & mea etiam nonnulla, imò & *Ariſtotelica* & *Digbæana* quædam, quæ in metis ratiocinationibus non experimentis conſiſtunt.

Nunc ad *Hiſtoriam rerum* ſeu Obſervationes. Obſervationes itidem ſunt *de mente*, *de corpore*, *de homine*; obſervationes de mente ſunt vel de noſtra, vel de aliena. Ad noſtram pertinet doctrina characteriſtica de moribus & affectibus eorumque variis cauſis, gradibus, effectis, mutationibus; tum doctrina de obſervationibus mentalibus ipſarum cogitationum, quibus rebus ſentiamus juvari memoriam judiciumque, quibus ingenium, multaque alia id genus reflexionibus in nos ipſos factis annotanda. Tum doctrina de ſomniis, ecſtaſibus, operationibus Lunaticorum, ebriorum &c. Et omnino illud diligenter attendendum eſt, curnam homines ſemper cogitent, nec ullo momento ceſſet anima, neque in ſopore, neque in Apoplexia, neque in ipſis viciniis mortis, cùm tamen is cui ſubitò ſuccurritur, ad ſe redit, & de extremis renunciat.

Porrò de mente aliena obſervationes inſtitui poſſunt, ſi omnia obſerventur, quæ in mundo etiam ſine cooperatione hominum rationabiliter fiunt. Huc regimen mundi ejusque forma, uſus partium tum mundi, tum corporis humani. Sed hæc pars veluti faſtigium operis univerſi imponenda eſt, quia pendet ex hiſtoria cæterorum omnium cognita. Ergo huc tantum referenda

ferenda eſt *Hiſtoria* omnium *miraculorum*, quæ in mundo præter naturæ curſum contigere, & ex iis inſtitutæ obſervationes. Hic neque ſagarum narrationes negligendæ, quæcunque ſolidæ ſunt. *Hiſtoria phyſica* conſiſtit in phyſica ſpeciali, nucleo *Aldrovandi*, *Geſneri*, *Bauhini*, additamentis ad eos, tum mathematica mixta, quia nimirum & ſpecierum & qualitatum hiſtoria habenda eſt. Huc igitur *Schotti* totus *curſus mathematicus*, demtis purè arithmeticis & geometricis, referri debet. Huc omnium ferè artium mechanicarum recondita.

Hiſtoria temporum eſt univerſalis, illa prorsùs neceſſaria noſtro ſcopo. Hic jungendi *Calviſius*, *Petavius*, *Alſtedius*, *Labbæus*: particularis vero accurata noſtrorum temporum, cum abſolutiſſimo Indice ad exempla cuilibet ſtatim caſui ſimilia reperienda. *Hiſtoria locorum* eſt Geographia tum vetus tum recens.

Nunc tandem ſequitur faſtigium operis de admirabili regimine mundi & incredibili ſapientia directoris Dei, ſeu de *finibus rerum*, Theoremata de Ente, de mente, de ſpatio, de motu, de bono. Obſervationes de motu, de qualitatibus, de mirabilibus, miraculis, de ſpeciebus. Hiſtoria temporum omnium & maximè noſtri (univerſalis & hodierna) locorum omnium & maximè noſtri. De Regimine mundi ſeu Deo collectiones. Hiſtoria conjecturalis, problemata de agendo.

Partes Encyclopædiæ.

Theoremata, *Hiſtoriæ*, *Obſervationes*, *Hypotheſes*, *Problemata*. Theoremata ſunt Propoſitiones univerſales, ſumtæ ex *ratione* tantùm. Hiſtoriæ ſunt propoſitiones ſingulares contingentes, ſumtæ a ſenſu compoſito ſeu *inductione*. Hypotheſes ſunt propoſitiones ſive univerſales ſive ſingulares theoreticæ ſumtæ ex *ſenſu & ratione*. Problemata ſunt propoſitiones ſive univerſales ſive ſingulares practicæ ſumtæ itidem ex ſenſu & ratione. Illud in arbitrio eſt, miſcere ſibi invicem an ſeparatim ponere præſtet; & quidem ſi ſcientialis ordo prorſus ſeverè teneri debet, ſeparari decet, ſi conſuetudo, jungo. Sed optimum eſt parallela quadam forma proponere, quæ ſeparat ſimul & jungit. His accedat coronis, *Index* ſeu *Lexicon vocabulorum* prorſus accuratum, quo & vocabulorum confinitates explicantur, ut, quod in hoc non invenies, in cognato petere admoneariis. Hæc demum diſtributio mihi ſatisfacit.

Theorema eſt; ſi quid ſemel cogitat, perpetuò cogitabit.

Hiſtoria; *Titius* cùm jaceret in apoplexia vel ſopore, expertus eſt, ſemper ſibi cogitationes, confuſas tamen, obverſatas.

Obſervatio; multa ſomnia divinatoria ſunt.

Hypotheſis, ſeu collectio ex his experimentis, mens noſtra cùm à corporis functionibus ceſſat, à ſuperiore quadam mente patitur.

Problema, ſeu propoſitio practica, mentem noſtram ſuperiorem habere amicam. *Neceſſaria* propoſitio eſt quæ non poteſt non eſſe. *Contingens* eſt, quam non implicat non eſſe. *Univerſalis* propoſitio eſt, quæ non tantùm certo

certo loco & tempore vera eſt. *Singularis*, cujus veritas eſt certo loco & tempore exiſtere, extitiſſe vel extituram. *Theoretica* eſt, quæ non continet quid ſit *bonum* cogitanti, ſive abſolutè ſeu quid ſit *juſtum*, ſeu hypotheticè quid ſit *utile*. Nunc demum in partiendo ſatisfacio.

Sunt autem & theoremata, & hiſtoriæ & obſervationes, & hypotheſes, & problemata, de Ente, Mente, Spatio, Motu. In *Juriſprudentia* theoremata juriſprudentia naturali; Hiſtoriæ, legibus & conſuetudinibus particularibus; obſervationes, factis inde per inductionem & collationem propoſitionibus univerſalibus; Hypotheſes, decidendis caſibus controverſis; problemata, cautelis continentur.

Medici theoremata petunt ex phyſicis & mathematicis. Hiſtoriæ ſunt eorum conſilia, praxes, caſus. Obſervationes ſunt in eorum phyſiologia & pathologia. Hypotheſes ſunt in ſemeiotica. Problemata in diætetica & methodo medendi ſeu therapeutica.

EXCERPTUM

EX EPISTOLA G.G. LEIBNITII AD AMICUM,

De utilitate Grammaticæ Cylindriaceæ Alberti von Holten.

Alberti von Holten inventum Grammaticæ Cylindriaceæ utiliſſimum eſt, & in multis imitabile: occaſionem talia meditandi ei dedi *meâ arte combinatoriâ*. Similia *Kircherus* machinatus eſt. Cæterum eadem ratione parari *ciſta* poſſet, quæ omnia theoremata poſſibilia inter certas voces contineret, definitionibus earum ultimis fundamenti inſtar indagatis, eumque in finem elementa formari poſſent non difficulter primariis vocibus adhibitis. Sed pro univerſali opere aſſignanda eſſet certa vox cuilibet combinationi, eumque in finem conferendæ omnes linguæ; una enim rem aliquam ſola exprimit, quam cæteræ nonniſi circumlocutione dicere poſſunt. Uni autem voci nonniſi una aſſignanda eſſet ſignificatio. Sed fortaſſe tanta opera non eſt omnino neceſſaria. Satis eſt potiſſimas combinationes habere, ſeu voces certas rerum extantium, & præ cæteris conſideratione dignarum, v. g. in geometria ad uſum vitæ humanæ paucæ propoſitiones ſufficiunt. Eæ igitur combinationes attendendæ, quarum conjunctione producitur aliquid conſideratione dignum, quemadmodum & infiniti ſunt proceſſus chymici ſeu combinationes, ſed non quilibet producit aliquid conſideratione dignum & extraordinarium. Ii igitur termini qui ſunt utilitatum vitæ humanæ, & rerum eas utilitates producentium, maximè conſiderandi ſunt. In Juriſprudentia conſtituta accuratè tabula facile erit tale quid machinari. Adde conceptus *Wilkinſii* & *Comenii* de Panglottide ſeu lingua univerſali.

G. G. LEIBNITII BREVES QUÆDAM COGITATIONES

In hiſtoricam de beatâ Virgine Mariâ relationem a D. *Renoulto* conſcriptam.

Ex libr. Eccardi inſcript. Von dem Monatlichen Auſſug neuer Bucher. ann. 1702.

IN relatione libri, qui de *Madonna* inſcriptus eſt, hæc eſſent commemoranda: ſcripta ejuſmodi probari haud poſſe, in quibus Papiſtarum ſic dicta *Madonna* tanquam perſona moribus non admodum honeſtis repræſentatur; notum enim eſt, per Noſtram Dominam, vel *Madonnam* aliam apud Papicolas non intelligi niſi Sanctam *Mariam* Virginem: ac licèt imprudentes etiam inter ipſos ſint plures, qui Sanctiſſimæ huic Virgini indecora multa affingere ſoleant, id tamen novam non inducit perſonam, neque ipſa ſubſtantia ſed accidens ſolummodo mutatum eſt: Atque ſi quis in Italiâ Galliâve aut quibuſdam etiam Germaniæ locis, contumeliosè adeo de *Madonna* loqueretur, quod libri hujus auctor facit, is ſanè unumquemque maximopere offenderet, ſecundùm leges capitis periculum incurreret, ſuperque hæc omnia Religionem Romanam injuria afficeret; quippe cùm ejus ſectæ homines ratione ſuâ utentes legendarum, ut vocant, nugamenta haud probent. Proſopopœia igitur eſt minimè probanda, ex ridiculis legendarum fabulis ſingularem perſonam effingere, iiſque eam nominibus, quæ tot gentes beatæ Virgini tribuunt appellare velle. Fingamus fieri poſſe, ut variæ cavillationes aut calumniæ a calumniatoribus, vel a ſimplicibus hominibus minùs decentia de Principis alicujus perſona in vulgus ſparſa fuiſſent, annon eſſet intolerandum quid, ſiquis ex malo ejuſmodi rumore Principis hujus vitam eo adhuc vivente, vel eo quo inprimis coleretur loco, rebus vituperio dignis plenam conſarcinaret & excuſationis loco diceret: Eſſe iſtam Reginæ N. N. non quidem veræ illius ſed alterius ab aliis quibuſdam ita deſcriptam vitam.

Inprimis ſe hic manifeſtat inconſultus Religionis zelus, & quidem pernicioſo admodum & periculoſam exacerbationem ferente modo. Quod idem & Scriptores quidam ex iis, qui ab Eccleſiæ Romanæ partibus ſtant, contra Reformatos fecere dum iniquiſſimo convicio, Calvinianorum Deum ipſum diabolum eſſe, aſſerere haud dubitaverint: Præſertim cùm aliquando celeber ille Heidelbergenſium Theologus *David Paræus* cum *Martino Becano* haud minus celebri Jeſuita in thermis Sualbacenſibus diſputaret, hic nimio diſputandi fervore abreptus, ita ratiocinaretur:

Quicun-

Quicunque eſt autor peccati, ille eſt Diabolus:
Atqui Calvinianorum Deus eſt auctor peccati:
Ergo Calvinianorum Deus eſt Diabolus.

Meritò itaque illi minor a *Paræo* negata eſt propoſitio. Ubi ſimul hoc addendum, quòd, licèt aliquis fuiſſet auctor, cui per imprudentiam fortè excidiſſet: Deum quodammodo peccati auctorem eſſe, minor tamen propoſitio valere non poſſet, Deum ſcilicet ipſius peccati auctorem eſſe habendum; quippe cùm auctor ejuſmodi alium non habeat Deum, præter illum unicum, æternum, omnipotentem ſapientiſſimumque rerum Dominum, ego ſanè reverà dicere nequeam, ipſius Deum peccati eſſe auctorem; ipſius enim Deus etiam meus eſt Deus: Minor itaque ſic efferenda eſſet: N. Deus ex ipſius mente eſt auctor peccati, totumque argumentum ita eſſet conſtituendum:

Qui ex mente N. peccati auctor eſt, ille eſt Diabolus;
Atqui N. Deus eſt ex N. mente peccati auctor,
Ergo N. Deus eſt Diabolus.

Sic ergo major propoſitio erit falſa: Is enim qui ex N. mente peccati auctor eſt, is ideo revera non eſt talis.

Si quis itaque non niſi ritè formatas propoſitiones formare, ex iiſque rectè concludere velit, ita ſe explicet oportet: Si effatum N. verum eſſet, mala inde ejuſmodi concluſio ſequeretur: ſed ideo neque ipſi mala ejuſmodi propoſitio imputari, neque ipſius Deo malum ejuſmodi nomen tribui poteſt.

Ejuſmodi olim controverſia fuit agitata eo tempore, quo Imperatores Chriſtiani Conſtantinopoli imperitabant; tum enim aliqui magna contentione, *Machometis* Deum exſecratione devovendum clamabant, cùm enim *Machometes* ſuos alium Deum non docuiſſet, niſi omnipotentem illum hujus univerſi creatorem, licèt unum alterumve attributorum ejus negaret, contraque ea unum alterumve, quod ipſi minùs conveniebat, ei tribueret: Eadem eſt ratio, ſi quis malè de Papiſtarum *Madonna* voluerit loqui.

Hoc inſuper meritò addendum, ſi auctor librum ſuum Gallicè ita inſcripſiſſet: *L'hiſtoire de Notre Dame*, eandemque iis proſcidiſſet, quibus *Madonnam* conviciis, futurum fuiſſe, ut quemvis offendiſſet lectorem; iſtos verò qui æquivalentem Italis auribus vocem eodem ſenſu uſurpare ſunt aſſueti, ſimili omninò modo offendi neceſſe eſt. Reſtat igitur, ut ejuſmodi legendarum ſcriptores, merita afficiantur pœna, ipſiſque demonſtretur, quàm indecorè ſanctiſſimam Virginem tractent in ſuis ſcriptis; idcircò tamen *Mariam* ipſamve noſtram Dominam, ut vocant, eo prætextu quaſi ea ſit *Maria* illa in legendis occurrens contumeliosè haud eſſe tractandam. Id quoque nimium forte eſſe videtur: Dominum *Renoultum* hujuſce ſcripti auctorem *Neſtorium* laudare, Epheſinumque Concilium minùs probare.

G. G. LEIBNITII COGITATIONES MISCELLANEÆ

In nonnulla Loca Nov. Liter. anni 1715.

Ex novis literar. anni 1716.

F*Enelonii* librum egregium verſibus ludicris (*burleſques*) deſcribere velle, idem mihi videtur, quod hiſtoriam *Judithæ* in ſcena ridendam exhibere: Meliùs id fiet cum *Homero*, nam ego quoque ſentio, deridendos propinare voluiſſe poetam Deos ſuos, atque Heroas, non enim *Virgilii* more pro *Auguſti* Majeſtate digna cecinit, ſed populo recreando carmina ſua prælegit: Ingenii tamen magnitudinem oſtendit, & ſublime ſectatur quoties vult.

Merentur ſcriptores quidam medii ævi qui Palæſtinam deſcripſerunt, a *Relando* examinari; Illi enim haud pauca nobis de ea ſervarunt pulchra admodum, & vetuſta. Conſuli quoque poſſet *Gervaſius Tiberienſis* editus in ſcriptoribus Brunſvicenſibus.

Oſtendit *Leibnitius*, *Guidonis Grandii* ſeries non conſiſtere ex infinitis nullitatibus, ſed tantùm videri.

Dittorii & *Whiſtoni* methodus inveniendi longitudines nullam attentionem meruit.

Libellus *Hiſtoire ſecrette des intrigues de la France en diverſes Cours de l'Europe*, non videtur magnopere myſteria detexiſſe: De celeberrimo Hollandæ Penſionario *Jo. De Witt* inclementiùs judicat auctor, quàm magni alii viri ejus temporis, etiam ex parte adverſariorum, cujus exemplum eſſe poſſunt Eques *Temple* in ſcriptis ſuis, quæque mihi faſſus eſt *Conſtantius Hugenius* ſenior.

Baylium cum Gallis clam conveniſſe, eouſque proditum mihi eſt, nempe famoſi libelli *Avis aux refugiés*, eum quidem non ipſum auctorem fuiſſe, ſed accepiſſe a *Peliſſonio*, & editionem tamen adjuvaſſe, & hoc pacto cenſuram meruiſſe.

Mathanaſius non ineptè Criticos quoſdam perfricandi ſale ſyrico occaſionem arripuit: Ipſam artem criticam, & criticos omnes traducere nolle inconſultum eſt; Non enim deeſt ſtudio critico ſua utilitas, & rari ſunt critici boni qui nimium deſiderantur.

Vehementer laudari meretur *Dallæi* liber *de Uſu Patrum*: Aſt ritus iſtos in genere velut errantes, ſimplices & deridendos propinare, & noxium eſt,

eſt, & fundamento caret. Auctor, qui ita ſagus (*Whitoyns* de Script. S. interpret. ex P. P.) ſtudio Scripturæ ſe ita ſubvenire poſſe putat, cùm alius (auctor libri *The difficultys and-diſcouragements*) ex difficultatibus, quæ in lectione Scripturæ occurrunt, rem P. P. & traditionis adjuvat: Uterque limites excedit. Iterum ejus fit mentio p. 238. (*Journ. liter.*) qui locus nimium libertati cogitandi contra *Bentleyum* favet.

Non video qua utilitate legi poſſint memoriæ *d'Artagnan* pſeudonymæ, cùm concedatur, veris admixta eſſe falſa multa, nec fidendum eſſe his arcanis hiſtoricis, quæ ibi continentur.

Ars expiſcandi humani animi revera eſt ars conjecturandi, quæ ſæpè numero fallit, & qui nimis illi fidem habet, temerariis ſubinde judiciis exponitur.

Plerique qui hactenus de origine Juris Romani veteris ſcripſerunt, hiſtoriam tantùm Juriſconſultorum, non verò juriſprudentiæ Romanæ veteris exhibuerunt.

Rogatus ab Ill. Comite *Shaftsburio Leibnitius*, ut ad characteriſticæ ſuæ opus annotationes nonnullas adjiceret, eas in chartam conjecit ſecundæ editioni adjiciendas, ſi vivus vir illuſtris ſuperfuiſſet: Eas poſtea hiſtoriæ criticæ Reipublicæ Literariæ (L. X. n. 10. *Eloge critique des œuvres de Mylord Shaftsbury par Mr. Leibniz, communiqué par Mr. Coſte*) inſeruit ejus auctor *Coſteus*.

Plus placuit orbi incomparabilis *Fenelonius Telemacho* edito, quàm ſententia de amore puro vulgata: Quamquam fatendum quoque, nec pro eo defendendo Monachum Benedictinum *D. Lami*, nec pro eo impugnando *Epiſcopum Meldenſem* & *Malebranchium* rei feciſſe ſatis, & in debitâ luce poſuiſſe, eo quòd rectam, & accuratam veri amoris definitionem non dederunt. Ea in præfatione Codicis Juris Gentium Diplomatici aliquot ante litem hanc motam annis priùs editi declarata eſt, eſſe nempe amorem, delectationem in felicitate alterius, adeoque felicitatem alterius addiſcendi in ſuam, atque cùm res pulchra felicitatis eſt capax, tranſire affectum in verum amorem: Undè ſequitur, amorem alterius a noſtro bono, & amorem Dei a felicitate noſtrâ non poſſe ſeparari; Verùm hoc quoque cerium eſt, utilitatem præter delectationem in alterius felicitate ad amorem purum non pertinere, quamvis ea nec excludenda nec rejicienda ſit. Defendendo infallibilitatem Eccleſiæ in rebus facti, parùm, vir cæterum præſtantiſſimus laudis meruit.

Valdè urgebat *B. Mitternachtius* Rector Geranus, τὸ ae loco æ, & ſimilia, nec ſectatores in eo illi defuerunt, parum autem in his, & ſimilibus intereſſe puto: id certum ae cum conſuetudine, æ cum pronunciatione convenire.

Bachetus de Meziriac in Matheſi & Criticâ excellebat, quæ rarò unâ ſede morantur: Optandum ut ejus opus arithmeticum, quod ſupereſſe dicitur, edatur.

Auctor libri de purgandâ medicinâ a curarum ſordibus dicitur eſſe *Hecquetus* cui hypotheſin de triturationc in digeſtione debemus. Ea de re adhuc ſub judice lis eſt.

Primo libro *Sexti Empirici* annotationes quaſdam adjecit *Leibnitius.*

Præter diſquiſitiones hebraicas, obſervationes quoque ethico-politicas, immò phyſicas quoque conſcripſit *Gaſpar Neumannus* Theologus celeberrimus, quas nollemus perire.

Optandum ut *Koleſeri* Auraria Romano-Dacica typis edatur, ex illâ enim non nulla ſuppleri poſſe puto, quæ cum præſtantiſſimi *Opitii* Daciâ perierunt; Fortè ibi etiam antiquæ inſcriptiones inveniuntur.

P. Jobertus non nulla hypotheſium paradoxa, *Harduini* novæ opuſculi numiſmatici editioni immiſcuiſſe creditur. Ejus tantùm eruditioni numiſmaticæ pretium ſtatuere ſolebat *Morellius.*

Similia de cauſâ ſyſtematis *P. Harduini* ego quoque relata percepi, dubito verò, an pro ſuâ ſententiâ agnoverit. Quicumque contra veritatem ipſam pugnare contendit, audiendus non eſt: neſcit enim quid ſibi velit; Aliud eſt, quouſque ad fidem ſcientia deſideretur.

Fuiſſe *Gelbertum Gaulminum* inter præſtantiſſimos Eruditorum numerandum verum eſt; Principalem ſuiſſe falſum: Nota eſt traditio, cùm in regiâ bibliothecâ aliquando conveniſſent *Salmaſius*, *Gaulminus*, & *Mauſſacus*, dixiſſe ex his unum, poſſe ſe trinos toti orbi literario æquiparari, reſpondiſſe *Salmaſium*, concedere ſe, ut illi duo cæteris ſe jungant, & his tamen omnibus ſe parem fore. Nimium hoc fuit, quamvis dictum a præſtantiſſimo *Salmaſio.*

Non opus eſſe crediderim, ut Germani *P. Bouburſii* ineptias in nationem ſuam effuſas refutem, factum id eſt a ſuæ gentis viro quodam docto (*Joh. Barbier d'Aucourt*) qui ſcripſit *Sentimens de Cleanthe ſur les entretiens d'Ariſte & d'Eugéne*, qui eum ex merito depexum dedit. Mediocris vir fuit *Bouburſius*, qui neglecto religionis ſuæ, cui ſe addixerat, habitu, Damaretum quendam effingere, & fœmineam elegantiam exprimere ſatagebat: Ratus eum ingenii ſplendere pulchritudine, qui minimis eminerent, ut peregrinantes Compoſtellas oſtreis.

In editione Batavâ diarii Pariſienſis (Journal des Savans) refertur *Raſſiclem de Vigier* affirmare quòd omnes animæ humanæ in *Adamo* latuerint concluſæ. Hoc non eſt impoſſibile, non autem veriſimile, eamdem omnes cum eo voluntatem habuiſſe. In eo ſtatu non ſunt ſine inclinatione, & ſenſatione abſque intellectu, & voluntate ipſâ.

Verum eſt quod dicit *Ouſeelius*, Germanos in inveſtigatione punctorum hebraicorum, & accentorum aliis nationibus præcelluiſſe: Teſtes eſſe poſſunt *Florinus* quidam *Bohlius*, *Ledeburius Waſmuthus*, & nuper Cl. *Overbeckius*, Conrector Guelpherbytanus qui profundas meditationes de accentibus Hebræorum linguâ vernaculâ edidit.

Acidulas in alia loca tranſlatas eſſe noxias, abſolutè dici non poteſt.

Videas

Videas enim multos Pyrmontanas, Egrenſes aliaſque cum ſalutis eventu domi haurire: Deprehendit nuper vir quidam doctus & attentus, Medicinæ peritus, aquas Pyrmontanas tranſmiſſas in alias terras magis ventrem ſolvere, quàm apud fontem ipſum, eo quod partes materiales, quæ metallicæ ſunt, propter gravitatem primariò præcipitentur, quibus tamen vis purgandi per viam adſtringendi modus ponitur.

Hertii notæ in *Pufendorfium* de jur. nat. & gentium meritò commendandæ ſunt, rarò enim, niſi optimâ ratione nixus, illi contradixit. Quod verò monendum viſum fuerit *Leibnitio* ad libellum *Pufendorfii* de officio Hom. & Civis, ex epiſtolâ ejus ad *Abbatem Molanum*, (*a*) patet, quam primò vulgavit *Boehmerus* Helmſtadienſis, qui ejus occaſionem dederat de eo judicium petendo.

Inſolitum, Auctores Latinos annotationibus vernaculis illuſtrari: præſtat interpretationes, ſive verſiones Germanicas addere.

Valdè indignatur *Coteſius* in præfatione ad *Newtoni* principia illis, qui attractiones propriè dictas rejiciunt, eaſque ad miracula, vel qualitates occultas ſcholaſticorum relegant. Nihil autem dicit, quo hæc ſententia poſſit refelli.

Promovit quidem editionem actorum publicorum Anglicanorum *Rymeri*, *Halifax* primus Gazophylacii commiſſarius, ſumtus autem ex ærario publico facti ſunt. Continuatur opus poſt fata *Rymeri*.

De diſciplinâ arcani prolixè ſatis & eleganter, atque doctè inter *Schelſtratium* & *Tenzelium* diſputatum eſt.

Non concedendum quidem eſt, quod in memoriis Trevoltianis refertur, & refutatur, in prima creatione omnes fructus, arbores, plantas, animalia præſentia fuiſſe; admitti verò poteſt, viventia tunc jam fuiſſe, è quibus præſentia (attamen non ſine multis mutationibus, & præformationibus) ſuerint exorta. Itaque non dari ortum novarum ſubſtantiarum propriè dictum, nec generationem propriè dictam, non mortem propriè dictam. Nec ab innumerabili multitudine, quæ vix comprehendi poteſt, hæc enim noſtræ imaginationis limites tranſcendunt, ut alia multa quæ in naturâ eveniunt. Aliud eſt imaginari, aliud intelligere.

Præſtaret *Bentleyum* dignâ laude excitare ad refutandam porrò liberè cogitantium licentiam, non autem ejus famam in eâ re ſugillare.

Remedium repueraſcendi ridiculum eſt.

Verum eſt, in *Lockii* ſcriptis philoſophicis multa eſſe fundamento carentia, in Theologicis, haud pauca ſuſpecta, examine digna.

Multi ſcripſerunt de literatis infelicibus, ſed magis deſidero uberiorem materiam ſcribendi de literatis felicibus. Edidit quidem literatum felicem *Theophilus Spizelius*, ſed is præcepta non verò exempla exhibet.

Expe-

(*a*) Vid. hanc Epiſtol. in Tom. IV. pag. 11.

Digitized by Google

Experientiâ teſte probandum, vixque credibile eſt, globum tormento verticaliter explosum, ſemper versùs occidentem relabi, loco valdè ab eo puncto diſſito.

Adhibuit Chirurgus quidam Gallicus, qui in ultimo bello in Italiâ atque Sabaudiâ artem exercuit, modum ſanandi vulnera a *Cæſare Magato* adhibitum, quamvis *Magatum* neſciret. Proſilierunt non ſine commendatione ejus obſervationes Pariſiis.

Libellus de incertitudine ſcientiarum exigui momenti eſt. Laudari merentur qui non omnia incerta faciunt, ſed certa ab incertis diſtinguunt, ex incertis veriſimilia eligunt.

Jam per decretum Auguſtiſſimus Imperator voluntatem, & intentionem erigendæ Societatis ſcientiarum declaravit, quam non dubito, ſuo tempore eventu non carituram.

Contra prætenſas *Collinii* conſequentias in commercio philoſophico reſpondit jam celeberrimus quidam Mathematicus, calculi differentialis apprimè & præ aliis gnarus (*Bernoulli*) & contra *Newtoni* aſſertiones & vindicias peculiari Epiſtolâ multa monuit.

Erravere nova literaria Hanoverana, in morbo *Leibnitii* indicato.

Methodus incrementorum ipſa methodus differentialis eſt, alio nomine.

Non omnes probant judicium hic allatum de opere *Boirinii in Homerum*, immo laudantur labores viri doctiſſimi, maximè ſcutum *Achillis*.

Iniquè cum Abbate *Buguoit* egit auctor miſcellaneorum (*Oeuvres mêlées*) qui ſub literis G. D. B. latet.

Quamquam *Riccatus* contra *Bernoullios*, pro *Hermanno* ſcripſerit, hic tamen controverſiæ ſe immiſcere noluit.

Expectatur valdè Epiſcopi Salisburienſis *Burneti* hiſtoria ſui temporis.

De *Fikelii* verſione nonnulli judicant, plura eum habere ad *Homerum* pertinentia, *Popii* plura ad ſe ipſum referenda.

Occubuit fato *Waſſerbachius* ante abſolutam editionem operum *Hamelmanni*.

Lectu digna ſunt colloquia *Ziegenbalgi* cum Malabaris.

Refutatio *Malebranchii* (*P. Du Tertre*) nimia eſt, errores ei imputat, de quibus non cogitavit, laudandaque rejicit: Multum affectui dediſſe videtur auctor.

Non derivat auctor ſcripti de origine Francorum, eos propriè ex Daniâ, ſed ex ejus vicinià ad ora maris Baltici inter Eideram, & Oderam: Teſtemque adhibet non ſolùm anonymum Ravennatem, ſed *Funoldum* quoque *Nigidium*: Oſtendit quoque ubi leges Salicæ conditæ, nempe ad Salam Franconiæ, ubi Salagovia, cujus mentio ex Diplomatibus eruitur.

REMAR-

REMARQUES DE Mr. G. G. LEIBNIZ,

Sur un livre intitulé *Teſtamens des Princes d'Orange faits & confirmés par leur décès, dans leſquels ſont pleinement exprimées leurs dernières volontés*, imprimé in 12°. à la Haye en 1702. chez Meyndert Uytwerf.

CE petit Imprimé contient les Teſtamens de trois Princes d'Orange fréres, *Philippe Guillaume*, *Maurice*, & *Frideric Henri*; fils du fameux *Guillaume de Naſſau* Prince d'Orange, qui fut le fondateur de la République des Provinces Unies des Pays-bas. Ce ſage Prince, prévoyant le deſſein de *Philippe II.*, qui le flattoit par lettres pour l'attirer dans ſes filets, quitta le pays & ſes Gouvernemens un peu avant l'arrivée du Duc d'Albe; lequel ne pouvant pas exercer autrement ſon animoſité contre lui, fit enlever ſon fils *Philippe Guillaume*, qu'on appelloit *le Comte de Buren*, de ſa mére héritiére de Buren, lorſqu'il étudioit à Louvain, & l'envoya en Eſpagne. Ce fut alors que le Recteur de l'Univerſité ſe plaignant que c'étoit une infraction de leurs priviléges, *Vargas* lui répondit, *non curamus veſtros privilegios*. Ce jeune Seigneur reſta en Eſpagne pluſieurs années dans une priſon honorable, & ne fut relâché que lorſque le Cardinal (puis dit l'Archiduc) *Albert*, fut envoyé d'Eſpagne aux Pays-bas pour en avoir le gouvernement; où *Philippe Guillaume* Prince d'Orange l'accompagna, parce qu'on crut en Eſpagne qu'il pourroit être utile pour regagner l'affection des peuples. Quoique Papiſte & du parti Eſpagnol, il ne laiſſa pas d'être fort zélé pour l'honneur de ſon pére, juſques à jetter par la fenêtre l'Officier qui le gardoit, parce qu'il avoit parlé injurieuſement du pére en préſence du fils: Cet Officier mourut de la chute. Le Prince délivré épouſa *Eléonor* fille du Prince de Condé; il obtint la poſſeſſion des terres que ſon pére avoit eu en France, en Bourgogne & aux Pays-bas, tant Eſpagnols, qu'Unis; mais il mourut ſans enfans, & la cauſe de ſa mort fut la faute d'un valet, qui lui donnant un lavement, le bleſſa tellement avec la ſeringue, qu'il en vint une inflammation, & puis la gangrène.

Dans ſon Teſtament il prend les titres que voici: *Philippe Guillaume par la grace de Dieu Prince d'Orange, Comte de Naſſau, Vianden, Dietz, Catzenellenbogen, Buren & Lerdam, Seigneur & Baron de Breda, Dieſt, Steenbergue, Warneton, Grimbergen, Lanoy, Herſtal, Arlay, Nozeroy, Saint-Martenſdyck, & autres appendices & dépendances; Vicomte héréditaire d'Anvers & Beſançon, Chevalier de l'Ordre de la Toiſon d'or.* Si Dieu lui

donne lignée, ſoit fils ou fille, en tel cas, il veut que l'un ou l'autre ait l'entier héritage de tous ſes biens tant paternels que maternels. Le mâle parvenu à l'âge de diſcrétion n'ayant hoirs de légitime mariage, appellera le mâle le plus proche de la maiſon de Naſſau. La fille doit s'allier à la dite Maiſon. S'il n'a point d'enfans, ou que les ayant, ils vinſſent à faillir ſans laiſſer hoirs légitimes mâles ou femelles; en ce cas il nomme héritier univerſel ſon frére le Prince *Maurice de Naſſau*, & après lui ſes enfans mâles procréés en légitime mariage, leurs hoirs & deſcendans d'eux, préferant toujours le plus prochain mâle pour unique & univerſel ſucceſſeur; ſubſtituant au défaut de lui pour l'être, l'enſuivant. Et en cas que ſon dit frére & ſes fils allaſſent de vie à trépas ſans délaiſſer enfans mâles procréés de leur corps en légitime mariage, il inſtitue pour ſon héritier pour le tout & en la forme ſuſdite, ſon frére le Prince *Frideric Henri de Naſſau*, & ſes hoirs mâles procréés en légitime mariage & deſcendans d'eux ſucceſſivement, préférant toujours l'ainé & le plus prochain par repréſentation. Que ſi l'un & l'autre des fréres & leurs deſcendans allaſſent de vie à trépas ſans hoirs mâles légitimes, il inſtitue héritier univerſel le fils ainé de ſon oncle paternel le Comte *Jean de Naſſau*; & après le plus prochain de ſes hoirs mâles & ſucceſſeurs, ſelon le même ordre que deſſus, procréés en loyal mariage, mais ſans méſalliance. Le Teſtament eſt daté à Bruxelles le 20. Fevrier 1618.

Maurice eſt fort connu dans le monde par ſes grandes actions, & par le rétabliſſement de la diſcipline militaire. Il tira la République des Provinces Unies du danger où elle étoit encore, & força le grand Roi d'Eſpagne *Philippe II.* de faire une tréve avec elle comme avec un peuple libre, pendant laquelle il renverſa le parti des Arminiens, où on l'accuſe d'avoir porté trop loin ſon reſſentiment contre *Jean d'Olden Barnevelt*, à qui lui & l'Etat avoient de grandes obligations. Il vécut encore quelques années après la guerre recommencée, & mourut ſans être marié, le 23. Avril 1623. Dans ſon Teſtament il joint aux qualités priſes par ſon ainé celle de *Comte de Lingen & de Meurs*, *de Marquis de Terveere & Wiſſing*, *de Seigneur de Grave*, *Cranendonc*, *St. Vit*, *Lecke*, *Polanen*, *Nieuwaert*, *Iſſelſtein*. Après avoir recommandé ſon ame à Dieu, & ordonné de ſa ſépulture à Delft dans le tombeau de ſon pére, il nomme & inſtitue héritier univerſel ſon frére le Prince *Frideric Henri de Naſſau*, dans tous ſes biens tant allodiaux que féodaux, en vertu de l'octroy qu'il dit en avoir. Et au défaut de lui, ſes enfans & deſcendans mâles légitimes, & à leur défaut ſon couſin *Erneſte Caſimir*, Comte de Naſſau, & ſes deſcendans mâles légitimes, pour la conſervation du nom & de la maiſon de Naſſau; ordonnant & commandant ſérieuſement à tous ſes ſucceſſeurs & ſubſtituts de ſe conformer à cette diſpoſition, & qu'autrement les biens paſſeront au ſuivant, &c. Ce Teſtament a été fait à la Haye le 12. Avril 1623.

Frideric

Frideric Henri acheva d'établir la République des Provinces unies des Pays bas, par la négotiation de la paix de Munſter, qu'il favoriſa, mais qui ne fut achevée qu'après ſa mort, par un Traité où le Roi d'Eſpagne renonça à tous ſes droits. Mais avant que d'y venir, le Prince pouſſa vigoureuſement la guerre, premiérement pour les Etats ſeuls, puis en compagnie de la France; il gagna des batailles, & prit quantité de places. La France & autres lui donnérent le titre d'Alteſſe au lieu de celui d'Excellence que lui & ſes fréres avoient eu auparavant. Mais ce Prince s'appercevant que l'Eſpagne alloit être trop affoiblie, & que la France alloit trop prendre le deſſus, donna la main à la paix malgré les inſtances des François. Il eut d'*Amelie* Comteſſe de Solms un fils *Guillaume*, pére du Roi *Guillaume*; & quatre filles: *Louiſe* mére du Roi de Pruſſe, *Henriette Amelie* épouſe de *Guillaume Frideric* Prince de Naſſau, Gouverneur de Groningue &c. *Henriette Catherine* mariée à *Jean George* Prince d'Anhalt Deſſau, & enfin *Marie* épouſe de *Henri Louis Maurice* Prince Palatin de Simmeren. Le Prince *Frideric Henri* omet dans ſon Titre la Seigneurie de Leke (que *Maurice* avoit donnée à ſon fils naturel;) mais il y ajoute *les Seigneuries de Doesbourg, Gertruydenberg, Chaſteau Regnard, haut & bas Swaluwe & Nelwyk.* Il ordonne auſſi d'être enterré à Delft, & fait héritier univerſel ſon fils *Guillaume*, lui ſubſtituant ſes enfans & deſcendans légitimes, préférant toujours les ainés, & les fils aux filles. Au défaut de ſon fils *Guillaume* & de ſes deſcendans, en vertu & pouvoir de l'octroy obtenu à ce ſujet, il ſubſtitue ſa fille ainée *Louiſe*, ſes enfans, & deſcendans légitimes; & au défaut d'elle & d'eux, ſes autres filles l'une après l'autre. Le tout néantmoins à cette condition, que s'il venoit à avoir encore un fils, en ce cas toute la ſucceſſion au défaut de *Guillaume* & de ſes deſcendans mâles, iroit au ſecond fils & ſes deſcendans. Priant Meſſieurs les Etats Généraux, & Meſſieurs les Etats de chaque Province, de tenir la main à l'exécution de ce Teſtament, qui fut fait à la Haye le 30. Janvier 1644. Le Prince mourut le 14. Mars 1647.

Il y a une notable oppoſition entre ces Teſtamens: *Philippe Guillaume* & *Maurice* préférant les mâles de la maiſon de Naſſau, deſcendus du Comte *Jean* leur oncle paternel, aux filles de leur frére *Frideric Henri*; mais celui-ci ſubſtitue ſa fille ainée & ſa poſtérité à la poſtérité de ſon fils, & la préfére aux deſcendans de l'oncle; ce qui a été confirmé au 33. article du contract de mariage entre *Frideric Guillaume* (depuis ſurnommé le Grand) Electeur de Brandebourg, & la Princeſſe *Louiſe*, fait le 7. Decemb. 1646. En effet il eſt ſûr que les deux ainés *Philippe Guillaume* & *Maurice*, ſans le conſentement de leur cadet *Frideric Henri*, (quelque octroy que *Maurice* pût avoir eu des Seigneurs des fiefs) n'ont pû exclurre de ſa ſucceſſion les filles de ce Prince, ou leur poſtérité, ni changer la qualité des terres où le cadet avoit droit auſſi, & où les femmes devoient ſuccéder au défaut des mâles, ce qui ne pouvoit être changé par aucun

Teſtament, à moins que tous les intéreſſés en vie n'y conſentiſſent : & il n'y avoit point de raiſon ni de droit de leur preferer des mâles collateraux, qu'elles devoient exclurre ſans ce Teſtament. Et ſuppoſé la ſucceſſion des filles de *Frideric Henri*, le droit eſt indubitablement pour l'aînée, ou ſa poſtérité, puiſque la qualité des terres, tous les Teſtamens & la pratique ſont contre la diviſion.

G. G. LEIBNITII EPISTOLA AD FERDINANDUM ORBANUM,

Seren. Electoris Palatini Sacellanum,

De ſuo libro Demonſtrationum pro eligendo Rege Polonorum *qui ann.* 1669. *ſub nomine* G. V. Vlicovii *prodiit.* (a) *De præſtantiâ muſeorum nummorum.*

Reverendiſſime Pater,

Victoria inſignis, quam Deus fœderatis tribuit, facit, ut Reipublicæ, & imprimis Sereniſſimo Electori Palatino gratuler, cui certè, ſi cuiquam, hic pugnatum triumphatumque eſt. Neque meliori diplomate firmari poterat Cæſarea inveſtitura, quâ in decus & ditiones redintegratus eſt ſapientiſſimus & de patriâ meritiſſimus Princeps: Ego vetus ſum cliens, etſi incognitus, inclytæ *Neoburgicæ* domûs: quod etſi parum conſiſtens videbatur, tamen ita habet.

Juvenis admodum inclyto viro, D. *Johanni Chriſtiano Baroni Boineburgio* familiaris factus ſum, cùm Conſiliarium Eminentiſſimi Electoris Moguntini *Johannis Philippi*, in *Reviſionum* collegio agerem. Tendebat ille tunc legatus in Poloniam, Regni petendi cauſsâ pro magno Principe, a quo mittebatur, eoque rogante multa a me conſcripta ſunt Latino ſermone; nonnulla & typis edita quibus *Cauſſa Neoburgica* commendabatur. Aulæ Cæſarea & Gallica favebant in ſpeciem, ſed in arcano omnia alia agebant. Ita

(a) Hic liber prodiit *Gedani*, licèt fronti præſcriptum ſit, *Vilnæ* MDCLIX. in quo numero denarius omiſſus eſt. Reperitur in II. P. IV. Vol. hujuſce collectionis, in quâ continentur auctoris noſtri opera Juridico-Politica.

Ita Poloni moræ pertæſi præter recepta gentis axiomata in Piaſtum ſubito quodam impetu iverunt. Ceterum qui amici *Boineburgii* in gratiam, extra Principis notitiam, laboraveram, nolui poſt rem irritam venditare operam meam. Ita me aulæ *Neoburgicæ* tunc innotuiſſe non puto. Exſtat autem liber Danifci tunc pro cauſsâ *Neoburgicâ* typis editus, & a *Boeclero* (b) aliiſque etiam poſt rem tranſactam laudatus, ſub nomine *Georgii Vlicovii Lithuani*, id eſt, *Godefridi Wilielmi Leibnitii*. Volui enim initialium ſaltem literarum conſenſu indicare nomen meum. Hoc non aliam ob cauſſam dico, quàm ut Sereniſſimus Elector zelum meum non eſſe novum intelligat.

Nuper mihi ab amico e longinquis oris commendandum oblatum eſt Muſeum Nummorum inprimis veterum, pene Regiis comparandum, nunc venale. Sed ejus mentionem apud Sereniſſimum Electorem facere vix auſim, ne mihi ex oratione Dominicâ reſpondeat: *Et ne nos inducas in tentationem.* Fateor tamen exſtructo aliquo ſuburbano palatio, quamvis pulchro, pulchriorem & magnificentiorem eſſe talem collectionem: Nam ædificia elegantia paſſim occurrunt: ſed Muſea talia rariſſima ſunt, & ſi quis ea aliquando obtinere moliatur, etiam maximis ſumtibus niſi longo temporis tractu conficere ea non poteſt. Gaudeo eo jam loco per victoriam rem noſtram militarem eſſe, ut ad novas artes confugere non admodum opus eſſe videatur. Faxit Deus ut tanto munere rectè utamur. Vale & fave.

Hanoveræ 30. *Jul.* 1708.

(b) *Boeclerus* in diſſertatione de utilitate ex hiſtoriæ univerſalis compoſitione capiendâ imp. Argentorati ann. 1670. p. 38.

G. G. LEIBNITII

Oedipus Chymicus ænigmatis Græci, & Germanici.

INter mortuas Alchymiſtarum ſpes reſuſcitavit aliquot abhinc annis (anno Dom. 1700.) adoleſcens, à quo nihil tale expectares; qui Magdeburgo Betolinum antea veniens, puer rudis, ibique artis pharmaceuticæ tirocinia ponens, animo neſcio quomodo ad chryſopœiam adjecto, poſtremo mira ſpecimina edidiſſe fertur, quæ à multis celebrantur. Unum ab aliquot teſtibus oculatis mihi confirmatum eſt, quibus præſentibus, cùm magiſtro ſuo pharmacopœo, jam initiatus huic diſciplinæ, valediceret, tredecim bigroſſos quorum quiſque duodecimam partem 1 haleri currentis valere cenſetur, ab uno ſpectatorum fortè ſuppeditatos in catinum conjeciſſe, & in liquefacta tandem materia, exiguoque fragmine vitri ſubobſcuri, vitrum antimonii propemodum referentis injecto, mox ejuſdem cum tot bigroſſis ponderis aurum ſanè probum effudiſſe narratur: Eaque acta, antequam Dreſdam pervênit, ubi aliquandiu ſub inſignis Viri *Ehrenfridi Walthери Tſchirnhuſii*, nuper magna ſcientiarum jactura extincti, inſpectione egit.

Baſilio Valentino plurimum tribuiſſe adoleſcentem ajunt, & alio quodam manuſcripto libro uſum, quem ex Helvetia quidam Materiarius (Materialiſtam vel Drogiſtam vulgo vocant) Berolinum attulerat, à Magiſtro ſuo Helvetio ſibi creditum, & poſt ſubitam ejus mortem retentum. Cæterum fabuloſa eſſe puto, & ſeriùs excogitata, quæ de neſcio quo Græco Adepto apud Berolinenſes tranſeunte, & in puerum liberali memorantur. Mea enim inquiſitio paulo poſt rem geſtam peracta eſt.

Vulgo ajunt, *Baſilium* fuiſſe Monachum vel certè converſum Ordinis *S. Benedicti*, & Teſtamentum ejus, (ſic pars Operum inſcribitur) Erfordiæ ſub altari primario repertum. Sed *Johannes Philippus* Princeps Elector Moguntinus, naturalis ſcientiæ, (ut omnis doctrinæ) ſtudioſiſſimus, perquiſitione inſtituta nihil tale comperire potuit. Alii in *Walkenreda* Ciſtercienſium cœnobio egiſſe fratrem *Baſilium* volunt, narratiunculis fulti, quibus nihil certi ſubeſt. Vixiſſe ſe indicat, (niſi alius ſub perſona ejus locutus eſt) cùm incognitus veteribus morbus, quem Galli Hiſpanique ſibi mutuo imputant, paulo antea Europam invaſiſſet. Nomen fictum puto, fruſtraque in Monachorum noſtrorum catalogis quæri: *Baſilius* Regem, id eſt, aurum indicat, *Valentinus* ſanitatem; itaque duos vulgo jactatos magnos effectus mirifici Lapidis autorem indicare voluiſſe apparet, corporum

porum humanorum & metallicorum emendationem. Præ cæteris Alchymiſticis Scriptoribus methodum experientiamque ſpirat, multosque in naſſam *Baſilius* pertraxit. Et *Theodorus Kerckringius*, Anatomicis alias laboribus celebris, & novæ philoſophiæ peritus, non eo minus currum ejus triumphalem Antimonii Commentario illuſtravit.

Mea ſententia ſi qua eſt ars aurifica & argentifica, tam facilis, ut fertur, & fructuoſa, ſupprimenda eſſet multo juſtiùs, quàm vitri malleabilis inventum, quod *Tiberio* bilem intempeſtivè concitaſſe fertur. Nam ubi emanaret in vulgus (quod vix evitari poteſt, ſi magna auri pondera quærantur) genus humanum privaretur melioris monetæ commodo, ſanè magno. Aurum enim & argentum, portatilia & fectilia & non adulteranda, collybiſticæ ſchedulæ loco ſunt per orbem, quam nemo notus ignotusve refutat, & multum in exiguo pretii eſt. Sed aucta nimium copia perfectorum metallorum, ad æs & libram redeundum foret, & (uti non ita pridem in Suecia) pecunia à ruſtico ex venditis in urbe agelli fructibus quæſita, non marſupio, ſed carro domum referenda.

Sunt qui Tincturam illam celebrem metallorum, quam vulgò *Philoſophorum Lapidem* vocant (etſi hunc vetuſtiores de Lapide Tincturæ materia acceperint) negant ullo cum lucro parari poſſe; nam extrahi ex auro quintam quandam eſſentiam, (ut appellant) quemadmodum ex vino ſpiritus elicitur. Hanc deinde alia metalla, & argentum præſertim tingere in aurum novum, veluti ſi ex ſpiritu vini & aqua vinum redderetur, aut quemadmodum *Glauberus* ex ſpiritu nitri & ſale Tartari aliove fixo nitrum regenerare docuit, quod poſtea *Robertus Boylius* integro libello illuſtravit. Hanc artem auri conficiendi, etſi parum lucroſam, imò damnoſam, extare mallem; neque enim commercia humana turbaret, & plurimum lucis in natura accenderet, tam raro corpore producto, cujus credendum eſt miram in alia efficaciam fore.

Sed multa hanc quoque operationem parum veriſimilem reddunt. Et ſemper creditu difficile videbitur, ſive ex auro ipſo ſive aliunde tincturam pares, materiam argenti, duplo pene ſpongioſiorem auro, tam ſubito condenſari contrahique poſſe, pulviſculo tantùm injecto. Seminis vulgo comparatione utuntur, ſed illud in organicis locum habet, nec tam ſubito operatur. Itaque potiùs pulveris pyrii ſimilis foret tincturæ metallicæ operatio, quod etiam (ſi bene memini) *Augurellus* Alchimiſtarum poëta notavit. *Nitri* (modernorum intelligo, quod vulgo ſalem petræ vocant, non veterum) regeneratio, meo judicio, apparens eſt tantùm, nam priſtinum nitrum, ſed vi ignis ad magnam ſubtilitatem reductum, & larva liquoris palliatum, in ſpiritu nitri latere puto. Cæterum quod parum veriſimile cenſeo, non ideo impoſſibile pronuntiare auſim. Certè eſſe aliquid in natura, quale pyrius pulvis, niſi experimento convicti, ægre crederemus.

Quie-

Quicquid vero ſit de arte & hiſtoriis, quæ tanquam quædam ſanctorum Legendæ apud Artis filios (quo ſibi nomine multi placent) paſſim circumferuntur; olim à *Theobaldo ab Hoghelande*, nuper ab optimo & doctiſſimo *Morhofio* hujus credulitatis non experte, conſtipatæ; ſaltem ad doctrinam pertinebit, ænigmata quædam Chymica diſſolvi. Habetur in nonnullis manuſcriptis codicibus opus, quod inſcribitur: Στεφάνου Ἀλεξανδρίως οἰκουμενικοῦ φιλοσόφου καὶ διδασκάλου τῆς μεγάλης καὶ ἱερᾶς τέχνης πράξις. *Stephani* Alexandrini Oecumenici Philoſophi & Magiſtri magnæ & ſacræ artis Praxes. Ad *Heraclium* Auguſtum opus fuiſſe ſcriptum ferunt. Ibi praxi ſexta habentur verſus, quos ita emendatos (paſſim enim corruptè leguntur) exhibemus.

Ἐννέα γράμματ' ἔχω, τετρασύλλαβός εἰμι, νόειμε.
Αἱ τρεῖς αἱ πρῶται δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάστη,
Ἡ λοιπὴ δὲ τὰ λοιπὰ, καὶ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πέντε.
Τῶ παντὸς δ' ἀριθμῶ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς ἑπτά,
Καὶ τρεῖς τρὶς δεκάδες καὶ δὶς τρία. Γνῶς δὲ τίς εἰμι;
Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ τῆς παρ' ἐμῶ σοφίης.

Quæ Latino verſu ita reddidi.

Litterulis noſcor quadriſyllabus ipſe novenis:
Syllaba habet binas, niſi quòd tenet ultima ternas.
Vocales quatuor, quinis non propria vox eſt.
Bis ſeptem vicibus numerum centuria totum
Ingreditur, decadesque novem, tum bis tria. Si me
Noveris, hinc aditûs ad ſacra noſtra patent.

Hos verſus myſticè explicat *Stephanus* ſenſu proprio diſſimulato. Sed conſtat ſignificari *Arſenicon*, quod tali ſchemate patet.

Sylla-

Syllabæ	1		2		3		4		
Literæ	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Vox	A	P	C	E	N	I	K	O	N
Vocales	1			2		3		4	
Conſonantes		1	2		3		4		5
Numeri.	1000.	100.	200.	5.	50.	1.	20.	70.	50.

	1000	100	200	5	50	1	20	70	50	1496.
		bis ſeptem centuriæ		ter. tres decades		bis tria				1496.
		1400		90		6				

Satis faciunt autem literæ pro numeris ſumtæ, ſi α ſignificet 1000, & I unitatem ut nonnunquam uſurpari Grammatici notant. In Codice Stephani, quem vidi, legitur, ἑκατοντάδες εἰσὶ δύο ὀκτὼ, καὶ τριῶν τρὶς δεκάδες ἑπτὰ τέσσαρες. Et in fine τῆς παρ' ἡμῶν ὠφελείας. Sed hæc numeris minus reſpondet. Et crediderim, obſcurandi veri vocabuli conſilio quædam ſive ab autoribus, ſive à deſcribentibus immutata.

Aimarus Ranconetus Præſes Senatus Pariſini, apud *Cardanum* (lib. 10. de Var. Rer. cap. 150.) eoſdem verſus in neſcio quo Codice reperit. Legit autem ἑκατοντάδες εἰσὶ δύο, ὀκτὼ καὶ τριῶν τρὶς δεκάδες, σὺν τ' ἑπτά; quaſi eſſent duæ centuriæ, & octo ac novem, id eſt 17 decades. Computat ſolas conſonantes, & ſemel omittit N. Itaque P, Σ, N, K dare 100, 200, 50, 20, id eſt 370, nempe duas centurias, 200, & 17 decades ſeu 170. porro σὺν τ' ἑπτὰ interpretatur cum T. 300, ἑπτὰ ſeu 7. Decades, quod rurſus facit 370. Sed vocales non computari, eundem numerum bis confici, N ſemel omitti, ἑκατοντάδες legi δύο, pro δύο, parum congrua ſunt.

Alterum ænigma extat apud *Baſilium*, & his verſibus Germanicis continetur:

Fünf Bucher hat uns zugericht
Moſes allein durch Gotts Gedicht
Die *wen'ger Zahl* ſein'n Buchern folgt
Wie da geboten iſt ſein'm Volck
Drey Patriarchen *ſtumm*
Erclârns in einer ſumm
Ein Zeüge redt mit hôchſter Stimm
Wer gar *nichts* gilt iſt lehr im Sinn
Funfzig iſt mehr denn *Fünf* die Zahl
Und ſind doch nur *zween* überal
Tauſend beſchlieſſens End zugleich
Wers verſteht der iſt ganz reich.
Fünf Ding *im Leb'n* ſolchs offenbaren,
Und *fünf im Todt* dabei auch waren,
Viere ſprechen das Urtheil aus,
Das *ein'* allein richt nur den Strauſs.

Hæc ita Latinè olim adoleſcens converti: & explicationem margini aſcribo:

	V	*Quinque* libros fecit Divino Numine Moſes,
	I	Quos *numerus* Joſuæ ſuſcipit inde *minor*.
	CTR	*Tres muta* populis Patriarchæ voce loquuntur,
	I	*Unicus* hos teſtis vera dediſſe probat.
	O	*Nil* agit, hæc qui non attenta mente revolvit,
duæ literæ	LV	Nec *quinquaginta quinque* ſubeſſe videt.
	M finalis.	Sunt tamen illa *duo*, queis ſi *millena* ſubirent, Divitias ſapiens *fine* parare poteſt.
in ſyllaba prima	V	*Naſcenti quinos* comites aſſiſtere cernes,
in ſyllaba ultima	V	*Quinque* etiam comites mox *morientis* erunt.
Syllabæ quatuor.		Sunt *quatuor*, quorum nutu ſententia fertur:
Una vox, Victriolum.		Judicio prodit res tamen *una* ſuo.

Nempe Germani ſæpe pro Vitriolo legunt ſcribuntque *Victriol* corruptè, quaſi a victoria derivaretur; cùm conſtet, *Vitrum* Latinis etiam colorem cœruleum ſignificare.

At Ænigma Baſilianum a Græco diſſentire videtur. Ita eſt: erunt tamen fortaſſe, qui conciliationem commiſiſcentur. *Noſtrum* Vitriolum, *noſtrum* Arſenicum clamant illi, qui ſe unos philoſophos appellandos contendunt. Nempe eſt in arcanis eorum ſchedis, ad quas aliquando, tanquam ad Eleuſinia ſacra admiſſus ſum, materia quædam, cui utrumque nomen non ineptè attribui poſſit.

G. G. LEIB-

G. G. LEIBNITII

ANNOTATIO DE QUIBUSDAM LUDIS;

Inprimis de Ludo quodam Sinico, differentiaque Scachici & Latrunculorum, & novo genere Ludi Navalis.

SÆpe notavimus, nuſquam homines quàm in ludicris ingenioſiores eſſe: atque ideo ludos Mathematicorum curam mereri, non per ſe, ſed artis inveniendi causâ. Ludi eventus fortuiti inter alia proſunt ad æſtimandas probabilitates; habemuſque ingenioſiſſimas de alea ratiocinationes, quibus occaſionem dedit Eques *Meræus* (*le Chevalier de Meré*) notus in vulgus libello, quomodo jucundi eſſe poſſimus (*des agrémens*) qui *Blaſio Paſcalio* primùm Quæſtiones propoſuit, quas & hic & *Chriſtianus Hugenius*, & *Franc. Fermatius*, ſummi Mathematici pulcherrimè ſolverunt. Unde nata ſunt reſolvendarum diverſiſſimarum longeque majoris momenti Quæſtionum fundamenta. Inde autem factum eſt, ut *Meræus* vir ingenioſus, ſed ſemidoctus, &, ut ita dicam, ſemi-ſcius, cum ſola vi ingenii prævidiſſet, quæ poſtea tanti viri mathematicæ certitudinis habitu induerunt, ſucceſſu laudibuſque tumens, Doctoris perſonam ſibi ſumeret in *Paſcalium*, neſcio qua jam tum remiſſione animi inter Mathematica devotionemque præpoſteram fluctuantem; ut apparet ex mirabili illius ad hunc Epiſtola (quæ eſt decima nona in Miſcellaneis *Meræi*) ex qua *Baylius* quædam refert in dictionario Critico, artic. *de Zenone*; non ſatis intelligens, aut quid hos animos dederit *Meræo*, ut ſua inventa jactaret, dum Geometrarum demonſtrationes irridet, falſaſque proclamat, & continui diviſibilitatem in infinitum (pervulgatis ferè ſophiſmatibus) impugnat; aut quid omnino ſibi voluerit homo alias parum philoſophus, dum ad Mundum quendam inviſibilem provocat, in quo rationes rerum principiaque veritateſque arcanæ, omniſque convenientiæ & certitudinis fontes laterent. Sanè veriſſimum eſt, eſſe ſuperiorem Mathematica ſcientiam, parem certitudine majorem virtute atque efficacia, ubi rationes ideales, non tantùm à ſenſibus, ſed etiam ab imaginibus ſejunguntur; & hujus rei aliquid interviderat *Meræus*: ſed addictior erat ſenſibili Mundo, quam ut ſatis id illum intelligibilem admitti poſſet.

Ludi Miſti ex fortuna & ingenio aptiſſimè vitam humanam, ſed maximè res militares & praxim medicam repræſentant; ubi pars arti, pars caſui neceſſario danda eſt; ut in ludo, qui à verſa vice (*verkehren*) apud Germanos nomen invenit, cui vicinus *Tric-trac*. Et hic conjungendæ ſunt conſequentiæ certæ cum veriſimilitudinum æſtimatione.

Sed maximè ſcientiæ ſubſtant Ludi, qui unicè arti eventum, nihil caſui debent: in quibus haud dubiè eminet *Ludus Scachicus* ſeu Regius, ubi duo Reges, legatis, tribunis, equitibus, peditibuſque ſtipati acie confligunt; de quo juſtum opus ſanè ingenioſiſſimum olim Germanico ſermone edidit *Guſtavus Selenus*, id eſt, *Auguſtus* Luneburgicus poſtea Dux Welferbytanus, princeps multis modis laudem meritus.

Facilè crediderim, Græcos & Romanos veteres habuiſſe Ludum quendam Regium, ſed non apparet, ſimilem fuiſſe *Scachico*, qui ex Oriente fortaſſe ſeriùs venit. Saltem illud pro certo habeo (quanquam aliter cum pleriſque ſentiat ſummæ Vir doctrinæ *Claudius Salmaſius*) Scachicum à *ludo Latrunculorum* toto cœlo abfuiſſe, quod ex lege hujus primaria probo, quam nobis Poëtæ conſervarunt. Sic enim *Ovidius* de Arte Amandi. lib. 3.

Cautaque non ſtultè latronum prælia ludat,
Unus cum gemino miles ab hoſte perit.

Et Martial. lib. 14. Epigr. 17.

Calculus hîc gemino diſcolor hoſte perit.

Ea lex valde rationi conſentanea erat, ut plus valerent duo milites quàm unus; atque adeo unus calculus inter duos hoſtiles velut per inſidias delapſus amitteretur. Sed hujus legis in Ludo Scachico noſtro nullum eſt veſtigium, neque natura ejus illam capit.

Non ita pridem increbuit ludi genus ſingulare, quem *Solitarium* appellant, ubi ego ipſe ſolus ludo, ſed colluſore velut teſte & arbitro, an faciam officio ſatis. Plena eſt area calculis in foramina infixis, qui ordine eximendi ſunt, ſed nullus, (demto primo, qui pro arbitrio eligitur eximi poteſt, niſi alium calculum tranſiliendo devenire poſſis proximè in vacuum locum, ut in ludo Damico cæditur. Qui ea lege ſervata omnes ad noviſſimum uſque eximit, vincit; Sed qui uno plures tandem relinquere in area cogitur, palma excidit. Elegantiùs inverti poteſt hic ludus, poſt unum in area vacua pro arbitrio poſitum, cæteros collocando, ſed ea lege obſervata ponendi, quæ fuit paulo ante dicta eximendi. Ita poſſumus vel aream implere, vel, quod foret ingenioſius, datam figuram calculis formare; velut trigonum, quadratum, octogonum, aut aliud quiddam, ſi modò licet; neque enim res ſemper poſſibilis foret: atque hoc ipſum magnæ artis eſſet prævidere, quid præſtari poſſet; haberetque aliquid imprimis Geometricum hic proceſſus. Sed ego ad profectum inventricis artis ludendi artificia detexiſſe, non ludum valde exercuiſſe laudarem.

Venio ad expoſitionem Ludi Sinici, cujus occaſione cætera afferre placuit. Ludus eſt ex eorum genere, qui ſola arte conſtant, nulla miſtura fortunæ: cæterum id habet ſingulare, quod colluſores (quantum apparet) calculos ſibi invicem non tollunt, ſed tantum ſeſe obſident atque coarctant; ut vincat tandem, ſed, ut ſic dicam, ſine cæde & ſanguine, qui alteri

alteri adimit movendi ſe libertatem. Quod ſanè in aliis ludis non rarò, hîc autem neceſſariò contingit.

Sed audiamus hoc de ludo *Nicolaum Trigautium* capite octavo primi librorum de Chriſtiana expeditione apud Sinas, ex *Matthæi Riccii* inſignis Viri, & veri Sinenſium miſſionum fundatoris, commentariis confectorum. Sic ergo loquitur: *Graviſſimum inter eos ludi genus eſt hujuſmodi: in alveo trecentarum cellularum plures* (hanc vocem tollendam puto vel legendum *pluſquàm trecentarum cellularum*, fortaſſe vitio Latini interpretis *Riccii* Italica an *Trigautii* Gallica, malè exprimentis; neque enim colluſores ſunt niſi duo) *ducentis calculis colludunt, ex quibus alii candidi ſunt, alii atri. His calculis alter alterius calculos procurat in medium alveum relegare, ut reliquis deinde cellulis dominetur; ad poſtremum, qui plures in alveo cellulas ſibi ſubjecit, victor appellatur. Hunc ludum avidiſſimè arripiunt Magiſtratus, & ſæpe maximam diei partem ludendo conſumunt: nam inter ludendi peritos horam integram ludus unus tenet. Qui hujus ludi peritus eſt, tametſi nulla alia re inſignis fuerit, ab omnibus colitur & evocatur. Imo nonnulli etiam eos ſolitis ſibi ritibus Magiſtros legunt, ut ab illis accuratè hujus ludi rationem ediſcant.* Hæc *Trigautius*.

Sed in hac deſcriptione peccatum ocularis inſpectio ſchematis oſtendit. Eſt enim Alveus figuræ quadratæ, cujus unum latus eſt *octodecim cellularum*: unde cellulæ in univerſum ſunt octies & decies octodecim, id eſt, non trecentæ, ſed *trecentæ viginti quatuor*. Et parum ad rem facit deſcriptio reliqua: nam ut unus alterum in medium alvei ſemper contrudat, manifeſtum eſt, in poteſtate ſemper, atque adeo neceſſarium non eſſe; cum ſufficiat obſeſſum incluſiſſe, ſive in medio ſive in angulo. Neque is vincit, qui pluribus cellis dominatur (quî enim hoc definias) niſi cùm hoſte clauſo ſolus campum liberum tenet.

Facit multitudo calculorum & magnitudo alvei, ut facilè credam, ludum hunc plurimum habere ingenii & difficultatis, tametſi omnes ejus leges nobis non ſint notæ. Certè ſingularis ejus ratio, ut ſcilicet omnia non cædendo hoſtem ſed tantùm ad incitas redigendo tranſigantur (quod non eſt in noſtris ludis) memorari merebatur. Et credibile eſt, Brachmanem aliquem fuiſſe inventorem, qui à cæde abhorrens incruentam victoriam volebat. Nam conſtat, pleroſque Indiæ Orientalis populos, Chriſtianiores, ut ſic dicam, ea in re, his, qui Chriſtiani vocantur, cædes in ipſo bello refugere ſolere.

Venit etiam in mentem comminiſci novum Ludi genus, quem *Ludum Navalem* appelles, ubi velut claſſibus confligatur in Tabula tanquam in imaginario mari calculis naves exhibentibus determinata venti plaga, unde & obliquitas viæ contra ventum maxima, & pro angulo morûs velocitas præſcribatur; qua ratione *Evolutiones Navales* quàm proximè repræſentarentur, & ludendo exercerentur.

G. G. LEIBNITII COGITATIONES CASUALES

De Inventione Ludorum utilium, ex ipſius Colloquiis depromtæ, & ſcripto annotatæ per J. F. FELLER.

LUdus non inutilis excogitari poſſet, quem appelles *Ludum Proviſionis*, vel ludum accidentium. Si hoc fit, quid accidere poſſet? Exempli gratiâ: *Joannes* calicem labris admovet, quid contingere poſſet? Multa cadunt inter calicem, ſupremaque labra. Reſpondetur: Calix in manu frangi poteſt. *Joannes* ructibus obrui, vel in morbum, pavorem, incidere poteſt. Facile eſt, quòd glans plumbea calicem attingat, aut ipſum feriat. Aliquid deſuper cadere, Solarium corruere, Terræ motus ſupervenire, Cometa aliquis in curſu ſuo globum hunc terreſtrem, ſicuti doctæ illæ fœminæ apud *Molierem* metuebant, opprimere, noviſſimus dies ingruere poteſt &c. Cùm reſponſa hæc partim generalia, & multis aliis quæſtionibus applicabilia ſint, lex ſtabilienda foret, quæ vel illorum repetitionem prohiberet, aut generales has reſponſiones omninò excluderet. Poſſet & lex addi ludo, ut caſus tantùm afferantur, qui poſſint caveri ſalvo actu; Remedium eſſet vel a dicente, vel a vicino, exempli causâ: glans plumbea illum ferire poſſet; ergo vicinus: procul a *Jove*, procul a fulmine. Aliquid deſuper cadere poteſt, ergo bibat ſub Dio.

Erat olim in uſu ludus quidam, ubi interrogabatur: Stramen cui bono? qui eſt *ludus effectuum*, Latinè appellare poſſes, *cui bono*? Galli fortaſſe dicerent *à quoi bon?* ut in illa cantiuncula: *A quoi bon tant de raiſon dans le bel âge? à quoi bon tant de raiſon hors de ſaiſon?*

Unuſquiſque luſorum novum ſtraminis uſum dicere debebat. Sin minus poſſe mulctabatur. Et tandem ibatur in gyrum, donec vel exhauſta eſſet materia, vel tædium ejuſdem quæſtionis obreperet. Hunc Ludum ingenium excitare manifeſtum eſt, ideoque ſeria ducere ad bona, ut contra ſunt nugæ, quæ ſeria ducunt in mala.

Poteſt etiam excogitari Ludus Cauſarum, vel mediorum, exempli gratiâ: Cum quo ſcribi poteſt? Reſpondetur: atramento, fuligine, carbone, creta, ſtylo plumbeo, graphio, coloribus Pictorum, litteris lapideis, ut in Muſivis, gemmis &c. Eſt & memoriæ Ludus, ut verbo tenus diſcatur aliquid difficile pronunciatu, recitatione per partes creſcente, ut in illo, ecce nigrum, brevem, notandum, diſcolorem virum. Nec dubito multos ludos novos excogitari poſſe ad facultates animi augendas, ipſaſque etiam virtutes exercendas. Nam in ludendo opus eſt moderatione quadam, ut in ludo regio, ubi Princeps ſorte ductus dat mandata. Hæc optimo, ingenioſiſſimoque *Weigelio* ſuggerenda pro ſua virtutum ſchola. Vellem *Comenio*, cùm librum ederet, cui titulus: *Schola Ludus:* hæc in mentem veniſſent.

REPRE-

REPRESENTATION
A S.A.S. LE DUC DE WOLFENBUTTEL,
Pour l'encourager à l'entretien de ſa Bibliothéque.

UNe Bibliothéque bien garnie eſt comme un magaſin de ſcience, & comme une Archive imprimée, dans laquelle on trouve plus d'inſtruction des droits des grands Princes, & des événemens (principalement touchant ce qui regarde l'Etat, le Gouvernement & l'Œconomie) que dans les Archives d'une Cour ou dans les Ecrits publics. Sa principale utilité ſe trouve dans l'adminiſtration de la Juſtice, dans la defenſe de la divine vérité, & de la police, contre toutes ſortes d'erreurs, & d'impoliteſſe; à laquelle fin ont été auſſi érigées les Egliſes & les Ecoles, auxquelles une Bibliothéque bien fournie ſert comme d'inſtrument & d'ornement, par les Docteurs muets qu'elle renferme.

On peut donc aſſurer, que ſi les Egliſes, les Ecoles, & les Archives ſont dignes des ſoins de ceux qui ſe mêlent du gouvernement, les Bibliothéques ne leur appartiennent pas moins.

Mais une Bibliothéque, quelque belle qu'elle ſoit, ne peut ſe conſerver, ſi l'on n'a ſoin de l'augmenter. On met tous les jours en lumiére les plus beaux ouvrages de Théologie, de Juriſprudence, de Phyſique, de Mathématiques, & d'autres curioſités, qui ſont produits ou par la recherche de la nature, ou par les expériences dans les choſes politiques, ou par les méditations des habiles gens; & nous pouvons dire avec vérité, que nous ne faiſons que commencer, & que nous avons à peine trouvé dans ce ſiécle les premiéres ouvertures, pour la connoiſſance de la nature, & du ſyſtême du grand & du petit monde. Auſſi n'y a-t-il pas long-tems qu'on fait une exacte recherche des hiſtoires; d'où l'on conclut, que les Bibliothéques des grands Princes peuvent devenir imparfaites, ſi on ne les augmente proportionnellement à leur grandeur.

Il eſt donc à craindre, que cette Bibliothéque ſi célébre dans le monde, ayant été négligée depuis tant d'années, ne perde enfin toute ſa vogue, ſi elle demeure dans le même état où elle eſt à préſent. Car non-ſeulement les habitans, mais même les étrangers, s'apperçoivent de ce défaut, qu'on ne peut celer, & s'en étonnent. Ainſi il ſeroit difficile de recouvrer la réputation qu'elle auroit perduë, ſi une

fois

fois elle paſſoit dans le monde pour une vieille Bibliothéque. Et comme l'étonnement en ſeroit d'autant plus grand, que l'on ſçait que cette Bibliothéque apartient à des Princes qui aiment les Belles-Lettres; la reputation & la gloire qu'elle perdroit, retomberoit ſur les Princes mêmes. C'eſt pourquoi il eſt tems de l'accroître peu à peu, & de prendre garde qu'elle ne perde pas tout-à-fait l'eſtime qu'on en a conçûe, & que les autres Bibliothéques ne la ſurpaſſent pas de trop.

Mon opinion ſeroit donc, pour conſerver cette Bibliothéque, d'y employer l'argent qui revient du *papier timbré*, puiſque cela y a quelque rapport, & qu'il eſt juſte que ce qui vient du papier retourne au papier. Ce ſecours eſt d'autant plus raiſonnable, & doit être accepté d'autant plus volontiers des ſujets, que les Princes y ont déja fait de très groſſes dépenſes, & qu'ils ne mettent cet impôt, que pour conſerver une choſe qui eſt néceſſaire, & qui fait même l'ornement de la Province.

L'effet & le profit de cet impôt ne ſe perdra jamais, mais retournera toujours au bien & à l'utilité de toute la Province, puiſque les enfans du païs y trouveront le tréſor des ſciences, & le fondement de leur fortune. Les Colléges, les Villes, les Familles illuſtres y auront l'éclairciſſement ſur l'origine, & l'accroiſſement de leurs maiſons, des hiſtoires & des antiquités. Les particuliers pourront auſſi y trouver au beſoin des lumiéres dans les affaires de juſtice, pour les cas difficiles, pour la Médecine, & l'Œconomie, pour l'Architecture &c. En un mot, l'utilité ou la commodité qui en revient eſt ſi grande & ſi diverſe, qu'en comparaiſon l'impôt doit être conſideré pour rien.

IDEA

Digitized by Google

IDEA LEIBNITIANA BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ,

Secundùm claſſes ſcientiarum ordinandæ, fuſior, & contractior. (vid. ſched. ſequ.)

Theologica communia, ſub quibus generalia, e. g. Methodi, pertinentia ad encyclopædiam, Theologica complexa, e. g. Opera Theologica, Miſcellanea, & ſub his varii libri miſcelli.

Theologia exegetica, ubi textus biblicus, expoſitores textuales, Illuſtratores biblici textui non affixi.

Theologia hiſtorica, ſeu principium traditionis, quod eſt ſecundarium, ubi hiſtoria Eccleſiaſtica; Concilia, nempe textus, expoſitiones, illuſtrationes eorum; Patres.

Theologia poſitiva ad quam referendæ, catecheſes, compendia, loci Theologici, ſyſtemata, tabellæ, Theologi Scholaſtici, partes Theologiæ, ſeu materiæ poſitivè tractatæ.

— *polemica*, cum impiis, infidelibus, hæreticis, ſchiſmaticis, fratribus

Theologia practica
- *aſcetica.* Huc myſtici, praxes pietatis, prophetiæ, ecſtaſes, viſiones &c.
- *moralis*, e. g. Caſus conſcientiæ.

——*ritualis.* Huc pertinent ſcriptores de diſciplina eccleſiaſtica, ordinationes eccleſiaſticæ, agendæ; Homiletica, precationes, hymni.

* (Nota, in omnibus partibus complexis addantur *Lexica* & *Bibliographiæ* ſpeciales. Sit & propria plagula dubiorum.)

† † †

Juridica communia, ſive generalia, complexa (e. g. Lexica) & miſcellanea.

Juriſprudentia exegetica Juris civilis Romani; ubi textus, expoſitores, illuſtratores.

Juris Canonici eodem modo.

Jura variarum gentium, ſtatutorum, conſuetudinum, eſt velut *hiſtoria Juris* huic incluſa.

Juriſprudentia dogmatica, ubi principium ex Jure naturæ, & gentium, phyſica & aliis diſciplinis: deinde ipſa tractatio per *compendia*, aut per *ſyntagmata*, communis privato & publico juri.

Jus privatum. Variæ controverſiæ, communes opiniones, reſponſa, deciſiones, partes juris; Merita cauſarum, (circa materias facti & circa materias juris) proceſſus judiciarius.

Jus quaſi publicum. Ubi criminalia, ordinationes politicæ, mercatoria, nautica, bellica, feudalia.

Jus publicum verum, ſeu primarium, circa jus regiminis, & ſpeciatim Germanicum.

Jus inter gentes. Ubi prætenſiones illuſtres.

† † †

Medica communia, & hiſtoria Medicinæ.

Medicina autoritate nixa, ubi Græci, & Latini veteres, Arabes medii ævi.

Medicina dogmatica. Breviaria, ſyntagmata, partes: Phyſiologia, diætetica, ſemeiotica, pathologia, therapeutica.

Specialia morborum. Ubi morbi ætatum, ſexuum, vitæ generum, partium corporis, febres, morbi maligni, variæ circa morbos obſervationes.

Medicinæ auxilia. Chirurgica, pharmaceutica.

Cognata, ad corporis perfectionem facientia; Coſmetica, & gymnaſtica. Poſſent tamen ſub hygiæa comprehendi.

† † †

Phyſica communia, ubi & complexa, hiſtoriæ naturæ, ſomatologia, ſeu phyſica generalis.

Poiographia (Ποιογραφία) ſeu tractatio qualitatum manifeſtarum, ſenſibilium, occultarum, ſive actionem, aut reſiſtentiam repræſentent, ſive tantum ſenſum afficiant, ſive ex his componantur; firmitas, gravitas, elater, calor, ſapor; magnetiſmi, ſympathiæ, fermentationes, ſolutiones, præcipitationes.

Subjecta ſimpliciora: Similaria, elementa, ſales; Imperfectè miſta, meteora.

Regnum minerale. Huc & metallica.

—— *vegetabile*, huc & agricultura.

—— *animale*, huc anatomica, cura animalium, venatio, piſcatio.

Chymia prioribus variè utens, ope elementorum, & ſalium.

Artificia & opificia phyſica; Ludi phyſici, ſecreta naturæ, ſeu magia naturalis, phyſica œconomica.

† † †

Philoſophica communia, ubi & hiſtoria philoſophica.

Philoſophia ſecundum ſectas veteres. Ariſtotelici, (Græci, Arabes, ſcholaſtici recentiores) Archæales, corpuſculares.

Logica, didactica, mnemonica.

Metaphyſica, pneumatica, theologia naturalis.

Philoſophia practica; Ethica, politica.

Oeconomica, vel *Oeconomico-politica*: Ubi de pertinentibus ad hominum ſuſtentationem, commerciis, manufuciis.

Ma-

† † †

Mathematica communia.

Matheſis generalis de quantitate in univerſum, ſeu calculo, ubi Arithmetica, Algebra, analyſis infiniteſimalis.

Geometria cum Geodæſia, optica, pictura, ſculptura.

Aſtronomia, huc Geographia generalis, gnomonica, computus temporum.

Mechanica, ubi de motu, viribus motricibus, machinis.

Muſica.

Architectonica.

Bellica, & Nautica.

Gymnaſtica, equitandi, ſaltandi.

Ludi, artificia, & opificia mathematica, ubi & ſteganologia.

Divinatoria. Ubi Aſtrologia, Phyſiognomia, Chiromantia, Signaturæ, Geomantia.

† † †

Hiſtorico-philologica communia, ſcilicet philologiæ, & hiſtoriæ.

Philologico-communia, grammaticæ ſcilicet, rhetoricæ, & poëticæ.

Grammatica communia.

Latina, & linguarum cognatarum.

Græca cum græco vulgari.

Orientalia, nempe Hebræa cum cognatis, Chaldaic. Syr. Arab. Æthiop. item cum Armen. Turc. Perſ.

Teutonica cum cognatis Belg. Dan. Suec. Goth. Iſland. Angl.

Slavonica: Bohem. Polon. Ruſſ. & reliqua Europæ, Wall. Hibern. Cantabr. Finn. Hungar.

Linguæ reliquæ extra Europam.

† † †

Oratoria generalia.

Ars rhetorica, ſeu præcepta movendi animos dicendo; ſive delectandi tantùm, ſive etiam docendi & perſuadendi gratiâ. Huc refer præcepta ſcribendi, progymnaſmata, epiſtolas, dialogos, orationes &c. item artem argutiarum, inſcriptionum &c.

Specimina oratoria, ubi ipſæ narrationes, epiſtolæ, dialogi, inſcriptiones, argutiæ, orationes, &c. huc potiùs quàm aliorſum referenda, quoties magis formæ, quàm materiæ ratio habetur.

Poëtica generalia.

Ars poëtica, ſeu præcepta proſodiæ, inventionis, elocutionis poëticæ, variis in linguis.

Specimina poëtica varii generis, epigrammata, heroica &c. quæ ſcilicet ob materiam alibi annotari potiùs non debent.

Poëtæ veteres græci, & latini, poëtæ *recentiores* gr. & lat. poëtæ variarum linguarum.

Semipoëtica, ſeu ambigua inter poëſin & oratoriam præcepta. Huc facetiæ, ſcenica, romaniſci, ſatyrica, mythica, quatenus nec moralitas, nec veritas hiſtoriæ in iis latens ſpectatur.

† † †

Hiſtorico-Geographica communia.

Geographiæ deſcriptoriæ communia. Itineraria multorum locorum, ſimul præcepta peregrinandi &c. Geographia antiqua, media, nova.

Germanica, Belgica, Anglica, Danica, Svecica.
Latinæ regiones, huc Hiſpanica, Gallica, Italica.
Slavonica, Polonica, Ruſſica, Hungarica, uſque in Græciam.
Exotica, Turcica, Perſica, Indica, Sinenſia, Africana, Americana.

† † †

Hiſtorica communia.

Hiſtoria univerſalis temporum, ubi & antiquiſſima ante Græciam.

Hiſtoria antiqua, ubi Græca, Romana, & contemporanea. Aſſyrica, Perſica, Ægyptiaca, Syro-Macedonica. Hiſtoria Auguſta uſque ad inundationes Barbarorum in Romanum Imperium.

Hiſtoria media. Ubi a Barbarorum inundationibus (Goth. Longob. Franc. Sax. Saracen.) uſque ad reſtitutum Imperium Rom. in *Carolo M.* Inde uſque ad *Fridericum II.* Ab hoc uſque ad *Carolum IV.* Inde porrò ad *Fridericum III.* Id eſt, hiſtoria Imperii Germanici cum contemporaneis, & huic reſpondente Byzantina.

Hiſtoria recens ſæculi ſuperioris, & præſentis.

Hiſtoriæ Gentium variarum, quæ ad priores in Geographia ſpeciali enumeratas commodè referri non poſſunt. Huc *hiſtoriæ migrationum*, item *Genealogiarum*, ſimul & *Inſignium.*

Polyhiſtorica communia.

Hiſtoria variè denominata, ut rituum, funerum, pomparum, navalis, præliorum, viarum regiarum & itinerum, dignitatum, & magiſtratuum, vel regiminum, commerciorum, tributorum, ſpectaculorum, prodigiorum &c.

Antiquitates & ritus Romanorum, Græcorum, Orientalium.

Supellex hiſtorica numiſmatum, inſcriptionum, & aliarum temporis reliquiarum.

Veteres ſcriptores diverſi argumenti.

Hiſtoria literaria, ſcientiarum progreſſus, vitæ eruditorum.

Critica monumentorum, ſeu autorum, editorum, & manuſcriptorum, codicum, diplomatum; ut genuina a ſpuriis diſcernantur, & ſenſus eruatur.

Bibliothecaria, ſeu res libraria tamquam pro repertorio univerſali.

† † †

Communia communium.

Ad Encyclopædiam ſpectantia.

Icono-

Iconotheçaria, ſeu imagines vicem librorum præſtantes, certis partibus doctrinarum non affixæ.

Miſcellanea nulli ſtudiorum parti aſtricta.

IDEA LEIBNITIANA

Bibliothecæ ordinandæ contractior.

Theologia
- Biblica
- Eccleſiaſtica
  - Hiſt. Eccleſ.
  - Concilia.
  - Patres.
- Dogmatica
  - Poſitiva.
  - Polemica.
- Practica
  - Aſcetica.
  - Moralis.

Juriſprudentia
- Jus naturæ, & gentium.
- Jus Romanum, & alia jura antiqua.
- Jus Eccleſiaſticum humanum, ſeu Canonicum.
- Jus feudale, & publicum.
- Varia jura recentiora.

Medicina
- Hygiaſtica, & Diætetica.
- Pathologia cum Semeiotica.
- Pharmaceutica.
- Chirurgica.

Philoſophia intellectualis
- Theoretica, Logica, Metaphyſica, Pneumatica.
- Practica, Ethica & Politica.

Philoſophia rerum imaginationis, ſeu Mathematica.
- Matheſis pura, ubi Arithmetica, Algebra, Geometria, Muſica.
- Aſtronomia cum Geographia generali, Optica, Gnomonica.
- Mechanica, bellica, nautica, Architectonica.
- Opificiaria, omnigena a vi imaginationis pendentia.

Philoſophia rerum ſenſibilium ſeu Phyſica.
- Phyſica maſſarum, & ſimilarium, quo pertinet etiam Chymia, de aqua, igne, ſalibus &c.
- Regni mineralis.
- vegetabilis, quorſum Agricultura
- animalis, quorſum Anatomica quoque.
- Oeconomica, & opificiaria artificiis phyſicis nitentia.

Philologica, seu res linguarum.
- Grammatica & Lexica { Latina, Græca &c. / Orientalia.
- Rhetorica, ubi Epistolæ, Orationes &c.
- Poëtica.
- Critica.

Historia civilis.
- Universalis.
- Geographia. Huc Genealogica, & Heraldica.
- Historia Græca, & Romana cum antiquitatibus.
- Historia medii ævi a ruina Imperii Romani per Barbaros ad sæculum superius (XVI.)
- Historia nostri temporis, & sæculi superioris, & nostri.
- Historiæ gentium.
- Historiæ variarum rerum, huc & vitæ saltem remissive.

Historia literaria, & res Bibliothecaria.
Generalia, & Miscellanea.

G. G. LEIBNITII EPISTOLA AD AMICUM,

Munus Bibliothecarii Cæsarei ambientem, de Rebus ad Biblioth. pertinentibus.

IVeram ego jussu Principis mei ad Hercyniæ nostræ fodinas &c. Mirabere forsan, quid cum fodinis mihi commune sit civilium studiorum homini; sed ego ita dudum statui, *rem œconomicam* esse multo maximam civilis scientiæ partem, ejusque ignoratione, aut neglectu Germaniam perire. Fodinæ autem magnam partem faciunt proventuum nostrorum; Hæc nunc egregiè administrantur. Nam *Joannes Fridericus* gloriosæ memoriæ Princeps inter cætera præclarè acta etiam in hanc curam magno studio incubuerat. Huic Principi cum fortè narrassem obiter, *venisse mihi in mentem aliquid, quo fodinis, aquarum incommodo laborantibus, subveniri posset*, magno applausu propositionem meam excepit, & convocatis illis, quorum interest, mihi, si destinata efficerem, atque unius integri anni successu comprobarem, præmium annuum mille ducentorum Imperialium constitui curavit. Cumque jam in eo essem, ut verba rebus confirmarem, tristissimus nuncius Augustæ mortem Principis ferens, cœpta interrupit. Itaque de integro mihi tractanda res fuit, & multa certamina subeunda cum hominibus invidis, aut talium ignaris, donec ipse Serenissimus successor,

ceſſor, (*Erneſtus Auguſtus*) qui nunc feliciter rerum potitur, negotio penitus excuſſo, ac me coram diu, multumque audito, tandem fratris beneficium firmavit. Jamque in opere verſor magno intelligentium applauſu, qui bene procedere vident: & verò ſpero intra paucos menſes confectum iri. Contractus autem hoc modo initus illud habet commodi, quod, elapſo ſemel probationis anno, beneficio ſupra dicto frui debeo, nulla exinde impoſterum obligatione ubicumque etiam terrarum agam. His ego me nunc cogitationibus oblecto, &, quod ab officio otii eſt, ſubinde mathematicis ſtudiis impendo, quibus video pleraque tum œconomicæ, tum etiam militaris ſcientiæ arcana contineri.

Petri Lambecii mortem ex tuis primùm literis didici: Fuit ille vir multiplicis lectionis, & felicis memoriæ; judicio tamen, atque ingenio non perinde valuit, adeoque apud eruditionis veros æſtimatores, imprimis exteros, fama ejus intra mediocritatem ſteiit. Ego tamen induſtriam ejus ſemper laudavi, tameſi hominem, neſcio qua de cauſa, inimicum expertus ſum. Erat enim non ſatis candidus, atque æquus aliorum æſtimator. An fortè æmulum verebatur? Sed ego alio planè itinere mihi ad famam contendendum putavi. Nam in omni vita ſinceritatem ſemper amavi, in ſtudiis autem Juriſprudentiam, & meliores literas conatus ſum dirigere ad uſum reipublicæ potiùs, quàm ad criticas ſubtilitates, & ſtudia illa profundiora Philoſophiæ naturalis, diſciplinaſque Mathematicas mihi neceſſarias putavi; in quo genere me exercui cùm in Gallia, atque Anglia agerem, inexpectato applauſu: *machinaſque* etiam nonnullas executus ſum vitæ humanæ utiles, & ſpectantibus jucundas. Quamquam enim ab ineunte ætate me in literis exercuerim, putavi tamen ſemper verbis res jucundas eſſe. Expertus ſum etiam magnos Principes hoc ſtudiorum genere delectari, ac Machinotheeas Bibliothecis jungere, idemque mihi de *Cæſare* relatum eſt, cujus celſiſſima mens, poſtquam ab orbis cura in ſe rediit, pulcherrimis contemplationibus delectatur. Ego me jam olim felicem judicaſſem, ſi licuiſſet tali domino ſervire, ſed ſuis, quàm multa obſtiterint. Et nunc cùm Conſiliarii Aulici locum reapſe apud Sereniſſim. Principem menm teneam, ſexcentorum Imperialium ſtipendio, accedentibus præter habitationem, victumque, illis emolumentis, ut in ſumma millenos excedam, locum præterquam in conſilio Cæſaris aulico honeſtè invenire vix poſſem. Illuc autem aſpirare forſan temerarium foret, tametſi eò pervenerint, quibus ego ſanè ingenio, & rerum uſu, non tamen optima voluntate, atque fide concedo. Cæterum multa ego meditata habeo in rem Cæſaris, & Imperii, quæ *Conſultationum Germanicarum* inſcriptione complecti decreveram; ſed tædet verba in ventos effundere, & Declamatorum ritu, qui in ſcholis de republica Athenienſi, aut Carthaginenſi rectè conſtituenda deliberant, ſucceſſu caritura proponere. Quin in ò vile ſcum optimè cogitata, ſi publicè proſtituantur, & hoſtes noſtri admonerentur potiùs, quàm coërcentur. Sed ipſa tecum confabulandi dulcedo longiùs me abripuit, Vir Amplißime; jam-

jamque epiſtolæ metam exceſſi: nonnulla etiam velut ad amicum juſto liberiùs ſcripſi, quæ ad alios pervenire nollem. Vale.

P. S. Separata in ſcheda.

Has literas ita compoſui, ut licèt nihil recta via poſtulem, nihilominus animi ſenſa exponam, & non modò devotionem erga *Cæſarem* teſter, ſed & aliud agendo indicem, in quibus rebus fortè induſtria mea utilis eſſe poſſit. Facilè judicas, me cùm reapſe interſim conſilio mei Principis, non eſſe libenter ab eo gradu diſceſſurum: hoc autem futurum eſſet, ſuſcepto nudo Bibliothecarii, & Hiſtoriographi munere, quo à negotiorum luce ad umbram traducerer. *Sed ſi Cæſar me in conſilium aulicum admitteret, ac Bibliothecarii munus, & commoda adderet*, quod etiam hic fecerat Sereniſſ. *Jo. Fridericus* noſter, locus mihi daretur explicandi induſtriam meam, ac tum demum ego me felicem arbitrarer, omnemque animi vim eò converterem, ut Cæſaream gratiam non contemnendis fortaſſe conatibus tueri poſſem. Literas Cancellario mittere potes, ſi e re videtur: ſin aliquid in illis tibi diſplicet, admone, quæſo, ut mutem & corrigam. Velim tamen, ut, me inſcio, illi mitti videantur, & optaverim, eſſe tibi aliquem, a quo Cancellarii ſententiam diſcere poſſis. Mitto carmina à me compoſita in memoriam Seren. Principis noſtri *Joannis Friderici*, de quibus judicium tuum flagito. Cæterum in literis tuis ad *Hocherum* ipſe adjicies, quæ tibi videbuntur apta ad perſuadendum. Nimirum aliquam me apud Germanos pariter, exteroſque famam conſecutum, &, ſi quid cum applauſu publicè tractandum ſit, valere nonnulla ſcribendi facultate. Præterea habere inventa multa, atque meditata, quæ inſignibus etiam Viris magni ſint momenti viſa, & publico, his præſertim temporibus, profutura: denique, quod potiſſimum arbitror, eſſe in me fidem, & boni publici amorem.

G. G. LEIBNITII EPISTOLÆ DUÆ

AD FR. THEOD. KOHLIUM,

Scholæ Kilonienſis Rectorem.

EPISTOLA I.

Laudatio ſtudii critici. Conſilium de præceptis moral. œcon. militar. cet. ex antiquitate eruendis. De editione poëtarum Latin. ex more Farnab.

COgitationes tuæ criticæ in loca difficiliora veterum auctorum perplacuere. Etſi enim hodie nonnihil refrigeſcit hoc ſtudium, non omnino tamen intermitti velim.

Utiliſſi-

Utiliſſimum eſſet erui ex antiquitate, quæ nobis etiam prodeſſe poſſint, præcepta præclara philoſophiæ & morum, egregias etiam praxes ad commoditates vitæ, in re œconomica, militari, nautica, cet., ut vetera deperdita vel obliterata nonnihil reſtituantur.

Quod auctores veteres, præſertim poetas Latinos edendos, attinet, vellem aliquis *Farnabii* telam pertexeret; nam *Minellius* non æquè placet. Itaque *Ovidii* reliqua, *Silium*, *Statium*, alioſque *Farnabiano* more tractari velim. Te multa in publicam juventutis eruditæ utilitatem meditari, non dubito, quæ ſubinde diſcere gratum erit. Vale. *Dabam Hanov.* 19. *Mart.* 1716.

EPISTOLA II.

De Scriptoribus quibuſdam Theologicis, qui acta agunt.

GRatias ago, quòd conſilia tua litteraria mecum communicare voluiſti, quæ non dubito utilia in publicum, & lectori grata futura, quum tibi curæ fore haud dubitem, actum ne agas; quod ſolent plerique hodie, qui res Theologicas attingunt: niſi quum adverſantes ſibi proponunt novatores: ubi tamen ſolet etiam plerumque vetus crambe recoqui, aut in vitilitigationes abiri.

Plura nunc addendi occaſionem non adfers; ego tibi eam ad laudabiles conatus faventem precor. *Dabam Hanov.* 3. *Julii* 1716.

G. G. LEIBNITII JUDICIUM

DE COLLECTIONE CONCILIORUM P. HARDUINI

D. Burcard. Gotthelf. Struvio *inſcriptum.*

Hanoveræ 29. *Decemb.* 1715.

CONciliorum Collectio, quam *Joannes Harduinus* curavit, abſoluta eſt; ſunt, ni fallor, duodecim volumina. Non pauca inſeruntur, quæ in priori illa *Labbeana* omiſſa ſunt, quæ ad Concilia propriè non ſpectabant. Sed cùm Conſtitutio *Unigenitus*, aliaque diſplicentia in fine Operis adjecta ſint, Pariſienſis Archiepiſcopus effecit, ut diſtractio prohiberetur, donec hoc, quicquid eſſet, emendatum. Et alia ad eumdem Hanoveræ 27. Septembris 1716. exarata: Editio Conciliorum Harduiniana, ſi non planè ſupprimetur, certè multis modis reformabitur; dederat enim unicè operam, ut placerent Romæ, quas feciſſet fabulas, nulla non Gallicanæ tantùm, ſed & univerſalis Eccleſiæ libertatum, & ſententiarum cura. Editio Conciliorum, non *Harduino*, aut alteri Jeſuitæ Gallo, (neque enim hodie *Sirmondos* habent) ſed *Baluzio* committenda erat.

G. G. LEIBNITII EPISTOLÆ CXVIII.

AD JOHANNEM FABRICIUM,

S. Theologiæ, dum viveret, Doctorem & Professorem in Academiâ Helmstadiensi, Sereniss. Ducis Brunsvicensis Consiliarium Consistorialem, Abbatem Regiæ Luteræ, Scholarum Inspectorem generalem, & Academiæ Scientiarum Regiæ Berolinensis Socium;

De unione Ecclesiasticâ inter Lutheranos & Reformatos, quin etiam inter Protestantes & Pontificios Doctores. Et innumera Philologica.

EXCERPTUM EX PRÆFATIONE

Quam *Christ. Kortholtus* suæ *Leibnitii* Epistolarum collectioni apposuit.

» CXVIII. Cl. *Leibnitii* Epistolæ ad virum ex doctrinâ » nobilem Abbatem Regiæ Luteræ *Joh. Fabricium* ab anno » 1697. ad annum 1716. datæ, non tantùm, de unione » quam vocant, Ecclesiasticâ inter Lutheranos & Reforma- » tos, sed etiam inter Protestantes & Pontificios Doctores, » concilianda verbosius agunt. Pleraſque omnes ex jussu » Ser. Ducis Brunsv. & Luneb. *Antonii Ulrici*, scriptas esse » non uno loco ipse auctor *Leibnitius* testatur. Observabis » in hisce litteris recensiones de rebus maximi ponderis & » momenti, quæ adhuc fuere incognitæ, quia tamen ad il- » luminandam Historiam Ecclesiasticam hujus sæculi confe- » runt plurimum, publicari & legi utique merentur. Con- » silia in iisdem irenica exhibentur, quæ *Leibnitius* superstes » cum nemine uno nisi cum intimis amicis suis communi- » cavit,

» cavit, & quidem tantùm ſub fide ſilentii. Id quoque me » obligat, ut reſpondeam quærendo inveſtigaturis, quis mihi » poteſtatem conceſſerit, ut illa arcana ante omnium ocu- » los exponam. Cui quidem objectioni eo occurro luben- » tiùs, quòd cognitum habeo, *Leibnitium* ægerrimè tuliſſe » litteras ſuas Gallicè ad V. Cl. *Paulum Peliſſonium* de unione » Eccleſiaſticâ datas typis exſcriptas publicè proſtare. Vir » doctiſſimus *M. Loeſlerus*, ipſius *Leibnitii* ſororis filius atque » heres unicus, litteris ad me datis hoc mihi retulit. Ego » verò nullo negotio ad quæſtionem illam ipſius *Leibnitii* ver- » bis reſpondeo, quippe qui Epiſtol. 57. ad *Joh. Fabricium*: Quum vero, *inquit*, noſtræ meditationes, quæ vobis duobus (JOH. FABRICIO & JO. AND. SCHMIDIO) placuerunt, ſub fide ſilentii communicatæ fuerint Berolinenſibus, & materiam negotiationis ſint daturæ, facilè pro prudentiâ tuâ judicas, conſultius fore, ut ne intempeſtivè edantur, dum ſpes eſt aliquid confici poſſe tractando. Nam ſi ea decollaverit, ſuaſerim ipſe quoque conſervari typis publicis in uſum poſteritatis: Nunc verò ſi producimus in publicam lucem, primùm perit cogitationis pondus ac momentum arcanæ deliberationis, deinde irritabuntur crabrones ingeniorum Eriſticorum, ut agmina adverſariorum paulatim conſurgant, & fortaſſe qui poterant paulatim acquiri nobis, dum ipſis communicationis privatæ honor habebitur, præveniri ſe aliorum violentiâ patiuntur difficili regreſſu, ubi quis ſemel publicæ ſententiæ ſuæ obſides libros dedit. » Ex hiſce » verbis intelligitur quare *Leibnitius*, quum ſuperſtes eſſet, » conſilia ſua irenica cum publico noluerit communicari. » Atque ex iiſdem conſtat, ipſum *Leibnitium* voluiſſe ea ali- » quando divulgari. De conſiliis iſtis irenicis Leibnitianis » tenendum, ex inſtituto id egiſſe auctorem in epiſtolis ad » *Jo. Fabricium* datis, ut & viam pararet ad conjunctionem » & concordiam Eccleſiaſticam inter illos, qui Proteſtantes » ſe vocant, & ſimul inter Proteſtantes & Pontificios Do- » ctores. Pacem Eccleſiaſticam cum Pontificiis Doctoribus

» vix ſperari poſſe *Leibnitius* judicavit, & quamvis interdum
» mitius judicarit de Pontificiis erroribus, quàm quidem par
» erat, perſæpe tamen in his litteris tuitus eſt, peccatum
» eſſe minimè excuſandum, ſi quis de veritate religionis
» Evangelicæ convictus eam cum Pontificiâ permutet. De
» Reformatis Doctoribus mitiſſimè cenſet, & tantùm non
» omnes eorum ſententias in optimam partem interpretatur.
» Atque ex litteris hiſce manifeſtum, eum non nunquam
» de unione ſive de fœdere religionis inter Proteſtantes
» faciendo optimè utique ſperaſſe. Me quidem non præ-
» terit, præcipuæ dignationis Theologos noſtros *Leibnitio* ni-
» miam erga Reformatos lenitatem vitio dudum vertiſſe.
» Neque mea ratio eſt omnia atque ſingula defendere, quæ
» *Leibnitius* de Reformatis eorumque poſitionibus ſtatuit.
» Nemo tamen, opinor, ſecus interpretabitur, nonnulla me
» hoc loco proferre, quæ ad excuſandum *Leibnitium* facere
» poſſe videbantur. Verum eſt, *Leibnitium* conſenſionem
» eccleſiaſticam Proteſtantium doctorum certo judicio &
» ſummo ſtudio deſideraſſe. Quis illud temerè reprehendet?
» Summorum Eccleſiæ noſtræ Theologorum proferre teſti-
» monia poſſem, quibus ſe paratiſſimos ad hæc fœdera reli-
» gionum ſanguine ſuo redimenda profitentur, ſiquidem ſalvâ
» doctrinâ cœleſti id uſu unquam venire queat. Sed ea hic
» recenſere ſupervacaneum arbitror, propterea, quòd omnes
» credunt, unionem ſive conſociationem eccleſiaſticam ge-
» neratim conſideratam omnibus utique votis eſſe expeten-
» dam. *Leibnitius* conſultò, & de induſtriâ id egit, ut unio-
» nem eccleſiaſticam inter Proteſtantes ſtabiliret. Id quod
» reprehenſionem fortè meretur, quoniam Reformati Docto-
» res in ſuis libris ſymbolicis ejuſmodi de prædeſtinatione
» fovent ſententiam, quæ ſine ſummo periculo doceri ne-
» quit. Ipſe in annotationibus, epiſtolis, quas publico ad-
» ditis, defendi, doctrinam Reformatorum ita eſſe compa-
» ratam, nihilominus tamen credo quædam ad excuſandum
» *Leibnitium* poſſe dici. Quæ *Leibnitius* eo conſilio egit, ut

» unio-

» unionem eccleſiaſticam inter Proteſtantes firmaret, huc re-
» deunt: Cum Theologis celeberrimis, & quos huic reli-
» gionum fœderi ſtudere cognitum habebat, ſermones con-
» tulit & conſilia, neque ſolum ſub examen vocavit Refor-
» matorum doctorum errores, ſed & quodnam eorum ſit
» momentum, & quid in pietatem influeret, ponderavit.
» Conſilia hæc ſua privata apud omnes ſcriptis pervulgare,
» & ſuum de re irenica judicium explicare interponere no-
» luit. Perſuaſit ſibi paucis cognita faciliùs mutari atque
» corrigi, quàm ea, quæ omnium judiciis exponuntur. Quis
» eſt, qui non laudet circumſpectam hanc *Leibnitii* pruden-
» tiam? Vel, quod majus eſt, *Leibnitius*, poſtquàm omnia
» momento ſuo ponderavit, hoc denique fecit judicium, ſe
» multis annis conſilia agitaſſe irenica, quibus felicem even-
» tum prædicere non queat. Tuitus eſt, ſe ex omnibus hu-
» juſmodi deſtinatis hunc tantùm fructum percipere, ut
» poſteri intelligant, ſe ſincero animo, omnique ſtudio pa-
» cem quæſiviſſe eccleſiaſticam.«

In Epiſtol. XCII. ad *Jo. Fabricium* data: » A negotio, *inquit*, » Irenico, ut nunc eſt rerum habitus, nil ampliùs ex-
» pecto. Ipſa ſe res aliquando conficiet. Haud ſcio, an
» Theologi noſtri, dum de re irenicâ agunt, & ſummi alicu-
» jus viri conſenſione attentionem auditorum ſuorum excitare
» volunt, melius deſiderare teſtimonium queant, quàm hoc
» *Leibnitii*, quod eo magis notatu dignum eſt, quoniam
» auctor illius, annis compluribus ſummo ſtudio conſilia ire-
» nica exquiſivit. Præterea in Epiſtolis ad *Jo. Fabricium*
» datis multæ occurrunt utiliſſimæ obſervationes de Societate
» litterarum Berolinenſi, de poeticâ *Jo. Guil. Peterſenii*, & de
» innumeris aliis rebus, ſigillatim multa ſcitu digna *Leibnitius*
» tradit, de notiſſimo illo reſponſo, quod Helmſtadienſibus
» Theologis de licito a Lutheranâ religione ad Pontificiam
» tranſitu ab illis tribuitur, qui exiſtimant, Academiæ Juliæ
» Theologos non parum contuliſſe, ut Sereniſſima Princeps
» Brunſvicenſis *Eliſabetha Chriſtina*, nunc auguſtiſſima Impe-

„ ratrix, ſacra Evangelica cum Pontificiis commutarit. Sed „ de his latiùs commentandi hîc locus non eſt. Id autem „ tacitus præterire non poſſum, me plures *Leibnitii* ad eum- „ dem *Fabricium* miſſas litteras poſſidere, quam nunc L. B. „ communico : Neque enim è re eſſe duxi omnium earum „ tibi facere copiam, quæ magis ſpectant ad amicorum offi- „ cia, quàm ad publicum litteraturæ incrementum.

EPISTOLA I.

I. Utilitas itinerum. II. Leibnitius Fabricii *commodis conſulit.*

I. QUod me non tantùm compellaſti humaniſſimis literis, ſed & dono miſiſti pariter Helmſtadienſes primitias ac noviſſima quædam Altorfina, adjecto etiam munere non chartaceo, numiſmate ſcilicet memoriali auctarum Academiæ Noricæ facultatum, gratias debeo ſingulares, & vellem officiis poſſe mereri. Utilitatem itinerum, eruditi ſcopum ſuum præ oculis habentis exponi omnibus prodeſt, & Theologiæ ſtudioſorum intereſt. Nam reduces inveniunt quæ recolant, ituri quæ agant; ſed & qui ſolo animo peregrinantur in partem veniunt voluptatis fructuſque. Sub prælo nunc eſt Dn. *Bembemii*, Bardevicenſis Superintendentis, Eccleſiæ ſtatus præſens in Belgio fœderato, qui, quid in eo genere poſſit, jam impenſa in res Anglorum ſacras opera oſtendit (*a*). Hujus ſcriptis adjungi poterit *Mabillonii* Italicum iter, atque tua præclara præcepta magis in rem conferentur (*b*). Unum doleo, neminem extare, qui de Gallia idem nuper præſtiterit, in qua tamen materia eſt doctrina Eccleſiaſtica uberrima. Et nunc quidem magnæ ſunt lites de Quietiſmo, ferè ut apud nos de Pietiſmo, & Archiepiſcopum Cameracenſem quaſi Semiquietiſtam impugnat Meldenſis aliique. Recruduit etiam bellum inter Dominicanos & Jeſuitas occaſione Theologiæ Moralis a P. *Natali Alexandro* editæ (*c*).

II. Cæterum uti Academiæ Juliæ de te recepto gratulor, ita nobis operam dandam cenſeo, ut tibi, prout oportet, ſatisfaciat; & puto eum fuiſſe

(*a*) *Henr. Lud. Bemhemii* Eccleſ. & Scholarum Anglicanarum ſtatus 1732. in 8. Lipſiæ, cum Præfat. ven. *B. Menzeri* multo auctior prodiit. KORTHOLTI NOTA.

(*b*) Ad *Jo. Fabricii orationem inauguralem de utilitate, quam Theologiæ ſtudioſus ex itinere capere poteſt* Italico Altdorffii 1678. editam *Leibnitius* reſpicit. K. N.

(*c*) Conf. *B. Jo. Fr. Buddei* & ven. *Jo. Georgii Walchii* introductio in præcipuas religionis controverſias cap. III. §. IX. p. 264. ſeq. & §. XIII. p. 292. ſeqq. ubi harum litium ratio ſummatim exponitur. K. N.

fuiſſe animum vocantium, ut ſalarium ad 400. uſque Vallenſes augeretur. Itaque jam tum apud noſtros ea de re mentionem injicere cœpi, ut in congreſſu cum Cellenſibus res porro urgeatur, ſperoque omnia ita caſura, ut ne te acceſſus ad nos pœniteat. De Manuſcripto Verſionis Biblicæ *Saubertino* credo ipſi tibi occaſionem datum iri loquendi cum Sereniſſimo Duce *Rudolpho Auguſto*. Sed prædico tamen te ægre impetraturum impreſſum pro eo codicem Auguſteæ verſionis. Omnes enim qui ſuperſunt ſtudioſe cuſtodire jubet. Vale & fave. *Dabam Guelferbyti* 14. *Auguſti* 1697.

EPISTOLA II.

I. De originibus nationum Tranſſylvaniæ a Franckenſteinio *editis. II.* Wagenſeilii *de Cingaris ſententia. III. Differentia inter* Detſchen *&* Mueſer. *IV. Dictionariolum Germanicæ Tranſſylvanorum plebeiorum linguæ deſideratur. V. Elogium* Franckenſteinii.

I. MUltum tibi debeo, tum quòd præclaras tuas in *Baierianum* Compendium notas dono mittis, tum quòd & origines nationum Tranſſylvaniæ a Dn. *Valentino Franco a Franckenſtein*, Viro, ut apparet, egregio, ſcriptas mecum communicas, quæ poſſunt eos errore ſuo liberare, qui neſcio quas longinquas vel a *Carolo M.* vel ab anterioribus etiam temporibus Saxonum Daciæ origines fingunt. Sanè *Carolum* eo uſque penetraſſe non apparet. Saxones quoſdam in regiones Tranſrhenanas ab eo tranſlatos, quos *Ludovicus Pius* reſtituit, memorant ſcriptores, non taciturі colonias tam longinquas, quum & Saxones in exercitu *Caroli* contra Hunnos non prætermittantur. Equidem Gothi & Gepidæ & Longobardi & alii Germani populi in Pannonia ſedere, ut taceam veriſimile videri, jam antea antiquos Dacos cognatos Getis (ſi *Straboni* aliiſque credimus) Gothicam fuiſſe ſeu Germanicam gentem. Sed quicquid illic fuit Germanum, id dudum abolitum eſſe putandum eſt gentium migrationibus, & aſſentiendum demonſtranti auctori, Germanos hoſpites a Regibus Hungariæ jam Chriſtianis privilegiis datis fuiſſe allectos, urbeſque affluxu mercatorum & opificum & quorundam etiam militarium virorum oppleviſſe, ut in Pruſſia & Livonia: eo tamen diſcrimine, quod in has regiones per vim irrupere, in Hungariam verò venere incitati. Optandum ut diplomata aliqua obtineri poſſint, quibus iſta magis illuſtrentur, præter id, quod dedit *Toppeltinus* in Orig. Tranſſylv. (quem ad manus habeo) p. 16. ſeqq. Regis *Andreæ* conceſſum Saxonicæ nationi immunitatis privilegium, in quo gaudeo Dn. *Francum* correxiſſe errorem & ſubſtituiſſe vocati pro donati magno utique diſcrimine. Illa enim vox novos hoſpites eſſe declarat, hæc quaſi priſtinos incolas repræſentat, honoriſque ipſorum intereſt Saxonum, ut non quaſi ſervi prius libertate donati, ſed promiſſa libertatis

bertatis ingenitæ conſervatione vocati credantur. Noſſe operæ pretium foret, utrum ſigillum originali privilegio Regis ſit appenſum vel additum Monogramma, tum & qui teſtes diplomati (ut ſolet) acceſſerint? Hæc enim omnia præterit *Toppeltinus*, quæ ſi opera Viri præclari poterimus impetrare, plurimum adjiciet beneficio ſuo. Itaque quando tibi cum eo commercium eſt litterarium, rogare audeo, ut uſus occaſione tam commoda obtineas nobis, quæ augere notitias noſtras poſſint. Equidem diploma *Andreæ* Regis non Saxones ſed Teutonicos nominat; & *Hermannus* ille, a quo Hermanſtat, Noribergenſis fuiſſe dicitur: & alioqui conſtat perſæpe ab Italis, Gallis aliiſque exteris omnes omnino Germanos dici Saxones, poſtquàm Francorum appellatio Gallis magis tribui cœpit, & inſigne rutæ ab Hermanſtadienſibus ſerius haud dubie aſcitum videtur appellationi opinionique Germanos peculiariter ad Saxones referri debere, præſertim ſi favet dialectus, de qua accuratiùs inquiri par erit, an Weſtphalicæ vel Saxonicæ inferiori ſic ſatis conſentiat. Itaque ſpecimina quædam haberi optem, ut a plebeiis hominibus pronunciantur, indicemque vocabulorum provincialium, quæ etſi Germanica, tamen omnibus Germanis nota non ſunt. Hinc enim melius judicabimus de origine & dialecto. Sed & de cæteris Tranſſylvaniæ habitatoribus quædam amplius ſciri optem. Scyculos ab Hungaris diſtinguit Dominus Auctor. Sed *Toppeltinus* ait, ejuſdem eſſe originis cum cæteris Hungaris. Lingua rem optimè definierit, utrum nempe ſit ſincerè Hungarica, an multum peregrini habeat admiſtum, ſive Sarmaticum vel Slavonicum, quod nunc pro eodem accipio, lingua Slavonica latiſſimè ſumta, ſive etiam ab alia Scythica gente? De Wallachis vel Blachis omnes conſentiunt linguam plurimum habere Latini. Semper mihi ſuſpicio fuit, poſſe in aliquibus Daciæ angulis aliquas ſupereſſe reliquias linguæ Cumanæ. Nam Cumanos ſeculo XIII. Rex Hungarorum recepit, habitationemque iis conceſſit; etſi poſtea, quum bellum Tartaricum ingrueret, pro maxima parte fuerint deleti. Cumania autem videtur ſeſe ab Hungaricis ditionibus ad Pontum Euxinum porrexiſſe. Quum dicit Dn. Auctor in Wallachia & Moldavia linguam Ruthenicam cum Latina, in Bulgaria verò & Myſia cum Illyrica eſſe confuſam, velim ego noſſe, quid hic ſignificet Illyrica? Vulgo ſic ipſam appellant Slavonicam, ſed aliud ab ipſo intelligi puto, quum alias a Ruthenica non ſatis diſtingueretur, quæ & ipſa eſt Slavonici generis.

II. De Cingaris, quorum aliquæ in Dacia habitationes, dignum itidem altius inquiri. Celeberrimus *Wagenſeilius* in nupera appendice Noribergenſium memorabilium Cingaros a Judæis ubique Germania pulſis ingenioſe ſatis derivat, & linguam revocat ad Hebræam; ſed Dn. Auctor, qui dicit, eos ubique una uti lingua fundamentali, etſi dialectis diverſa, videtur plura & certiora ſuppeditare poſſe. *Toppeltinus* eos vult Græcorum ferè religionem ſequi & aliquam baptiſmi nomine cærimoniam peragere, certè nil adfert, quod ſapiat Judaiſmum.

III. Poſtre-

III. Poſtremò mirum mihi videtur, quod *Toppeltinus* refert Saxones Tranſſylvanos ſe ipſos quidem vocare *Detſchen*, cæteros verò Germanos *Mueſer* (*d*). Ipſe *Toppeltinus* vult *Detſchen* eſſe a Dacis, *Mueſer* a *Monſieur* Gallico, ſed fortaſſe *Detſchen* nil aliud quàm *Deutſchen*, quid verò *Mueſer*? Nam Gallicum *Monſieur* longiſſimè relegandum puto.

IV. Quum idem *Toppeltinus* dicat: „Germanicam linguam malè intelli»gimus, intelligi etiam ab ipſis vix poſſumus," addatque, ſe multa vocabula Gallica, Italica, Hiſpanica, Anglica, Turcica & Tartarica, in ſuorum ſermone notaſſe: optandum foret, Dictionariolum Germanicæ Tranſſylvanorum Plebeiorum linguæ haberi, preceſque aut alia ſpecimina adjungi, non ad noſtrum ſermonem accommodata, ſed genuina.

V. Hæc ſunt, Vir maximè Reverende, quæ ſuper hoc argumento ad te perſcribenda putavi, tibique arbitrandum relinquo, an ad egregium diſſertationis auctorem, Virum ut apparet, non minùs doctrina quàm dignitate præſtantem, deſiderata mea pervenire dignum aut commodum putes. Interea gratias ago pro munere utroque & tui & alieni operis decentes, & referre poſſe velim. Vale. *Dabam Hanoveræ* 14. *Sept.* 1697.

P. S. Quum in privilegio Regis *Andreæ* mentio fiat Blachorum & Biſſenorum, & de Blachis quid ſint conſtet, quæritur, cujus nationis ſint Biſſeni, quorum ſylva a Rege Teutonicis conſertur?

EPISTOLA III.

De Huetii *&* Bonjour *de Chronologia ſacra judicio.*

ET tu & amicus Tranſſylvanus beneficium in Rempublicam litterariam conferetis notitiis pluribus impetratis. Pro communicatis R. P. *Bonjour* Auguſtiniani promiſſis gratias ago. Eadem iiſdem pene verbis ad me miſit Dn. Abbas *Nicaſius*, ſed non ideo minùs tibi ſum adſtrictus. Doceas nos, ſi placet, qua hæc via ad te ſint delata? Significavit etiam illuſtrem Virum *Pet. Dan. Huetium* Epiſcopum Abrincenſem his promiſſis non valde moveri. Quum ipſi videatur vel ſolas antiquitates Ægyptiacas tantæ eſſe difficultatis, ut eruditiſſimum quemque deterrere poſſint. Quum præter exquiſitam lectionem veterum, etiam linguarum Orientalium atque Arabicæ præſertim, ipſo judice, intelligentia non vulgaris deſideretur. Ju-

(*d*) Forſitan *Mueſer* non fuit nomen gentis Germanicæ, ſed opprobrium, quo Tranſſylvani aliorum Germanorum famam elevare ſtuduerunt. *Mueſer* in lingua Saxoniæ inferioris etiam nunc furem denotat atque latronem. Quæ quidem lingua quum multa antiqua vocabula nobis ſervaverit, probabile utique eſt, eandem vocis *Mueſer* antiquis temporibus fuiſſe notionem, quæ etiam nunc in Saxonia inferiori obtinet. Mitto nunc vocem Germanicam *Calmeuſer*, qua Saxones hominem umbraticum laceſſunt. *L. N.*

cundum interea fuit, R. Patrem *Bonjour*, juvenem licèt, decidendi de rebus difficillimis ſibi ſumere autoritatem: „Après avoir décidé ſur la chrono„logie de toute l'Ecriture ſainte, en général & en particulier.“ *Scaligerum* aliquem loqui putes, aut *Uſſerium*. Non dubito tamen quin aliquid egregium ſit præſtiturus, præſertim maturiore ætate judicioque, & ignoſcenda ſunt juvenibus hæc audacius jactata. Plerumque enim, qui ea ætate moderati ſunt, longiùs provecti torpeſcunt. Quod ſupereſt, Vale, faveque. *Dabam Hanoveræ 5. Octobr. 1697.*

EPISTOLA IV.

I. Leibnitius *ſe ad Sinenſes litteras daturum refert.* II. *Cum* Fabricio *partem ſcripti doctoris Reformati communicat.*

I. GAudeo inter vos rectè conveniſſe, nec fuiſſe opus aliunde deciſionem dubitationum peti. Si quid Medici, Aſtronomique Veſtrates, ſubmittent, quod ex Sinenſibus quæri velint, rogo, ut maturè ad me cures. Intelligemus fortaſſe eadem occaſione, an Mercurius re vera comparuerit in ſole, an verò, ut ſæpe fit, fefellerint tabulæ?

II. Hoc ipſo tabulario mitto partem diſſertationis Theologicæ, ab erudito inter Reformatos viro huc miſſæ. Reliqua mox ſequetur pars. Deſideratur ut cum Dno. *D. Schmidio* Collega tuo de monitis, quàm maturrimè licet, cogites. De cætero & aliis non erit communicandum, neque ulla ratione certas ob cauſas ulteriùs emanare debere e re judicatur. Vale & feſtos dies proximos lætus age, & mox in anno novo longam aliorum ſeriem feliciter auſpicare. *Dabam Hanoveræ d. 21. Dec. 1697.*

EPISTOLA V.

I. *Alteram partem ſcripti Reformati doctoris mittit.* II. *Juſſu Sereniſſ. Ducis Reſponſum Ord. Theol. deſiderat.* III. Jo. Lud. Fabricius *laudatur.*

I. MItto ecce tibi reliqua ſcripti Reformati, & ut cum Dn. *D. Schmidio* Collega tuo, addita multa a me ſalute, communices rogo, uti ille priora tecum communicavit. Deſideratur, ut velitis cogitatorum & monitorum veſtrorum, ea, quam jam expoſui, ratione, mihi copiam facere. Neque id ego a vobis peterem meo nomine, ſed, ut facilè judicabitis, ab altiore cauſa eſt, quod poſtulo, ac ſilentium præterea commendare ſum juſſus. Facietis pro doctrina, prudentia & æquitate veſtra, ut digna reponi ſuppeditentur.

II. In altero etiam negotio, quod diverſæ ſanè naturæ eſt, & alio conſilio deſideratur, alioque loco, ſpero, Sereniſſimi Ducis monitu factum iri,

iri, ut aliquid magis ad propoſitum concinnetur, quàm quod prius fuerat deſignatum. (e)

III. *Jo. Lud. Fabricium* olim Heidelbergæ novi. Vir erat doctrina & judicio valens & Electori ſuo carus. Vidi ejus ſcriptum de perſona Chriſti, tum & *Euclidis Catholici* titulo, ſub *Jani Alexandri Ferrarii* nomine, elegantem in Pontificios luſum. (f) Si quid Noribergæ, aut aliunde novi in re litteraria afferetur, id rogo ad me pervenire patiaris. Sereniſſimus Princeps *Chriſtianus* Dux Brunſvicenſis mihi inde ex Tranſſylvania, Dn. *Franci* libellum in duodecima forma miſit, nomen abeſt, inſignia verò familiæ ære expreſſa adſunt; ſed rem jam tuo beneficio habebamus. Vale. *Dabam Hanov.* 10. *Jan.* 1698.

EPISTOLA VI.

De Reſponſo Ord. Theologici Helmſtad.

MIſſu tuo accepi ſcriptum veſtrum doctum, ſolidum, moderatum, quo ad communem ſcopum ita uti conabimur, ut, quoad ejus fieri poteſt, novi motus vitentur, & ſuavi ratione animi præparentur. Quæ etiam cauſa fuit, cur hæc potiùs placuerit via, quàm ut ad facultatem ipſam ſcriberetur. Dedi operam in charta ad Sereniſſimum Ducem miſſa, ut explicarem mentem ipſius Sereniſſimi Domini pariter ac ſcopum, ad quem collineandum puto, tum ne difficultatibus civilibus implicemur, tum etiam ut nihil omittamus, quod in noſtra ſit poteſtate, tum etiam ut jam bene actis utamur, nec tamen vel nobis vel noſtris præjudicium creemus. Vale. *Dabam Hanov.* 1. *Febr.* 1698.

EPISTOLA VII.

Novum Reſponſum deſideratur.

SEreniſſimus Dux *Antonius Ulricus* tibi ſignificari clementiſſimè juſſit, a ſe expeti, ut quæ ad deſiderata ipſius concepta ſunt, ſecundùm mentem ſcripti veſtri prioris (novis conſiderationibus circa nova deſideria vobiscum duobus hic præſentibus jam ſuppletam) latino ſermone veſtita quàm primùm

(e) Forſan h. l. *Leibnitius* Theologorum Helmſtad. judicium de controverſiis, quæ inter Lutheranos & Pontificios doctores intercedunt, deſiderat. conf. epiſtola VIII. K. N.

(f) Quænam hujus ſcripti ſit ratio *Jo. Alb. Fabricius* P. IV. Hiſtoriæ Bibliothecæ ſuæ p. 523. tradit. *Janus*, inquit, *Alexander Ferrarius genere ſcriptionis utitur ſingulari, & de quo dubium ad mimeſinne an ſarcaſmum vel myſteriſmum referri debeat? Simulat enim, quaſi cum promachis Papatus in conſtituenda & protegenda hierarchia faceret, atque ita iis illudit.* K. N.

primùm in ordinem redigantur, & ad expeditionem promoveantur. Quod ut fiat meliùs promtiusque, commodiſſimum judicat, uti ſtatim ubi domum redieris, cum Dn. Collegis communices, abſolutumque ex veſtra ſententia per nuntium proprium, ſi curſus publici dies non faveat, ipſi Guelferbytum tranſmitti cures, ut cum præſente adhuc in aula Domino Abbate *Calixto*, ultima imponi manus, & ab hoc reverſo Helmſtadium, ſub ſigillo facultatis, ex Decanatus officio perfectum tandem authenticum ad ſerenitatem ſuam tranſmitti poſſit. Vale. *Dabam Brunſvigæ 15. Febr. 1698.*

EPISTOLA VIII.

I. *Conſilia Irenica.* II. *De ſupremo ſpirituali magiſtratu.* III. *De elaborando Reſponſo conſilium.*

I. NEſcio an tibi reddita fuerit epiſtola mea quam Peina ſcripſi in itinere, & ad Sereniſſimum Ducem *Antonium Ulricum* miſi, in qua propoſueram, ut temporis lucrandi, & difficultatum cum Domino Abbate *Calixto* evitandarum gratiâ, cum Dominis Collegis Latinè conciperetur reſponſum & mitteretur promtiſſimè ad Sereniſſimum Ducem per proprium nuntium, dum adhuc Guelferbyti eſſet Dn. *Calixtus*, ut Sereniſſimus Dux ibi cum ipſo componeret ultimam manum, & is deinde ad vos reverſus expediret ex officio Decanatus. Neſcio an adhuc tempus ſit, tale quid agendi, ſi fieri poſſet, futura eſſet res Sereniſſimo Duci gratiſſima. Tuas accepi interim cum Autographo meo Germanico, quod gaudeo etiam Domino *Schmidio* non diſplicuiſſe. Ejus itidem accepi litteras, ſed hac vice, imminente curſoris diſceſſu, reſpondere ei non poſſum, faciam proximis. Veſtris Dominus Abbas *Molanus* utetur, uti ſanè merentur. Grata ei fuit Lipſienſis collationis relatio. Habet ille *Jo. Lud. Fabricii*, Theologi, quondam Palatini Electoralis, Dialogos quorum unus de perſona Chriſti agit, ubi omnia ex *Gerhardi* ferè ſententia explicat, negatque ſuos ab ea abire. (g)

II. In Peinenſi Epiſtola ad te venerat mihi in mentem ſuggerere, ut majoris charitatis causâ talia ferè adjicerentur circa jus Romani Pontificis: Quum DEUS ſit DEUS ordinis, & corpus unius Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ uno regimine Hierarchiaque univerſali continendum juris divini ſit, conſequens eſt, ut ejuſdem ſit juris ſupremus in eo Spiritualis Magiſtratus terminis

(g) Jo. Lud. Fabricii *meditatio de controverſia circa perſonam* Chriſti *inter Evangelicos* in operibus ejus Tiguri 1698. editis ſexto atque decimo loco exiat. B. *Gerhardus Wolfherus Molanus*, Abbas Loccumenſis, in diſputatione inaugurali ſub D. *Hunchii* præſidio habita teſtatur; *meditationem illam talem eſſe, ut enuntiare vix poſſit, quantopere ſibi probetur, ſeque conſidere, eam plerisque probatum iri, qui rem* πρᾶγμα *ponderare potiùs, quam ſuſpicionibus nequicquam indulgere præoptent*, conf. *Jo. Alb. Fabricii* Hiſtoria Bibliothecæ ſuæ P. IV. p. 523. *K. N.*

terminis ſe juſtis continens (hæc verba nunc addo) directoria poteſtate, omniaque neceſſaria ad explendum munus pro ſalute Eccleſiæ agendi facultate inſtructus, tametſi locus ac ſedes hujus poteſtatis in Metropoli Chriſtiani orbis Roma ex humanis conſiderationibus placuerit &c. (h) Horum

 rogo

(h) *Leibnitius* in libro de *Jure ſupremátûs ac legationis Principum Germaniæ*, quem ſub *Cæſarini Furſteneri* nomine edidit, & in Præfat. *Codici Juris gentium diplomatico* præfixa, ex inſtituto propugnat inter omnes Chriſtianos ſtatus jure humano Pontificem Romanum ſummum eſſe controverſiarum de Clericis motarum judicem, & Imperatore neminem in rebus politicis majorem, qui etiam poſſit a recta via aberrantem Pontificem reprehendere. A qua quidem ſententia, quod ad Pontificem attinet, *Philippus Melanchthon* non admodum alienus eſt. Articulis enim Smalcaldicis p. 338. ſequentem addidit obſervationem: *Ego* Philippus Melanchthon *ſupra poſitos articulos approbo, ut pios & Chriſtianos. De Pontifice ſtatuo, ſi Evangelium admitteret, poſſe ei, propter pacem & communem tranquillitatem Chriſtianorum, qui jam ſub ipſo ſunt, & impoſterum ſub ipſo erunt, ſuperioritatem in Epiſcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam a nobis permitti.* Idem in epiſtola pridie Non. Sept. 1530. ad *Joach. Camerarium* ſcripta: *Quo jure enim*, inquit, *licebit nobis diſſolvere πολιτείαν Eccleſiaſticam, ſi Epiſcopi nobis concedant illa, quæ æquum eſt eos concedere. Et ut liceat certè non expedit. Semper ita ſenſit ipſe* Lutherus, *quem nulla de cauſſa quidam, ut video, amant, niſi quia beneficio ejus ſentiunt, ſe Epiſcopos execiſſe*, (qui igitur *Lutherus* idem quod *Melanchthon* de Hierarchia Eccleſiaſtica ſentit,) *& adeptos libertatem minimè utilem ad poſteritatem. Qualis enim, ecdo, futurus eſt ſtatus ad poſteros in Eccleſiis, ſi omnes veteres mores ſint aboliti, ſi nulli certi ſint præſides?* At enimvero ipſe *Philippus Melanchthon* deinceps agnovit, ſe minùs rectè rationes ſubduxiſſe. In epiſtola die 2. Nov. 1540. ad eundem *Camerarium* data: *Et optaremus*, inquit, *Epiſcopos tueri ἀξίωμα ἀρχιερατικὸν ſine tyrannide, ſed quum venit mihi in mentem ſævitiæ, quam toi jam annos exercent, profectò ita ſentio, nos mollius agere cauſſam noſtram quàm oportuit. Deinde de hoc ipſo congreſſu quid ſpei eſt? Edita eſt in his diebus proſcriptio adverſùs Goslariam, qua palam rurſum bellum nobis indicitur. Et huc advecti ſunt arbitri dogmatum, ſycophantæ omnium impudentiſſimi:* Eccius, Cochlæus, Nauſea, Minſingerus *& quidam ſimiles. Hi dicent ſententiam de cervicibus, qui non intelligunt cauſſam & odio ardent, & habent mentes ac manus reſperſas ſanguine piorum.*

Plura *Leibnitius* hac ipſa epiſtola cedit pontificiis doctoribus quàm in ſcriptis, quorum modò feci mentionem. Tuetur enim ipſum regimen monarchicum in Eccleſiam univerſam *juris* eſſe *divini*; licèt Romanæ Sedis prærogativæ *humani* ſint *juris*. Conf. Epiſtola XI. & XII. Non videtur vir ſummus *juris divini* nomine hoc loco intelligere, quod ſingulari mandato eſt in Scriptura Sacra præſcriptum, ſed potiùs quod e re eſt civitatis Dei. Quum enim Deus omnia ea velit, quæ ad ſalutem civitatis ſuæ faciunt; conſequens eſt, quòd generali ſenſu & illa juris divini dici queant, quæ, ſi deſignantur, commodum ejus provehunt. Quocunque autem ſenſu vocem *juris divini* h. l. accipias, probabile non eſt; jure divino aliquem ſummum in Eccleſia Epiſcopum eſſe oportere. Si jus divinum ea denotat, quæ in Scriptura Sacra præcepta ſunt; ſanè nullum de hac ſumma directoria poteſtate verbum in illa legitur. Contrarium potiùs *Luc.* XXII. v. 24. ſeqq. & multis aliis in locis reperias. Si jus divinum, quod e re eccleſiæ eſt, ſignificat; neque hoc ſignificatu dici poteſt, jure divino aliquem eſſe oportere totius Eccleſiæ Judicem. Rectiſſimè utique defenditur: Deum eſſe Deum ordinis, utilitatem hominum, civitatis Dei ſalutem requirere; ut omnia ordine eveniant; juris divini igitur eſſe, ut & clerici & laici magiſtratui ſubſint. At verò magiſtratus perſonam & clerici & laici gerere poſſunt. Determinatum igitur nondum eſt;

utrum

rogo ut data occaſione rationem haberi cures; nam Sereniſſimus Dux inprimis de ſupremo Spirituali Magiſtratu (i) mentionem faciendam urgebat, & meritò quidem. Eſt enim in omni republica, adeoque & in Eccleſia Chriſtiana ipſo jure proditum, ut ſupremus habeatur Magiſtratus, ſive is in una conſiſtat perſona, ſive in pluribus. Quòd ſi tamen e pluribus collegium conſtet, naturale eſt in uno jus eſſe directoris, ſeu ſupremi Magiſtratus, ſuis licet limitibus coërcitii.

III. Si abſente Domino Abbate *Calixto* omnia poſſent Latinè a te præformari, rem, ut dixi, Sereniſſimo Duci gratiſſimam faceres. Quodſi ante reditum ejus (niſi aliter jam a Sereniſſimo Duce mandatum) cæteris præponere, vel non velitis, vel commodè non poſſitis, ſaltem temporis lucrandi cauſa id a te factum non poterit improbari: præſertim ſi oſtendas te maluiſſe Latinum ex mea prædelineatione Germanica ad Sereniſſimi Ducis mentem conſcripta formare, quàm verba mea deſcribere, quæ utique non erant ſervanda. Et addere poſſes, Germanica mea te remiſiſſe, ſervatis Latinis, ut a te fuerint concepta potius ad mentem Sereniſſimi Ducis, quàm ad verba Germanicæ delineationis, quamquam (hoc inter nos dixerim) fortaſſe præſtet ipſis, qua licet, inſiſti; ſalvo tamen jure tuo addendi, minuendi, emendandi, cui libenter acquieſcemus, quia ſcimus tibi ſcopum ipſum eſſe cordi. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanoveræ 22. Febr.* 1698.

EPISTOLA IX.

De elaborando Reſponſo Theolog. conſilium.

SEreniſſimus Dux *Antonius Ulricus* miſit mihi tuas ad ipſum cum exemplo Latino pariter & Germanico delineationis veſtri reſponſi. Latinum ipſi hodie remitto, quod ſpero cum ipſius approbatione ad te redibit. Germanicum rectâ remitto ad te, ne neceſſe ſit, ut id Domino *Calixto* tradat cum

utrum magis e re ſit magiſtratui civili competere directionem ſacrorum externorum, an verò magis conducat, penes Clericos eſſe ſummum in Eccleſia regimen? Fac præſtare a Clericis dijudicari controverſias omnes eccleſiaſticas. Nonne iterum nova oritur quæſtio, utrum civitati Dei ſalutarius ſit in diverſis provinciis a ſe non dependentes habere Epiſcopos, an verò magis conducat uni eidemque Epiſcopo ſummam omnium ſacrorum curam committere? Sanè ex rei veritate dici videtur in libro de poteſtate Papæ articulis Smalcald. addito p. 343. *Superioritas illa eſt impoſſibilis. Nam impoſſibile eſt, unum Epiſcopum eſſe* (addo: ſalva cum conſcientia) *inſpectorem Eccleſiarum totius orbis terrarum.* Quis enim tot negotiis dijudicandis ſolus & unus ſufficiet? *K. N.*

(i) Per ſpiritualem magiſtratum *Leibnitius* procul dubio h. l. ſacrorum externorum intelligit directionem. Alias per *poteſtatem ſpiritualem mandatum docendi Evangelii, annuntiandi remiſſionem peccatorum, adminiſtrandi ſacramenta, excommunicandi impios ſine vi corporali* denotari ſolet. Vid. Tractat. de poteſtate & primatu Papæ articulis Smalcaldicis additus p. 346. *K. N.*

cum Latino. Ex Serenitatis ſuæ gratioſiſſimis litteris non ſatis licuit intelligere, an Dominus *Calixtus* viderit Latinam delineationem, & quod ei videatur. Itaque maturrimè remitte, ut ſi non vidit, Sereniſſimo monſtrante, fortaſſe adhuc videat. Nec dubito Sereniſſimum qua pote, curaturum, ut finis negotio imponatur. Venia tua quædam parvi licèt momenti notata claritatis causâ conſignata tibi uni mitto, ſi videbitur, rationem eorum habeas. Et ſanè non eſt cur prædelineationi Germanicæ nimis adſtringaris; præclarè interim omnia expreſſiſti. Nuperas meas acceperis, in quibus dubitabam, an res maturè eſſet curata, nunc verò ademta eſt mihi hæc dubitatio. Deum precor, ut omnia in nominis ſui gloriam, Eccleſiæque Chriſtianæ bonum ſuccedant. Nobis optimæ voluntatis commendatio ſuffecerit. Quod ſupereſt, Vale & fave. *Dabam Hanov.* 15. *Febr.* 1698.

EPISTOLA X.

De diſtinctione inter jus divinum auctoritatis directoriæ in Eccleſia & applicationem ejus ad Sedem Romanam.

QUum tempore deſtituar otioque ad deſcribendum, quæ tanquam ad te in chartam conjeci, una cum delineatione literarum ad Sereniſſimum Ducem, ideo rogo, ut meam hanc plagulam mihi remittas, quemadmodum tuam ipſe recipis, delineationem ſcilicet reſponſi Faculratis, & tuas litteras apoſtillatas, ut vocant, manu Dominorum Collegarum, de cætero me ad ampliora mea hic adjecta refero. Si non vult Dominus *Calixtus* conſentire formulæ de jure divino adjectæ, rationes reddendæ erunt Sereniſſimo Duci. Diſtinguitur meritò inter jus divinum autoritatis directoriæ in Eccleſia, & applicationem ejus ad Romanam Sedem. Ita jus Sedis Romanæ manet humanum. Prorſus quemadmodum ſi major propoſitio ſit juris naturalis, minor poſitivi, concluſio etiam ſit juris poſitivi, quia ſequitur partem debiliorem. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 31. *Martii* 1698.

EPISTOLA XI.

I. *Reſponſum deſideratur additionale.* II. Molani & Leibnitii *de Romanæ Sedis prærogativa ſententia.* III. *De modis Acad. Helmſtad. promovendis conſilia.*

I. SIgnificare volui Sereniſſimum Ducem Reſponſum veſtrum mecum communicaſſe. Quoniam ergo expeditum eſt, puto poſſe ſtare, ſed aliud jam poſſe Reſponſum dari Additionale, ut vocant, cui deſiderata inſerantur. Eamque in rem Sereniſſimo Duci ſcripſi. Quod ſi res hæc ad vos defertur, non dubito, quin pro tua moderatione & prudentia ſis effecturus, ut res ſuccedat, & ut inprimis Dominus *Wideburgius* vobis accedat.

II. Do-

II. Dominus Abbas *Molanus*, quantum ex colloquiis intellexi, mecum ſentit; agnoſco & ego Romanæ Sedis prærogativas humani eſſe juris; etſi ipſum directorium in Eccleſia, quod ipſi ob humanas rationes delatum eſt, juris ſit divini.

III. Ita eſt ut ſcribis, nimia eſt copia eorum, qui dant literis operam, ſelectu opus potius foret. Cæterum de rationibus mutandi convictus in ſtipendia velim eſſe informatior. Certè præſtaret beneficia conferri in minus egentes, modò conferantur in magis dignos, dummodo ne homines aulici aliquando ne hoc quidem curent. Ante omnia urgendum cenſeo, ut a Sereniſſima domo lege lata jubeantur illi, qui ſtudiorum ſuorum in his regionibus rationem haberi volent, Helmſtadium adire, ibique certo tempore modoque litteris operam dare. Velim ergo a vobis rationes in hanc rem ſuppeditari, quibus ut pondus habeant, ſi quid pro tenuitate mea conferre potero, faciam lubens. Vale. *Dabam Hanov.* 8. *Apr.* 1698.

EPISTOLA XII.

I. *De Reſponſo additionali conſilium.* II. Molani *de Pontifice ſententia.* III. *De commodis Acad. Juliæ provehendis.*

I. HOc ipſo momento hinc diſceſſurus Guelpherbytum, has ad te do litteras. Putavi additionalis Reſponſi interventu melius conſuli dignitati facultatis. Id enim, quod jam dedit, ſi benignè interpretemur, ſuſtineri poteſt. Neque ulla erit contradictio, quum non negata fuerit, illa, de qua quæritur, poteſtas, ſed judicium tantum dilatum. Præterea ſi poteſtatem Pontificis qua Romani, ſeu ſedem Romæ fixam reſpiciamus, non revocatur declinatio. Omnia igitur optimè conſpirant, & poterit reſponſum additionale, eſſe articuli ſecreti loco non ſtatim producendi; ſed tum demum, ubi altera pars videbitur ſic ſatis optimæ noſtrorum voluntati reſpondere, quæ cauſa etiam fuit, ut poſterioribus cogitationibus hanc ſeparationem prioris reſponſi reformationi præferendam putarem: Quid Sereniſſimus Dux cum Domino *Calixto* de hac re egerit, mox intelligam, ubi Guelferbytum appulero.

II. Significavi Domino *Schmidio* Dominum Abbatem *Molanum* mihi ſcripſiſſe, diſtinctionem illam juris divini, de qua agitur, ſibi vehementer probari. Idque fortaſſe a Domino D. *Schmidio* jam intellexeris. Nunc viciſſim, ut ei meum iter cum officioſa a me ſalute, indices, peto.

III. Viſitatio his temporibus haberet difficultates, putem tamen nihilominus commodo Academiæ conſuli poſſe. Et operæ foret pretium omnia diduci diſtinctiùs, quo meliùs conſultari in aulis poſſit. Omnino tollenda eſt illa inter convictus diſtinctio, & jubendum, ut harum regionum cives apud nos aliquamdiu ſtudiis dent operam. Vale & felicia feſta age. *Dab. Hanov.* 19. *Apr.* 1698.

EPI-

EPISTOLA XIII.

Princeps Antonius Ulricus *cum Doctore* Schmidio *de unionis negotio ſua conſociare vult conſilia.*

VIſum eſt Sereniſſimo Duci *Antonio Ulrico* aliquem veſtrum accerſere. Et placuit tandem, ne in te ſolum omnis derivetur invidia, quum nuper onus ſuſtinueris, nunc venire Dominum D. *Schmidium*, præſertim cùm prætextus rerum mathematicarum in ipſo adſit. Interim ad te mittitur eques, qui has ad te deferet. Tu quæſo incluſas Domino D. *Schmidio* tradi curabis, atque etiam cum ipſo de re tota, quam noſti, deliberabis, ſi placet. Ita ſpero confectum iri omnia. Vale interim & fave, nam hæc feſtinus ſcribo. *Dabam Guelpherbyti* 22. *April.* 1698.

P. S. Si tutè ſimul venire velles, foret Sereniſſimo Duci gratiſſimum, ſed, ut dixi, veriti ſuimus, ne nunc iterum venire gravarere.

EPISTOLA XIV.

I. *Tegenda de unione conſilia.* II. A. H. Franckii *conſilia approbantur.* III. Sturmii *cum* Leibnitio *controverſia. De* Weigelio *judicium.*

I. PRæter opinionem accidit, ut adhuc hærerem hoc loco, ita factum eſt, ut Sereniſſimus Dux hoc mane jam diſceſſuro mittat tuas, & ad ſe venire adhuc jubeat. Gaudeo rem pro confecta habendam. Cum Sereniſſimo mox loquar; & quia literas tuas mecum communicavit, dicam, quæ ad rem videbuntur & ad mentem tuam. Interea apud Dominum *Calvoerium* & alios parcius iſta viris tamen exponenda memento. Quidam enim ſimulant aſſenſum, ut aliquid expiſcentur. Quanquam de ipſo Domino *Calvoerio* (*k*) nil tale ſuſpicer. Vereor enim ne rumore naſcente de talibus habeamus novas lites, & pro pace bella. Sed ea tua eſt prudentia & circumſpectio, ut hæc ſuperflua judicem monita; quanquam ſuperflua non nocent. Iter felix & fauſtum precor.

II Dominum *Francum* quæſo in tranſitu a me ſaluta, & dic ſperare me conſilia ejus mihi probatiſſima bene proceſſura porro; & deſiderare, ut per Dominum *Ludolphum* juniorem cum Moſcovitis jam redituris fructuoſum aliquid efficere curet, quo ſcholæ ad ipſius morem apud Ruſſos aperiantur; quod poſſet eſſe initium procurando noſtris aditus uſque ad Sinas. A Sereniſſimo Duce jam redeo, is valde laudat operam tuam, iterque

(*k*) Quid *Calvoerius* de re irenica ſentiat, expoſuit in *Conſultatione de pace Eccleſiaſtica inter Proteſtantes incunda.* ed. Goſlariæ 1705. & in *Relationibus innocuis* 1709. p. 290. ſeq. recenſita. *K. N.*

fauſtum precatur. Bene diſtinguit inter ſingularia dogmata, quæ Pietiſtis, quos vocant, imputantur, & inter laudabiles conatus, qui ſemper ſunt juvandi. Ego te ſalvum redire quamprimum opto precorque. Rogo etiam, ſi paulo diutius abſis, nos ignaros tui eſſe non patiaris.

III. Dominus *Sturmius* Altorfii Profeſſor diſputatiunculam mecum habet. Ego puto omni ſubſtantiæ vim actricem ſeu niſum ineſſe, etſi non niſi ſecundùm leges mechanicas exerceatur. Ille *Malebranchium* & quoſdam *Carteſianos* (*l*) ſequutus, vult Deum ſolum agere. Reſpondi ipſi ante menſes aliquot, & filius Profeſſor Guelpherbytanus ſchedam meam miſit. Spero nunc mea paulo meliùs intellecturum. Nam antea putabat primum diſcrimen noſtrarum ſententiarum eſſe nimis parvum, poſtea credidit eſſe nimis magnum; nec ſatis diſtinctè mihi procedere videbatur pro declarandis tanti momenti veritatibus, imo ne id quidem ſatis conſtituiſſe, quid vis & actio ſint. Eum a me ſalutari interim peto. Domino *Weigelio* etiam, ſi eum Noribergæ invenis, ſalutem a me rogo ut nunties, teſſerisque apud ipſum libentiſſimè me ſemper ad præclara ejus conſilia aliquid collaturum, ſed poſtulanda ſunt, quæ fieri poſſint: ſemper tantùm ad me ſcripſit de rebus exigui momenti, & quæ valde commendari non poſſunt. Velut de globis ſuis heraldicis, de Calendario &c. Ego verò malim agi res majoris ad bonum publicum momenti, & virum præclarum, dum adhuc ſupereſt, uti Dei donis. Vale. *Dabam Guelpherbyti* 9. *Maii* 1698.

P. S. Peto Domino D. *Schmidio* ſalutem dici. Dominus *Calixtus* ſcripſit, ſe mox apud ſuum Ducem fore. Nihil tangere voluit de concluſione per majora.

EPISTOLA XV.

I. *De* Weigelio. II. *Status controverſiæ inter* Sturmium *&* Leibnitium. III. *Nuptiæ Principis* Amaliæ *&* *Roman. Regis.*

I. REditum tuum felicem & tibi & nobis gratulor. Neſcio an ſignificaverim Sereniſſimum Ducem *Antonium Ulricum* libenter tecum fuiſſe loquuturum, quum ex ſchedulis nomenclatoriis portarum urbis tranſitum tuum ſed ſeriùs intellexiſſet. Gratias etiam ago, quòd de Cl. *Weigelii* inſtituto nonnulla me docuiſti. Literas Cæſaris ad Senatum Noribergenſem ejus in gratiam ſcriptas, ſi exemplum commodè nanciſci potes, videre pervelim favore tuo.

II. Accepi diſſertationem Apologeticam celeberrimi *Sturmii*, quæ reſpondet Domini *Schellhammeri* objectionibus, ex quibus animadvertere mihi videor, in nonnullis quidem nos conſpirare, ſupereſſe tamen, in quibus diſſen-

(*l*) Quibuſdam Carteſianis non ipſi *Carteſio* hanc ſententiam eſſe tribuendam *Guntherus Chriſtophorus Schelhammerus* in *natura ſibi & medicis vindicata* cap. V. §. IX. p. 91. propugnat. *K. N.*

diſſentiamus, nec mihi corpora vi actrice inſita ſpolianda videri, quin potiùs in illis per omne corporum genus conſiſtere illam veterum ἐντελέχειαν animabus analogam, quæ ſcholis ſubſtantialis formæ nomine venit. (*m*)

III. Speramus quidem magis magiſque tractatum matrimonii inter Regem Romanorum & Sereniſſimam Principem *Amaliam* Electoris noſtri Conſobrinam concluſum iri, ſed nondum tamen expectatus confectæ rei nuntius advenit. Vale & fave. *Dabam Linsburgi* 2. *Aug.* 1698.

EPISTOLA XVI.

I. *De* Franckii *ad* Leibnitium *litteris.* II. *Elector Brandenb. irenicum negotium promovet.* III. *Loca adverſariorum nobis faventia colligenda.*

I. NOn ſatis ſcio, an ſim in ære tuo literario, nam ab aliquot ſeptimanis fui diſtractiſſimus. Literas Halis accepi a Domino *Franco*, quibus ſignificat, quæ ipſi ſcripſeras miſeraſve Lipſia (ubi & a me quædam ſignificaveras) periiſſe, nec fuiſſe perlata. Puto idem ipſum ſignificaſſe tibi, ut judices, an ab amico juſto curioſiore, an alia ratione litteræ fuerint interceptæ.

II. Sereniſſimus Elector Brandenburgicus irenicum negotium promovere pergit, ſperamuſque plura in eam rem, quæ ſignificare non intermittam.

III. Interea utile erit notari ſubinde inter legendum occurrentia fortè loca utrorumque adverſariorum, tum etiam noſtrorum rigidiorum, quæ favere videbuntur. Nam his in rebus plurimum valent argumenta ad hominem. Nuper nactus ſum *Brerlæi* Pontificii Angli librum, cui titulus: *Apologia Proteſtantium pro Romana Eccleſia, ubi noſtrorum loca ſuis faventia adducit.* Vellem etiam ſimilia inter noſtros & Reformatos haberentur. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 20. *Sept.* 1698.

P. S. An neminem noſti, qui habeat librum *Jac. Payvæ Andradii*: Explicationes orthodoxæ de controverſis religionis capitibus, quem refutavit *Chemnitius* in Examine Concilii Tridentini. Mihi olim lectus eſt, ſed ab

(*m*) *Jo. Chriſtoph. Sturmius* in Phyſica electiva ſeu hypothetica p. 164. declarat, ſe profiteri; *Solam* DEI *voluntatem efficaciſſimam eſſe virtutem illam verè agentem, quæ non mota moveat, propriiſſimè loquendo moveat, unum corpus per alterum moveat, & hoc pacto, quidquid ſit effectuum naturalium, in omnibus etiam reconditiſſimis hujus univerſi angulis, ſua ſolius immediata virtute efficiat.* Ex quibus quidem celeberrimi *Sturmii* verbis conjicere quis poſſet, eum non ſatis ſibi conſtare. Si Deus unum corpus *per alterum* movet, qui igitur immediatè ſua virtute omnia efficit? Et ipſe *Leibnitius* a primo motore DEO vim activam corporum ultimo derivandam eſſe profitetur. Sed *immediatè* DEUM omnia movere pernegat, quum corpus in motu conſtitutum non poſſit non vi agendo eſſe præditum. Conf. *Acta Eruditorum* anni 1694. *menſe Mart.* anni 1695. *menſe Apr.* & ann. 1698. *menſe Septembr.* ubi aliquot huc facientia *Leibnitii* ſchediaſmata reperias. *E. N.*

eo tempore rurſus non occurrit. Erat in auctione Albertina Lipſiæ, ſed diſparuit, quum emi juberetur.

EPISTOLA XVII.

I. *De* Fabricii *paradoxis theologicis.* II. *Conſilia de negotio irenico tegenda.*

I. Literis tuis gratiſſimis reſpondiſſem dudum, niſi iter Cellenſe interveniſſet, quod me nonnihil diſtraxit, dum volo non negligere occaſionem videndi magni Regis. Ante omnia pro diſſertatione de paradoxis Theologicis ago gratias, quales meretur, i. e. ſingulares. Hoc ipſum eſt methodo expoſitoria operam præclaram dare, qua ſæpe controverſiæ diffiantur. Veſtra de Abſoluto Decreto pergrata erunt monita ad ſcriptum mihi communicatum & vobis tranſmiſſum. In paradoxis tuis commodè diſtinguis cum *Durrio* inter meritum & conditionem. Noſtræ etiam bonæ qualitates (ſive fidem cum noſtris, ſive opera cum Pontificiis intelligas) non ſunt meritoriæ, ſed conditiones, quibus alligare ſalutem Deo gratioſe placuit. Verùm enim verò videtur aliqua ſupereſſe difficultas circa arcanam diſpenſationem mediorum ſalutis, qua fit, ut alii per varias vitæ occaſiones diſponantur ac ſuaviter ſeu ſalva libertate perducantur ad conditionem obtinendam, alii ſecus. Hic ergo redeundum eſt haud dubiè ad βάθος Pauli, altitudinem ſc. divitiarum & ſapientiæ divinæ. Non quaſi Deus alios ad fidem pœnitentiamque finalem perducere ſtatuat, alios ſecus decreto ita abſoluto, ut omni cauſa impulſiva careat, quale in ſapientem non cadit; ſed quòd rationes ſint nobis occultæ, Deo tamen digniſſimæ & cum juſtitia ejus ac bonitate maximè convenientes.

II. De his, quæ facultas veſtra egit, non ita pridem ſcriptoque declaravit, ſuadeo, ne cuiquam quicquam vel litteris vel coram ſignificetur. Nam res ejus momenti eſt, ut præſtet eam haberi occultiſſimam. Ego certè nemini mortalium de ea verbulum dixi, præterquam ei cui data eſt declaratio & ipſis facultatis membris. Non quòd res ſit pudenda, quum nil mihi videatur fieri potuiſſe laude dignius; ſed quòd non paucis eſſet diſplicitura, & alioqui plus efficaciæ ac pretii ineſt occultatis, ſi non niſi in ipſo temporis articulo, quo maximè prodeſſe poſſunt producantur. Vale. *Dabam Hanov.* 14. *Octobr.* 1698.

P. S. Mitte mihi quæſo Catalogum Lectionum veſtrarum typis editum. Quid apud vos *Andradii* diſcere gratum erit.

EPISTOLA XVIII.

Leibnitius *cogitata ſua irenica cum Theologis Helmſtad. communicat.*

NUperas meas acceperis. Interea non expectato veſtro reſponſo de abſoluto decreto, nata eſt occaſio vos conſulendi nova. Nempe ipſemet, petente amico Reformato, cogitata quædam mea irenica delineavi, quæ

quæ antequam communicarem, volui cenſuræ priùs veſtræ ſubmittere, rogoque ut cum Domino *D. Schmidio* communices, & an ita ferri poſſint, me doceatis. Vale. *Dabam Hanov.* 21. *Octobr.* 1698.

EPISTOLA XIX.

De cogitatis Leibnitii *irenicis.*

EXpecto ſententiam & tuam & Domini *Schmidii* de ſcheda mea latina, non ita pridem tranſmiſſa; ſed hoc, ubi vobis commodum erit. Sicubi addi poſſe aliquid aut explicari utiliter debere judicaveritis, ſit ad guſtum hominum, id rogo ut ſeparatim etiam notetur. Si quæ etiam occurrant loca noſtrorum favenia atque illuſtrantia; tanto facilior erit in animos ingreſſus. Vale. *Dabam Guelferbyti* 5. *Nov.* 1698.

P. S. Domino *D. Schmidio* jam alterum exemplum mitto ſchedæ latinæ nonnihil interpolatum & mutatum a priore, petens, ut mihi poſt octiduum remitteret, priore ex hoc ſuppleto, & aliquando cum judicio veſtro ad me itidem redituro. Is tecum novam ſchedam communicabit, & tu cum illo priorem.

EPISTOLA XX.

Status controverſiæ inter Lutheranos & Reformatos in negotio Electionis.

PErplacent, quæ ad ſcriptum de abſoluto decreto, expendam tamen ampliùs cum cura & ſtudio. Interim ut hoc addam in negotio Electionis, non jam videtur primaria difficultas in eo eſſe, an Deus decernat ſalvare quos fidem vivam finalem præſcit habituros, ſed præterea in ipſo decreto conferendæ gratiæ, ex qua naſcitur talis fides. Neque enim ad eam ex ſolis viribus humanis devenitur, quum ſit donum Dei, ſed opus eſt tum gratia interna, tum gratia, ut ſic dicam, externa, i. e. occaſionibus & circumſtantiis, quibus mentes hominum ad bona vel mala, ſalvo licèt libero arbitrio, plurimum inclinantur. Duæ ergo, ni fallor, hic naſcuntur quæſtiones. Una an Deus æqualem omnibus det gratiam internam, quod Reformati & Janſeniſtæ atque etiam Thomiſtæ negant, alii verò paſſim affirmare videntur; altera quoniam negari non poteſt, gratias externas i. e. circumſtantias favorabiles eſſe inæquales, quid Deum moveat, ut hos præ aliis in circumſtantiis talibus collocare decernat, ex quibus cum libero arbitrio & gratia interna conjunctis, in uno fidem & ſalutem naſcituram prævideat, in aliis ſecus. Hic alii ſimpliciter dicunt rationem, quæ Deum hic moveat eſſe juſtiſſimam, quæcunque ea ſit, alii amplius procedentes, putant Deum eos collocare in favorabilioribus circumſtantiis, quos per ſcientiam mediam vel ſimilem prævidet eis meliùs uſuros. Hæ ergo duæ quæſtiones, una de æqualitate gratiæ internæ, altera de inæqua-

litatis gratiæ (ſaltem externæ) motivo vel cauſa impulſiva, revera, ni fallor, divortium faciunt inter partes, ſed, ut mihi videtur, minimè fundamentale, quum agatur de modo operandi Spiritus divini, deque arcanis Dei conſiliis (*n*). Hæc fortaſſe merentur expendi accuratius, libenterque de iis mentem veſtram intelligam, quemadmodum & de cæteris in noviſſi-

(*n*) Nemo vocat in dubium Reformatorum doctorum ſententiam eſſe; DEUM patrem non omnes ſed quoſdam tantùm homines velle ſalvari; CHRISTUM JESUM non pro omnibus hominibus eſſe mortuum, ſed tantùm pro quibuſdam ex incognitis rationibus, ut *Calvinus* dicit, vel ex abſoluto quodam decreto ad beatitatem æternam deſtinatis; Spiritum S. unicè hos ipſos electos gratia ſua velle convertere, qui quidem neque Spiritui S. reſiſtere, neque beatitate æterna illis deſtinata queant privari. Et negari nequit, quòd hæc ipſa doctrina, ſi in ſe ſpectetur, non poſſit non vel ad deſperationem, vel ad ſecuritatem, quam vocant, carnalem omnes, qui eam profitentur, ducere. *Quodſi enim* DEUS, verbis utor Formulæ Concordiæ p. 800. *electos ſuos ad vitam æternam prædeſtinavit; electio autem* DEI *errare non poteſt: neque eam quiſquam impedire aut mutare valet; conſequens eſt; quodſi ad vitam æternam ſum electus, nihil ſaluti meæ deceſſet, etiamſi abſque omni pœnitentia omnis generis ſcelera atque flagitia deſignavero, verbum & ſacramenta contempſero: neque unquam de pœnitentia, fide, precibus aut pietate cogitavero.* Conf. *Leibnitius* in cauſſa DEI §. CXXXI.

Licèt autem hæc conſequentia rectiſſimè ſeſe habeat; & ad oſtendendam Reformatæ doctrinæ falſitatem utique faciat, non tamen poſſunt hæ ipſæ ſequelæ Reformatis Doctoribus tribui, ac ſi illas ſuas facerent. Conſtat enim ſæpenumero uſu venire, ut aliquis antecedens defendat & conſequens neget. Ad ipſum *B. Martinum Lutherum* provoco, qui ut ipſemet in commentario de Conciliis Tom. VII. *Altenb.* p. 271. profitetur, ſub initium Reformationis ruitus eſt; nos unicè per fidem in JESUM CHRISTUM ſalvari, & tamen uno eodemque tempore varias ſuperſtitiones Pontificias huic veritati adverſus propugnavit.

Et ſanè ſæpenumero teſtati ſunt Reformati Doctores ſeſe ab his conſequentiis quàm maximè alienos eſſe. Proinde injurii in illos eſſemus, ſi tueremur, eos ſupra recenſitas concluſiones ſuas facere. Huc accedit quod in ſcriptis atque concionibus omnes ad vitam emendandam & ad pœnitentiam ſedulò hortantur. Etenim præter doctrinam de abſoluto decreto ſupra expoſitam & id defendunt: a priori nemini uni innoteſcere, utrum ſit ad ſalutem prædeſtinatus? a poſteriori hoc tantùm conſtare. Conſequens igitur eſſe omnes oportere de pœnitentia agenda ſedulò eſſe ſollicitos. Certum enim, omnes electos debere peccatorum ſuorum pœnitere, in JESUM CHRISTUM credere, & vitæ ſanctæ ſtudere.

Neque etiam eſt, quod dicamus, neminem unum, qui ſupra expoſitam de prædeſtinatione doctrinam defendit, poſſe ſolatium ex illa reportare. Ex rei veritate Theologus doctiſſimus *B. Michael Foerſchius* in oratione *de moderatione in controverſiis cum Reformatis comparate ad Pontificios* Ienæ 1721. edita lit. B. 4. & C. *Quum verò*, inquit, *ſententia illa Calviniana non ita ſit comparata, ut ſimpliciter impediat ſalutaris fidei conceptum, ſed modus adhuc ſuperſit, quo Spiritus S. eam in cordibus operari queat; nefas foret eis fidem ſpemque ſalutis omnino denegare, ob diſſenſum, qui in fundo concernit modum operandi Spiritus Sancti.* Videlicet, ut & hoc addam, modò quis Reformatus Doctoris ſui præceptis morem gerat; Operationi Spiritus S. malitioſè non repugnabit, pœnitentiam aget, atque in JESUM CHRISTUM credet. Atque ſic utique ſe ſolari poterit dogmate ſuo de particulari gratia. Ita enim rectiſſimè argumentabitur: Quicunque in JESUM credit eſt in ſtatu gratiæ; Atqui ego in JESUM credo; Ergo ſum in ſtatu gratiæ.

Quæ hactenus diſputavi eo conſilio protuli, ut oſtendam, defendi utique & poſſe

&

noviſſimo ſcripto contentis. Pro præclaro munere ſyſtematis Theologici Domini Parentis Tui piæ memoriæ gratias ago maximas, ut & pro communicato libro *Andradii*, qui ad vos redibit. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Guelferbyti 9. Novembr. 1698.*

EPISTO-

& debere *Leibnitium*, qui hac ipſa epiſtola profitetur minimè fundamentalem eſſe errorem Reformatorum de abſoluto decreto ſententiam, ſi quidem fundamentalis error appelletur, qui fidem non poteſt non evertere & actu ſemper evertit. At enimverò ubi de unione inter Reformatos & Lutheranos ſtabilienda ſermo eſt; non ſufficit probaſſe Reformatos Doctores non fovere errores, qui ſemper fidem ſubruunt. Veritatis ſtudio ductus non poſſum non accedere virorum ſummorum *B. Jo. Franc. Buddei* & *Jo. Georgii Walchii* ſententiæ, qui in *introductione in præcipuas religionis controverſias* tuentur ſæpenumero evenire, ut error aliquis non quidem apud omnes ſit fundamentalis, quibuſdam tamen aditum ad beatitatem præcludat. Et huc errorem de prædeſtinatione etiam refero. Eo enim ſenſu Reformatorum de abſoluto decreto doctrina inter errores fundamentales referenda eſt, quòd fidem ſubruere poſſit. Ipſa enim hæc doctrina continet rationes, cur multi in CHRISTUM JESUM non credant, & licèt non omnibus, qui eam profitentur, quibuſdam tamen viam ad felicitatem æternam duraturam obſtruit. Quis ignorat homines ad malum quàm ad bonum eſſe propenſiores? Quum igitur ex doctrina de abſoluto decreto ſequatur, perinde eſſe qua ratione vivas; doctrina autem de incerta prædeſtinatione argumenta ſuppeditet, cur pœnitentiæ agendæ ſtudendum ſit: nonne probabile eſt, plures, ipſius doctrinæ de abſoluto decreto culpa, moveri, ut diſſolutè vivant, quàm ut verbo DEI convenienter viam ſuam inſtituant? Rectiſſimè obſervavit *Leibnitius* in præfat. Theod. ſuæ præmiſſa; multos Chriſtianos, illos etiam, qui abſolutum decretum non defendunt, nonnunquam vitam agere ac ſi fatum aliquod ſtatuerent; præſertim ubi res difficilis eſt ſuſcipienda & facinus perpetrandum, cujus felix eventus vel dubius eſt vel admodum remotus. Quæ quidem perverſa agendi ratio pigritiæ hominum ſit adſcribenda, & ſophiſmati, quod veteres pigrum appellarunt. Nonne in iis caſibus multo magis ejuſmodi vivendi ratio ab illis exſpectari poterit, qui abſolutum decretum data opera defendunt?

Veræ etiam ſolidæque conſolationis apud multos abſolutum prædeſtinationis decretum impatiens eſt; licèt, quod ſuprà probavi, in ſyſtemate Reformatorum & conjunctione cum aliis præſtantiſſimis veritatibus, quos Reformati defendunt, omnem conſolationem non excludat. Vir quidem clariſſimus *Jo. Jac. Hottingerus* in ſingulari diſſ. Eſſlingæ 1723. recuſa tuitus eſt *Conſolationem Evangelicam in tentationibus ſolidiorem ex particulari quam ex univerſali gratia hauriri.* Sed rectius vir ſummus *Samuel Pufendorfius* in *jure feciali divino*, §. 68. p. 254. *Quamdiu liquidus ſenſus fidei in eo, qui particularitatis dogmate imbutus eſt, deprehenditur, eo ſe ſolari poteſt: aſt iſto vi tentationum intercepto, unde tunc ſolatium petendum?* Qui univerſalem gratiam propugnant reſpondebunt; *per* DEUM *non ſtare, quo minus nos & omnes in ſtatu gratiæ ſimus, noſque certò recipiendos in gratiam, modò eam oblatam contumaciter non reſpuamus.* Conf. Theologi doctiſſimi *B. Gottlieb Wernſdorfii* diſſertatio *de abſoluto decreto ſolidæ conſolationis impatiente.* Vitemb. 1726. habita §. XXXVI. p. 52. Qui verò particularem defendunt gratiam, quomodo ejuſmodi tentatum conſolari queant equidem, fateor, non intelligo. Dicendo: ante obitum neminem ſcire poſſe an ſit reprobus? aliquem quidem ſcrupulum tentato eximent; ſed ad ſolidam conſolationem hoc ipſum non ſufficit.

Optimè igitur ſcie habent, quæ in *Formula Concordiæ* p. 800. dicuntur: *Ex opinione enim hac* (de abſoluto decreto) MULTI *abſurdas, periculoſas & pernicioſas cogitationes hauriunt: quæ aut ſecuritatem & impœnitentiam,*

EPISTOLA XXI.

I. De Leibnitii *de corporis præſentia opinione. II. De ordine decretorum controverſia cujus momenti? III. De* Guilielmi Forbeſii *conſiderat. controverſiarum.*

I. GAudeo tentamen meum vobis non diſplicuiſſe, præſertimque eam partem, quæ de corporis natura & præſentia (*o*) tractat, utilem viſam. Circumſpiciendum jam de locis faventibus Reformatorum.

II. *Spanhemius* junior (*p*) & *Pictetus* (*q*) mihi videntur juſto acriùs loqui, quod ad abſolutum decretum attinet, putavi diſputationem de ordine decretorum poſſe ſeponi, quum nec in ea verum momentum mihi videatur ſitum, nec ſatis referat dicere, decretum eſſe Deo ſalvare quos aut quia ſcit fidem habituros, ſi de alio decreto quæſtio ſuperſit dandi fidem (quæ & ipſa Dei donum eſt) aut potiùs dandi omnia, ad fidem habendam requiſita extra ipſam hominis libertatem poſita, interna & externa ad voluntatem intellectumque conferentia; quemadmodum & in nuperis meis dixi. Ubi ſanè jam non ampliùs fides prævisa in conſiderationem venire poteſt, ſed aliæ rationes, quæcunque illæ ſint demum. Paradoxa tua Theologica magnæ ſunt utilitatis ad conciliandos animos, & optandum ea porrò continuari.

III. Legiſtine aliquando *Guilielmum Forbeſium* Anglum; *Guilielmum*, inquam, non *Joannem*, cujus extat inſtructio Hiſt. Theologica? *Guilielmus* ille controverſias magna cum moderatione & doctrina tractavit (*r*). Ejus librum non magnum vidi ante multos annos apud Baronem *Boineburgium*; ab eo tempore mihi non occurrit. Vale. *Dabam Hanov. 25. Novembr. 1698.*

EPISTO-

nitentiam, aut anguſtias & deſperationem in mentibus hominum gignunt & confirmant. Quæ quidem quum ita ſint, ſatis diſpicere non queo, qua ratione aliqua concordia & unio, ſecundùm quam perinde eſt ſive Lutheranus ſive Reformatus doctor doceat, inter Lutheranas & Reformatas Eccleſias ſperari poſſit, quamdiu hæ ſive harum aliquæ dogma de abſoluto decreto propugnare non deſinunt. Quis enim jure poterit defendere, unum ac idem eſſe, ſive doctrina periculi plena proponatur, ſive doctrina doceatur, quæ non ſolùm omni periculo caret; ſed & veriſſima eſt atque ſolatii pleniſſima?

(*o*) Conf. Epiſtolam XXII.

(*p*) *Spanhemius* junior in *Elencho controverſ. cum Lutheranis* p. 368. ſeq. *Datur*, inquit, *decretum prædamnationis divinæ, independens a cauſſa extra* DEUM *cujuſque beneplacitum, quo* DEUS *ſtatuit, multorum non miſereri ad ſalutem, ſed illis negare gratiam ſalutarem.*

(*q*) *Pictetus* in Theologia Chriſtiana p. 651. ſeq. *Non mirum eſt*, inquit, *ſi* DEUS *Evangelium promulgari patiatur reprobis, quibus fidem dare non vult.* DEUS *ſalutem reproborum minimè intendit. K. N.*

(*r*) *Guilielmi Forbeſii* Edinburgenſ. in Scotia Epiſcopi *Conſiderationes controverſiarum Io. Fabricius* Helmſtadii 1704. in 8. recudi curavit, iisque *compendium regulæ fidei catholicæ Veronianæ, ad oſtendendum, quæ ſint, quæve non ſint de fide catholica attexuit.* Idem *Guil. Forbeſii* vitam in Hiſtoria Bibliothecæ ſuæ P. IV. p. 446. recenſuit. *K. N.*

EPISTOLA XXII.

I. Fabricii *laus. II. De abſoluto decreto. III. De ſacra cœna quænam* Calvini *ſententia? IV. De numo nuptiis Regis Roman. & Ducis Brunſvicenſis à* Leibnitio *dicato.*

I. LIteras tuas gratiſſimas, ſed cum faſciculo accepi, in quo pudorem meum gravas, dum ea, quæ feci ex officio, muneribus demereri inſtituis. Ego verò dum tuam cauſam egi, egi Principum, egi Academiæ, quibus te ſervare magis ipſorum intereſſe mihi viſum eſt, quam tua; ut adeo vix gratiæ a te mihi debeantur, munera autem nullo modo. Sereniſſimis Ducibus fratribus ambobus ut quàm maturrimè ſcribas cenſeo. Ubi ſub aſpectum deinde venies, poteris repetere gratiarum actionem. Ego apud noſtros hodie manere pergam, ut ne ab ipſorum parte mora ſit. Niſi fortè jam expedita res eſt. Titulum Conſiliarii Eccleſiaſtici Guelferbytani lubentiſſimè conceſſuros puto, quum & mereearis omni ratione, & nullo id fiat illorum incommodo. Decretum expectationis fortè non tam facilè expeditum erit. Interea danda eſt opera, ut res magis magiſque certa reddatur.

II. *Guilielmi Forbeſii* a multis annis non conſpectum videre apud Dominum Abbatem, cui miſiſti, jucundum erit. Optima ſunt, quæ de Abſoluto Decreto vel gratia, electionis cauſa, & ſimilibus mones, unde appareat, nec noſtrates in rebus tam profundis ſatis convenire; multoque minùs, ut cum aliis conveniant, opus eſſe; modò practica ſalva maneant, & forma ſanorum verborum ſervetur. Quod Domino *Heinſonio* favit ordo veſter, mihi pergratum eſt, tum ipſius, tum Principis cauſa, cujus quum ſit Superintendens Generalis & Concionator Aulicus, honori etiam Domini id datum intelligi poteſt. Fuere, qui initio ipſi non optimè cuperent, quòd præjudiciis contra eum occupati eſſent, ſed eos jam mitigatos puto. Omnino præclarum eſt inſtitutum tuum colligendi loca autorum faventia conciliationi. Nihil poteſt fieri ad rem irenicam aptius.

III. Ego inprimis cogitavi, qua ratione fieri queat, ut in negotio S. Cœnæ appareat, Reformatos noſtris propiores eſſe, quàm vulgò putantur. Vidi autem re bene perpenſa, ſi modo *Calvini* doctrinæ in hoc articulo inſiſtant, rem habendam pro confecta. Nam non tantùm inſtitutionum ejus caput huc pertinens, ſed & varia alia ejus ſcripta percurri, atque excerpſi, ex quibus apparet, eum ſeriò, conſtanter, acriter urſiſſe realem ac ſubſtantialem perceptionem corporis & ſanguinis Chriſti, & quod præſentiam realem negavit, non de alia intelligendum, quàm de dimenſionali, qua utique Chriſtus ſalva humana vel corporis natura in cœna eſſe non poteſt. Quòd ſi ille intellexiſſet, quod a me expoſitum meminiſti, ſubſtantiam corporis in potentia primitiva activa paſſivaque conſiſtere, &

in hujus applicatione immediata conſiſtere præſentiam ſubſtantiæ, etiam citra dimenſiones; non ſcripſiſſet, quod B. *Calixtus* imprimis in Conſid. Colloquii Torunienſis, & alibi improbavit, tantum a nobis abeſſe corpus Chriſti, quantum cœlum a terra, illud diſplicet, quod nonnulli Reformati hodie magis ex *Zuinglii*, quàm *Calvini* ſententia loqui videntur: ſed fortaſſe, re accuratiùs examinata, redibunt ad meliora (*s*). Certè confeſſio Anglicana prorſus eſt ad *Calvini* mentem.

IV. Numi pulcherrimi Noribergenſes admonent me cogitationis, quam nuper habui de Medallionis aliquo Noribergæ formando prototypo, occaſione matrimonii inter Regem Romanorum & Principem *Amaliam* Brunſvicenſem, & (ſi tibi audeo hoc faceſſere negotium) putem ope tua poſſe hominem

(*s*) *Calvinus* in *inſtitutione religionis Chriſtianæ* cap. XII. de Cœna Domini ſæpenumero veram corporis & ſanguinis CHRISTI in ſacra Cœna perceptionem admittit. Ita v. g. p. 330. edit. quæ Argentorati 1539. in fol. prodiit; & quid de modo, quo quis in ſacra cœna corporis & ſanguinis CHRISTI particeps fiat, ſentiat p. 330. exponit.

Ex iis quæ indicavi *Calvini* locis manifeſtum eſſe videtur, eum veriſſimam corporis & ſanguinis CHRISTI in ſacra cœna præſentiam unà cum *Lutheri* diſcipulis defendere. At enimverò modò accuratiùs ejus verba penſitentur, quoad omnia illi cum Lutheranis in articulo de ſacra cœna non convenit. Conf. celeberrimi *Sal. Ern. Cypriani* Tom. II. *Commonitorii de pace Proteſtantium Eccleſ.* Germanicè edit. p. 293. n. XXIX. ubi *Schallingii* ad *Calvinum* epiſtolam ex autographo editam reperias. Atque ita etiam ſeſe res habet. Impios verè carnem & ſanguinem CHRISTI in ſacra cœna ſumere negat. *Jo. Calvinus* p. 334. & 335. *Talem*, inquit, *corporis & ſanguinis ſui communicationem Dominus in ſacra cœna teſtificatur, adeoque offert & exhibet omnibus, qui ad ſpirituale illud epulum accumbunt; quamquam a fidelibus ſolis percipitur, qui tantam benignitatem, qua decet, fide animique gratitudine ſuſcipiunt.* Idem p. 334. tuetur contradictionem involvere uno eodemque tempore in cœlo atque in ſacra cœna ſubſtantiali præſentia corpus & ſanguinem CHRISTI adeſſe poſſe. *Neque tamen*, inquit, *talis formanda nobis eſt* (fidelium cum carne & ſanguine Domini communio) *qualem in ſcholis craſſiores ſophiſtæ conſinxerunt: ac ſi locali præſentia corpus* CHRISTI *manibus attrectandum, atterendum dentibus, ore deglutiendum ſiſteretur. Siquidem ut finitum eſſe, pro perpetua corporis humani ratione, minimè ambigimus cœloque contineri, quo ſemel receptum eſt, donec ad judicium redeat: ita ſub hæc corruptibilia elementa retrahere ipſum, aut ubique præſens imaginari nefas eſſe ducimus.*

Quemadmodum vero Lutherani dimenſionalem corporis CHRISTI in ſacra cœna præſentiam nullo modo defendunt; ſic *Leibnitius*, qui realem corporis & ſanguinis CHRISTI in ſacramento Euchariſtiæ præſentiam piè, quemadmodum decet, credidit, ex inſtituto probare annixus eſt, contradictionem non involvere corpus CHRISTI finitum cœlo contineri atque in ſacra cœna ſacramentali unione eſſe præſens. In *diſcurſu de conſenſu rationis & fidei* Theodicææ præmiſſo §. XX. tuetur propterea dici cum ratione nondum poſſe, realem corporis CHRISTI in pluribus locis præſentiam contradictionem involvere, quia huc uſque nondum ſatis explicatum ſit, in quo eſſentia corporis conſiſtat. Reverendiſſimo quidem Cancellario C. M. *Pfaffio* hoc argumentum *Leibnitii* non ſatisfacit: In diſſertationis enim *de contradictoriis num propriè loquendo credi poſſint epimetro* p. 20. *nimium*, inquit, *maximè quod rationem ex eſſentia corporis nobis incognita petitam concernit, affirmare videtur, quum ex hoc viri ſummi ratiocinio prono nexu id, quod tamen numquam in animum ſuum*

in-

hominem operi aptum haberi, cunctaque transigi commodissimè. Scripsi jam Mutinam, ut inde obtineam delineationem seu icona Principis Sponsæ aptam numo. Puto igitur rem sic posse institui, ut ab una parte conspiciantur Rex & Regina, ab altera parte Aquila & Leo, insignia utriusque, & coram ara cum igne, quasi in fœdus, supra autem; REGALI FOEDERE. Sunt enim hæc animalia Regia ad aram acclinata utrinque serta insignium. A tergo Aquilæ erunt variæ aves, & similiter post Leonem varia animalia, sed omnia exigua & ex longinquo, ut magis appareat, quæ indicatur, Regia dignitas. De ipso Rege & Regina hoc non inelegans occurrit, & novum, ut unius pectori alterius imaguncula applicita appareat, quo expressior & agnoscibilior, eo magis futura laudi, & hæc non ampliùs ex obliquo (*en profil*), sed ex adverso (*de front.*)

Inducturum fuisse eumdem credimus, sequatur, nec pronuntiari hactenus, donec quid essentia corporis sit definiatur, posse, num contradictionem implicet, quod S. Antonius de Padua *Romæ & Ulyssipone eodem tempore prædicaverit? &c.* At enimverò quum *Leibnitius* cum omnibus Lutheranis neget in sacra cœna dimensionalem esse corporis CHRISTI præsentiam, adeoque diverso modo corpus CHRISTI in cœlo & in sacra cœna præsens esse defendat; *Antonius* autem *de Padua* & Romæ & Ulyssipone eodem tempore dimensionaliter præsens fuisse dicatur; manifestum est de ipsius *Leibnitii* sententia ejus argumentum sequentem in modum limitari debere: ubi diverso modo, cujus alter modus incognitus est, corpus in diversis locis præsens esse dicitur; contradictio nequit ostendi, quamdiu essentia corporis satis cognita non est.

In hac ipsa, in quam commentor, epistola *Leibnitius* ulterius progreditur, & statuit unique possibile esse, quòd corpus ratione substantiæ præsens sit, licèt non præsens sit dimensionaliter. Argumentum ejus ita se habet: Si ad præsentiam substantiæ corporis requiritur potentiæ activæ passivæque applicatio; præsentia dimensionalis ad eam non necessariò requiritur. Atqui. E. Majorem propositionem suppositis *Leibnitii* Principiis, rectè se habere vel exemplo solis constat. Agere dicitur id, quod in se continet rationem mutationis alterius. Sol igitur agit in homines quos illuminat. Continet enim in se rationem, quare illuminatio evenit. Interim tamen nemo dixerit dimensionaliter solem omnibus illis esse præsentem quos illuminat. Ad minorem quod attinet r.) substantiam corporis ejus potentiam primitivam activam passivamque dicit *Leibnitius*, quòd ea ipsa potentia continet rationem omnium, quæ in corpore evenire possunt. Nulla mutatio in corpore evenire potest, nisi mediante motu. Quemadmodum autem e potentia activa corporis intelligitur, quinam motus in corpore sint possibiles; sic e potentia passiva perspicitur, cur tales potiùs motus sint possibiles quàm alii? conf. *Leibnitius* in Actis Erudit. 1688. p. 432. seq. & vir summus *Christianus Wolfius* Ontolog. lat. §. 771. & 294. 2) ex inductione exemplorum manifestum est, quòd ubi res aliqua, quocunque nomine veniat, in nos agit, aut a nobis patitur ratione substantiæ nobis præsens dicatur. Quòd enim nonnulli scholasticis verbis assueti sibi fingunt certum aliquod receptaculum existens, in quo res esse debeant præsentes, notionem deceptricem esse solidè *Leibnitius* docuit, in epistola V. ad *Clarckium* T. II. *Recueil de diverses pièces par Mr.* Leibniz *&c.* p. 157. §. LXII. sq. conf. celeberr. *J. Th. Cantzius*, qui in Commentario *de philosophiæ Leibnitianæ & Wolfianæ usu in Theologia* cap. VII. p. 309. seqq. egregiè docuit, quid de omnipræsentia humanæ CHRISTI naturæ atque præsentia corporis & sanguinis ejus sacramentali de sententia *Leibnitii* dici debeat. *Kortholti nota.*

Porrò quum nihil hoc in numo lucri quæram, ſed tantùm aliquot medalliones habere velim, quos Regi & Reginæ & proximis curem offerri, putem artificem, cui libertas manebit, utendi alibi prototypo, non tantùm nihil eo nomine poſtulaturum, ſed & gratam inventionem habiturum; præſertim quum ſumtus faciam, ut iconas habeamus. De Rege tamen non ſum ſollicitus. Ejus utramque repræſentationem fidelem obliquam & directam jam haberi facilè Noribergæ putem. De Regina igitur cura mea erit; Audeo igitur petere, ut, ſi vacat, per amicos rem Noribergæ confici cures. Artifex mittet nobis ante omnia delineationem averſæ partis, ut monere liceat, quæ in rem videbuntur. Nec dubium eſt ipſum, ut exercitatum in iſtis inventis, facile aliquid additurum. Vale & ignoſce libertati huic, qua non uterer, ſi aliam commodiorem rei conficiendæ rationem viderem. Beneficium ſemper agnoſcam ut debeo. Vale. *Dabam Hanoveræ 6. Decembr.* 1698.

P. S. Ne in artificis manu ſit fallere nos præveniendo, ut ſunt quidam lucri cupidi, ſpero amicos tuos cauturos, tum ſtipulando ab ipſo ſponſis ambobus & proximis eorum non oblaturum eſſe directè vel indirectè aut tranſmiſſurum, niſi meo conſenſu; ſed nec diſtributurum cuiquam ectypos, antequam mei potuerint eſſe oblati; tum non omnia ſtatim aperienda, poterant enim, quamdiu licet, diſſimulari tum (*il motto*) Epiphonema: REGALI FOEDERE: tum etiam quod de imagunculis dixi.

EPISTOLA XXIII.

I. Calvini *de ſacra cœna ſententia. II. Cum Abbate* Molano *ſcriptum de abſoluto decreto communicatur.*

I. NOn dubium eſt, medallionem moduli non minimi eſſe debere, nempe medium in iſtis tenendum eſt, ut tanta ſit magnitudo, quanta ſufficit, ne exiguus videatur. *Calvinus* ſe optimè explicat, oſtenditque perceptionem a ſe non intelligi imaginariam, quali Romæ ſumus, ſed ſubſtantiæ ipſius. Fidem autem requirit, ut conditionem, unde non agnoſcit perceptionem indignorum, in quo re vera diſcrimen a noſtris manet. Cæterum etiam nos magis ore, quàm oraliter, dentaliter, gutturaliter percipi ſtatuimus. Nempe quia non aliam ponimus conditionem, quàm perceptionem elementi ore factam. Cæterùm valde ago gratias, quòd petitioni meæ benevolè deferre, & quod deſideraveram amico Noribergenſi mandare voluiſti, quem non dubito, quin pro tua prudentia inſtruxeris. Vale & fave. *Dabam Hanov.* 27. *Dec.* 1698.

P. S. II. Domino Abbati Luccenſi jam velut acceptum communico ſcriptum breve Germanicum, de abſoluto decreto, ſimulque ei ſignifico, me vobis copiam ejus miſiſſe, ut poſitis ſententiam veſtram ad me perſcribere, poſt aliquot deinde dies mittam ei ſcriptum, jam a te mihi tranſmiſſum, tanquam

quam recens acceptum. Hoc ſignifico neſcius ne ſis. Nam quædam impediere, quo minus Domino Abbati iſta priùs communicarem. Deum precor, ut in hoc anno novo imminente multos alios felices inchoes.

EPISTOLA XXIV.

De orali in ſacra cœna manducatione.

NEſcio quomodo oblitus ſum tibi ſignificare iter meum Guelferbytanum, ob vias pluviis & ſolutis nivibus mirè corruptas, fuiſſe dilatum. Orali manducatione commodus ſenſus aſſignari poteſt, ut orale non ſignificet modum, ſed conditionem, hoc eſt, ut oris actus ſufficiat ad perceptionem rei cœleſtis. Sed præſtaret tamen dicere ore factam, quàm oralem, quia hoc adjectivum ſua natura modum indicat. A cujus diſquiſitione abſtinendum eſſe prudentiſſimè monent. Pro votis in annum novum a te benevolentiſſimè pro me conceptis gratias ago debitas, & mea repeto, ut te Deus diu Eccleſiæ bono, & amicorum voluptati ſervet. *Dabam Hanov.* 13. *Januar.* 1699.

EPISTOLA XXV.

I. Fabricio *Conſiliarii Eccleſ. deſtinatur honos.* II. Donaveri *deſiderantur ſpecimina.* III. Leibnitius *Bibliothecæ Guelph. non vult dici Director.*

I. APud Sereniſſimum Ducem *Antonium Ulricum* paucis tetigi occaſione data quàm mihi dignum & æquum videatur, honorem Conſiliarii Eccleſiaſtici tibi conferri, & expectationem illam ulteriorem certam reddi, quod non illubenter viſus eſt audiſſe, & ſpero omnia rectè proceſſura. Auguror ſcriptum ideo nondum remiſſum, quia diligentiùs legere & expendere vobis placuit, quod ſane optimè factum cenſeo. Nam in rebus hujus momenti cura opus eſt, interim cum ſententia a vobis junctim danda exſpectabo.

II. De Domino *Donavero* quod ſcribis pergratum eſt, libenterque videbo ſpecimina ab ipſo, ut data aliquando occaſione commendare virum poſſim. Vellem noſſe an & praxis forenſis ſimul uſum habeat ac trituram, id enim aliqui reſpiciendum cenſent non immeritò, ob reſponſa danda. Literas tui amici remitto, vobisque ambobus debeo gratias, conditione oblata præſtat non uti, & noſtri de aliquo Medallione pro Regina ex ſuggeſtione mea cogitant.

III. Neſcio an jam ſcripſerim: malle me, ne mei fiat mentio, quum de *Guelferbytana* Bibliotheca agetur, neque enim niſi eminus ejus aliquam curam gero. Nec qui fiunt judices ſuaſu meo adhuc ſunt tanti ut memorentur. Vale & fave. *Dabam Brunſvigæ* 14. *Februar.* 1699.

EPISTOLA XXVI.

De Donaveri *dissertationibus juridicis.*

MUltas debeo gratias & pro missis & pro oblatis. Domini *Donaveri* dissertationes Juridicæ non videntur contemnendæ, faceresque pro benevolentia tua, ut aliquando plura de eo intelligamus. Vellem demereri posse, quæ pergrata quidem, sed non ita temere semper acceptanda mihi transmittis. Scriptum cum vestra sententia recipiam, ubi commodum erit, Dn. enim *D. Schmidius* nunc videtur occupatior. Quod supereſt, vale & fave. *Dabam Hanov. 3. Mart. 1699.*

EPISTOLA XXVII.

Judicium de scripto quodam irenico.

SCriptum Germanicum, quod apud vos manserat, examinandum recepi, missu, ut puto, Dn. *D. Schmidii*; sed nulla ab ipso adjecta epistola, ob valetudinem imminutam. De quo doleo, rogoque hortari virum præclarum velis, temperet sibi nonnihil a studiorum laboribus, idemque tibi dictum putes. Cæterùm, quoniam jussu Ministrorum Statús & rogatu Dn. Abbatis hæc vobis comunicata sunt, eo animo, ut vestra habeatur sententia; nec verò quidquam adjectum apparuit præter notulas quasdam tuas; rogo, quo habeam quod ad eos referam, quorum egi negotium, ut scripturam mihi mittatis aliquam brevem, judicium vestrum complexam & ab utroque vestrum subscriptam. Quod supereſt, vale faveque. *Dabam Hanov. 24. Mart. 1699.*

JUDICIUM THEOLOGORUM HELMSTAD.

Judicium de Germanico scripto, cui titulus: *Kurtze Vorstellung der Einigkeit und des Unterscheides im Glauben bey der Protestirenden, nemlich Evangelischen und Reformirten Kirchen &c.* quanta poteramus, ac debebamus, cum diligentia perlegimus, atque expendimus. Visum autem id nobis est pium, orthodoxum, accuratum, solidum, moderatum, ac ad pacis concordiæque ecclesiasticæ scopum omnino faciens. Non præjudicatur in eo nostræ causæ, sed nec dissentientibus via concordiæ ullo modo difficilis redditur. Cumprimis nobis placuit elegans, nec alibi ferè occurrens explicatio de Deo abscondito *Lutheri*, & præsentia corporis Christi in S. Cœna, ne quidem naturam corporis evertente. Itaque non dubitamus, prædictum judicium utroque, quod in proverbio dicitur, pollice adprobare, eique manu propria subscribere. Deum pacis rogantes, ut salutare propositum,

in

in Eccleſiæ ſuæ commodum & tranquillitatem felix fortunatumque eſſe jubeat. *Helmſtadii, in Academia Julia XXVI. Mart.* 1699.

Jo. FABRICIUS D.
Jo. A. SCHMIDT D.

EPISTOLA XXVIII.

I. Hippolytus a Lapide *quis?* II. Placcius *obiit.*

I. SI *Boguſlai Chemnitii* nomen fictum dixi, haud dubiè dixi malè. Verum *Hippolyti a Lapide* auctorem alii hunc *Chemnitium* faciunt, alii *Dranſæum*, alii *Camerarium*, alii alios; Certi, quod ſciam, nil habemus. Et fortaſſe nec Sueci hodierni dare poſſent. De Benbellonæ ſuſcitabulo nunc non habeo quod dicam, olim fortaſſe habuiſſem. Sed mihi talia pleraque dudum animo ſunt elapſa, rebus poſtea magis quàm perſonis intento.

II. *Placcium* obiiſſe doleo, vereorque, ne ita protrahatur eorum editio, quæ non contemnenda opera affecta habuit. Quod ſupereſt, vale, faveque. *Dabam Guelferbyti* 14. *Apr.* 1699.

EPISTOLA XXIX.

I. Bartholdus Schwartz *num Goslariæ egit?* II. *Negotii irenici ſtatus.*

I. SI quando Altorfium ſcribes ad amicum, rogo ut inquiras (me tamen non nominato) unde habeat Dominus *Wagenſeilius*, quod alicubi in Pera ſua ait, *Bartholdum Schwartz* inventorem pulveris pyrii Goslariæ egiſſe?

II. Negotium irenicum, de quo ſcribis, mihi hactenus nec proceſſiſſe, nec retroiiſſe videtur, ſed ſtare adhuc & velut nutare, indigum aliquo ab aulis flatu. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Guelferbyti* 11. *Aug.* 1699.

EPISTOLA XXX.

I. Leibnitius *refutationibus non delectatur.* II. Donaveri *cauſſam agit.*

I. DOmini *Hoſemanni* ſcriptum contra *Clericum* & *Hardtium* noſtrum non vidi. Non admodum refutationes quærere aut legere ſoleo, & de rebus hujuſmodi ſuſpendo judicium.

II. De *Donavero* ſuo tempore meritò cogitari poterit, ſed tecum vereor, ut apud nos invenire poſſit, quibus cum fructu penſentur, quæ illic habet. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 9. *Jun.* 1699.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXXI.

Latinæ interpretationis hiſtoriæ Concilii Tridentini auctor quis?

MEmimi a te quæſitum aliquando, quis autor Latinæ verſionis Hiſtoriæ Concilii Tridentini, a *Paulo Sarpio* Servita conſcriptæ? Is tunc non ſuccurrebat, nunc fortè inter antiquas meas ſchedas reperi, eum credi *Adamum Newtonum* Scotum, qui fuit Ephorus ſtudiorum Principis *Henrici*, filii primogeniti *Jacobi* Regis magnæ Britanniæ, & poſtea Decanus Sarisberienſis, idque notaſſe *Deuberum* iſtum in oratione funebri extincto *Andrea Riveto* habita, qui *Newtono* aliquando Præceptore in Gallia erat uſus. Sed credo, ſerò id jam ad te perſcribo. Prodiit enim, ut intelligo, editio Lipſienſis, quanquam nondum pervenerit ad manus meas, ut adeo ſcire non poſſim, an, qui eam curavere, nomen autoris indicarint. Quod ſupereſt, vale faveque, & incluſum reddi quæſo jube. *Dabam Hanov. 26. Jun. 1699.*

P. S. Pro præclaris exercitationibus ago gratias. Nihil a te niſi doctum, amœnum, profuturum.

EPISTOLA XXXII.

I. *De Secretione Veroniana & Walenburgiis judicium.* II. Maſenii *Concordiæ inſtitutum.*

I. LIbellus, cui titulus *Secretio*, perplacet. Vellem acceſſiſſet nomen autoris, locus impreſſionis & ſolita adprobatio, ita enim plus habiturus eſſet ponderis. Nunc erunt, qui hæc ſuppreſſa in ſuſpicionem habent, quaſi ne apud ſuos quidem ſcriptum probetur. Neque enim omnia Veroniana ſunt, ſed quædam aliunde corrogata. *Veronius* rectè fecit, dum ſecretionem in ſuis inſtituit, ſed minus rectè a noſtris exegit, ut verbotenus ſine conſequentiis omnia in ſcripturis expreſſa demonſtrarent, quæ poſtulatio meritò irriſa fuit, & a ſociis etiam deſerta. *Walenburgii* etiam plus adprobationis invenere, dum ſua quantum poſſunt commodè proponunt, quam dum in noſtros neſcio quas methodos *Veronii* exemplo diſtringunt. (*t*) Si poſſem obtinere adhuc bina exemplaria, ſed non ligata, mitterem inſignibus quibusdam Viris.

II. Illa, cujus Reverendiſſimus Dominus Abbas Werdenſis meminit, confeſſio ex verbis Scripturæ, quam Evangelicis oblatam ait, qualis ſit non

(*t*) De *Franc. Veronii* & *Walenburgiorum* ſcriptis eorumque adverſariis conf. B. *Jo. Franc. Buddeus* in Iſag. Hiſt. Theol. ad Theologiam univerſam lib. poſter. cap. VII. p. 1274. ſqq. & B. *Jo. Alb. Fabricius* in hiſtoria Bibliothecæ ſuæ P. II. p. 127. ſq.

non recordor; niſi intelligit meditatam *Maſenii* concordiam, quæ tamen, ſi rectè memini, non Francofurti, ſed Ratisbonæ producta eſt, non tamen ulla publica auctoritate. (*u*) Vale faveque. *Dabam Hanov. 29. Octobr. 1699.*

EPISTOLA XXXIII.

Leibnitii *de unione Religionis Pontificiæ cum Lutherana cogitata.*

AD cogitata Domini Abbatis Huisburgenſis in ſcheda a te conſignata hoc obſervo.

Ad I. Etſi verum ſit ſine adprobatione ſummi Pontificis nihil poſſe conſtitui a Romana parte, poſſunt tamen præliminariter tractationes haberi, & virorum doctorum ac piorum ſententiæ audiri, quemadmodum & apud nos, niſi conſenſu complurium Principum, nil fructuoſi concludi poteſt.

Ad II. Æquum deinde eſt, non tantùm, ut a noſtrorum, ſed &, ut ab ipſorum parte conſilia capiantur paci faciliori reddendæ.

Ad III. Principia conſtituenda eſſent, ex quibus agnoſceretur, quid ſit de fide vel non? Verendum etiam, ne quædam apud ipſos putentur non eſſe de fide, aut etiam divini juris, de quibus noſtri aliter ſentiant.

Ad IV. Neſcio an ideo, quod Scriptura non negat quoſdam articulos a pontificia parte propoſitos, dicere liceat, negationem eorum extra Scripturam non credendam. Rationis enim eſt affirmanti incumbere probationem, & negandum, articulum fidei eſſe, niſi qui divinitus revelatus probetur.

Ad V. Concilium Tridentinum, vel profeſſio *Pii IV.*, ſi bene memini, provocat ad unanimem conſenſum Patrum. (*x*) Is ſi haberetur, magni utique foret momenti, præſertim ſi id, quod ſentiunt, pro articulo fidei a ſe haberi oſtendant: ſed in iis, quæ inter nos controverſa ſunt, plerumque difficile eſt hunc unanimem conſenſum probare, & ſæpe antiquiores in alia omnia eunt.

(*u*) *Jac. Maſenius* Jeſuita librum, cujus index: *meditata Concordia Proteſtantium cum Catholicis in una confeſſione fidei ex ſacra Scriptura.* Coloniæ 1681. in 8. edidit. Inſtituti ejus ratio eſt, declarare, ipſius Scripturæ Sacræ teſtimoniis probari omnia illa poſſe, quæ in concilio Tridentino ſcitu credituque neceſſaria dicuntur. Non ita multo poſt autem eum hujus inſtituti pœnituit. Novam enim *praxin orthodoxæ fidei intra oclidui exercitationem ſacram diſcernendæ & amplectendæ* publici juris fecit. Ubi ex inſtituto docet ex ſola Scriptura ſacra controverſias inter Proteſtantes & Catholicos finiri non poſſe. Tutiſſimum igitur eſſe ad veteris Eccleſiæ ſententiam confugere. conf. *Buddeus* l. c. p. 1273. *K. N.*

(*x*) In profeſſione fidei Tridentinæ n. III. dicitur: *Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.*

Ad VI. Quid de cauſis Eccleſiaſticis eſſet agendum unione reddita facilè conſtitui poſſet, nam pleraque circa hanc rem in Eccleſia Romana introducta ſunt juris humani, ideoque varie ordinari poſſunt. Et conſtat, olim pro maxima parte in Imperatorum poteſtate fuiſſe, apud Proteſtantes tamen a Conſiſtoriis tractari, quæ ſunt judicia Eccleſiaſtica, etſi ſub Principis autoritate, tamen nec ſine Eccleſiæ interventu. De tractatione Gallorum in aula Moguntina circa religionis negotia nil planè mihi compertum. Potiùs itaque ſuſpicionem quàm compertam veritatem eſſe puto, quæ Domino *Jablonskio* ſunt ſcripta. Cæterùm ut Reformati ferre non poſſunt, agi cum Pontificiis, ita hi viciſſim nolunt nobis rem eſſe cum Reformatis. Dominus *Jablonskius* in ſuis ad me honorificam tui mentionem facit, cui me calculum adjicere facilè credes. Multa cogitantur & moventur in rebus iſtis, ſed pauca promoventur, quòd ſcilicet non itur recta via, & pauci eorum, qui in auctoritate ſunt, rem ſeriò tractant. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Guelferbyti* 13. *Dec.* 1699.

EPISTOLA XXXIV.

Difficilis eſt cum Eccleſia Romana concordia.

FAteor, valde difficilem eſſe cum Eccleſia Romana concordiam, ſed impoſſibilem dicere non auſim, neque enim abbreviata eſt manus Domini. Optandum eſſet, Pontificem Romanum non tantùm non exigere infallibilitatis ſuæ fidem, ſed etiam non adſtruere, imò ei renunciare diſertè. Sed hanc renunciationem ab ipſo neceſſariò exigendam eſſe, dicere itidem non auſim. De traditionibus optimè notas, ne apud Pontificios quidem intelligentes aliud in illis niſi illuſtrationem Scripturæ circa fidei articulos quæri. Itaque res redit ad principium ſecundarium *Calixti*. Sed quum unanimem conſenſum Patrum ipſi exigant, non video quomodo Purgatorium, & librorum, quos nos apocryphos vocamus, autoritatem, aliaque id genus tanquam creditu neceſſaria, præſcribere poſſint, quæ conſtat in antiqua Eccleſia pro certis habita non fuiſſe. Vale. *Dabam Hanoveræ die Jovis* 21. *Dec.* 1699.

EPISTOLA XXXV.

I. *Veterum de Purgatorio ſententiæ.* II. *Ex traditione apoſtolica Purgatorium eſſe probari nequit.*

I. LOca veterum de Purgatorio pleraque olim excuſſi & reperi, ſententias, ut in re admodum problematica, valde variaſſe, & agnovit ipſe *Auguſtinus* problema eſſe. Magna pars ſtatuit ante judicii diem nec beatitudinem nec damnationem locum habere, exceptis martyribus vel aliis

aliis privilegiatis. Origeniſtæ ipſum Infernum pro Purgatorio habuere, idque quidam etiam probati autores videntur ſtatuiſſe, ſaltem reſpectu Chriſtianorum. Græci quidam veteres ſingulare genus Purgatorii docuere, quod ſolitus ſum appellare Purgatorium reſurrectionis, nempe Chriſto in adverſum raptos tranſire per ignem ibique ſcorias deponere. Sed Purgatorium hodierno ſimile videtur apud Latinos potiſſimum invaluiſſe.

II. Saltem certiſſimum eſt, pro Purgatorio Romanæ Eccleſiæ nullam traditionem Apoſtolicam (quam articuli fidei poſtulant) poſſe oſtendi. Unanimem conſenſum Patrum in interpretanda Scriptura poſtulat ipſa Profeſſio fidei Romanæ Eccleſiæ, eaque in re, ni fallor, ſecum ipſa pugnat. Quod ſupereſt, pro voto benevolo gratias ago, Deumque precor, ut tibi multos det annos cum novo iſto fauſtos & ſelices. *Dabam Hanov.* 4. *Jan.* 1700.

EPISTOLA XXXVI.

Jer. Sterckii *de conſiliis irenicis relatio nullo fundamento nititur.*

MItto ecce excerptum ex litteris Domini *Sterckii* Theologi Lauſannenſis, quod Dn. *Jablonskius* tibi communicari petit. Sed articuli illi purè ſunt fictitii. Et quidem jam conficti olim tempore *Jo. Philippi*, &, quod rideas, *Blumius* Conſiliarius ad Papam ablegandus dudum obiit. Fuit enim Conſiliarius ejuſdem *Jo. Philippi* ante annos pluſquàm 40. Itaque hac de re ſecuri eſſe poſſunt Domini Reformati, quos omnis ſuſpicio noſtri cum Pontificiis ſyncretiſmi malè habet. Itaque apud illos ea meritò vitanda, ubi certè longiſſimè res a ſpe exitus abeſt. Vale. *Dab. Hanov.* 22. *Jan.* 1700.

EXCERPTUM EX EPIST. D. JER. STERCKII THEOLOGI LAUSANN. AD D. E. J. DIE XIX. DEC. 1699. DATA.

Hybervillius Regis Galliarum nomine apud Archiepiſc. Mog. Reſidens unionis negotio etiamnum inſudare dicitur. Licèt verò ne minima quidem mihi ſaltem veri ſpecies appareat, ſeptendecim ab illo Rom. Eccl. præſule ineundi cum Lutheranis ſyncretiſmi articulos, vel ab illo proponi bona fide, vel ab his unquam admiſſum iri: nihilo tamen ſecius cùm Landgravium Darmſtatenſem alioſque ſuas in partes a ſe jam pertractos gloriatur. Quare etiam ſtatim atque illorum articulorum ab amica quadam ſecretaque manu ante ſemeſtre, & quod excurrit, copia mihi facta eſt, in procinctu fui illos tibi mittendi, ſimulque de Conſiliarii *Blumii* ad Rom. Pontific. ablegatione reddere certiorem, ut cum ſapientiſſimis proceribus communicares, nec aliud me a propoſito abſterruit, quàm cogitatio, quòd tam perſpicax aula, qualis veſtra eſt, conſilia ejuſmodi nullatenus ignorat, meque proinde eidem ridendum præberem, ſi privatus ego homuncio tale quid eam docere ſuſciperem.

EPISTOLA XXXVII.

I. *Doctrina de Purgatorio non eſt articulus fidei.* II. Benthemius *laudatur.*

I. IN articulis fidei præſumtio eſt magna, contra id, quod probari non poteſt; nec eſt neceſſe, ut noſtri foveant articulos negativos, qualis eſt, Purgatorium eſſe falſum. Sufficit negari Purgatorium eſſe articulum fidei, & quoad hoc, Purgatorii opinionem inſtar falſæ haberi, donec probetur. De cætero ego ipſe non auſim jurare, nihil dari Purgatorio analogum. De ſtatu enim animarum medio res eſt obſcura, nec ſatis a Deo revelata, & circa Purgatorium certiſſimum eſt unanimem Patrum conſenſum, qualem *Vincentius Lerinenſis* Monachus (*y*) poſtulat, haberi non poſſe. Cæterùm vereor, ne illa de articulis negativis poſtulatio abeat in litigioſitatem parum profuturam. Magis e re Catholicorum foret, apud nos non teneri articulos fidei, cur ergo obtruduni?

II. Magnas ago gratias pro Dn. *Benthemii* libello docto ſanè & eleganter ſcripto, ſed paulo rigidiore. Invenio præterea eum non ſatis exponere mentem ſuam. Nam quum velit judicium ſuum tantummodò ad eos, quos vocat puros putos Calviniſtas, pertinere, non explicat, quid de Anglicanis aut Brandenburgicis, & ut verbo dicam, Univerſaliſtis & ſimilibus ſentiat, an ſaltem cum eis unionem locum habere arbitretur. Vale faveque. *Dabam Hanov.* 2. *Febr.* 1700.

EPISTOLA XXXVIII.

I. Leibnitius *de obitu filiæ* Fabricium *conſolatur.* II. *De* Verini *& Anti-Verini controverſiis diſſerit.*

I. NOn ſine magno meo dolore intellexi maximum, ut æſtimare licet, tuum, qui unicam gnatam perdidiſti. Sed eâ ſapientiâ es, animique conſtantiâ, ut ferre eum poſſis, gnarus humanorum caſuum, quibus etiam maximi quique obnoxii ſunt, gnarus etiam nec morte quicquam niſi in ſpeciem perire, nec a ſupremo rerum autore niſi optima proficiſci, etſi nobis rerum cortices intuentibus hoc manifeſtum eſſe non poſſit.

II. Diu eſt, quòd nil amplius, vel de *Verino* vel Anti-Verino intellexi, neque Dn. *Jablonskius*, etſi ad alia reſponderit, de his ſententiam ſuam dixit. Mallem ego, ſiluiſſent ambo. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov. die Veneris* 2. *April.* 1700.

(*y*) *Vincentius Lerinenſis* in Commonitorio cap. XXXIX. p. 160.

EPI-

EPISTOLA XXXIX.

I. *Societas ſcientiarum Berolinenſis fundatur.* II. *De* Sculteti *cum* Picteto *&* Sterckio *diſputatione.*

I. TUas Domino *Jablonskio* noſtro ritè reddidi, qui te ex merito colit. Reſpondiſſe aut reſponſurum non dubito. Id agitur apud Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum, ut fundetur ſocietas ſcientiarum cum obſervatorio & reliquo apparatu. Id quo fiat commodiùs, cùm aliorum, tum mea audiuntur conſilia. Ea res me magis hic tenet, quàm ſolennis pompa nuptiarum, quæ nunc apparantur, ſponſo heri urbem magno & ſplendido curruum, equorum, hominum conductu ingreſſo, atque ita excepto, ut nil ad regiam magnificentiam deſit.

II. Communicavit Dn. *Jablonskius* nonnulla mecum, quæ *Sculteus* Hamburgenſis cum *Picteto* & *Sterkio* Helvetiis vel ſcriptis editis vel per literas diſputat, alendo, ni fallor, bello, quàm componendo aptiora, ut cætera pleraque quæ nunc fiunt. Nec tamen aliquando meliora deſpero. Si quid ad me mittes id ad *Jablonskium* quæſo cures. Audeo autem a te beneficium petere, quod impetrabile ut ſperem facit tua benignitas. Nempe quum literæ nonnullæ Hanovera tardiùs, quàm par ſit, ad me perferantur, nonnullæ etiam planè emanſerint, quæ per vecturam Magdeburgicam ad me mitti debebant, ideo ſcripſi Hanoveram, ut nonnulla per vecturam mittenda ſub operculo deſtinentur ad te; quæ deinde ſub alio operculo, quod Dn. *Jablonskio* ſit inſcriptum, Berolinum a te deſtinentur. Video enim neſcio quid tranſmiſſionem ſolis poſtarum Magiſtris commiſſam turbare. Nuptiæ Principis Haſſiaci cum filia Electoris Brandenburgici, perendie, i. e. die Lunæ, celebrabuntur. Caſſellani heri magna cum pompa urbem ſunt ingreſſi, ſplendideque excepti. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Berolini* 24. *Maii* 1700.

EPISTOLA XL.

Solemnitatibus non delectatur Leibnitius.

IGnoſce quod toties te interpello. Quum nuperrimè hinc diſceſſerit D. M. *Wagnerus*, rogo ut has quæ poſt abitum ejus advenere ad ipſum tranſmitti cures. Me hic ferè occupant ſolemnia, quibus ſubinde ut interſim oportet, non tam voluptatis meæ, quàm honoris gratia, & ne videar officio deeſſe. Videbo an præſente Sereniſſimo Landgravio materia, quam noſti, attingi poſſit. De litibus inter *Ittigium* & *Rechenbergium* plura tibi nota puto, quàm mihi. Vellem iis careri. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Berolini* 1. *Jun.* 1700.

EPISTOLA XLI.

I. *Abbatia Lotharienſis concredita* Fabricio. II. *De eruditis Noricis*, & III. *Berolinenſi Societate.*

I. GAudens (uti jam per Dominum Abbatem *Schmidium* teſtatus ſum) ex ipſius Sereniſſimi Ducis *Antonii Ulrici* ore intellexi, Abbatiam Lotharienſem tibi pactam eſſe. Interfuit non tua tantùm, ſed & facultatis Theologicæ, ipſiuſque Univerſitatis integræ, ne tanto ornamento privarentur. Effectum ipſum mox ſequuturum non dubito: interea gratulor ex animo, & gratias ago, quòd me ſucceſſûs participem feciſti.

II. Quid faciunt eruditi Norici? ſcio enim in urbe tua patria multos eſſe viros doctrinæ non vulgaris, ſed & Altorffii ſubinde geruntur, quæ in litterarum incrementum vel ornamenta cedant. Aiunt etiam eſſe apud vos illic, qui rem nummariam veterum pulchre excolant. De Triumviris Calendariis diu eſt quòd nil mihi eſt auditum, dum ſc. in itineribus verſor alia potiùs omnia cogitavi.

III. Berolinenſes noſtri feſtinant lentè, ſpero tamen locum habiturum proverbium Italorum: *chi va piano, va ſano.* Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Guelferb.* 15. *Febr.* 1701.

EPISTOLA XLII.

I. Burnetus *ad* Leibnitium *litteras dedit.* II. Jablonskii *verſio articuli de Prædeſtinatione laudatur.*

I. ETiam atque etiam peto, ne in malam accipias partem, quòd toties ſum oneri literis. Rogo notari expenſas, nam indubitatè reſtituentur. Significa, quæſo, quando Abbatis titulum recipias, ut ego faciam quod decet. Legi, quæ Dn. *Burnetus*, Epiſcopus Sarisburienſis ſcripſit, nam liber ipſe miſſu ejus ad me pervenit.

II. Dn. *Jablonskii* verſio articuli de prædeſtinatione perpulchra eſt. Interea ego inter legendum multa notavi, quæ uberiùs eſſent explicanda. Vale faveque. *Dabam Hanov.* 11. *April.* 1701.

P. S. Gratias ago pro communicato *Andradio*, & rogo, ut meo nomine eas etiam agas Dn. præpoſito *Hardtio.*

EPISTO-

EPISTOLA XLIII.

I. Leibnitius *de Abbatis dignitate* Fabricio *gratulatur*. II. *De commodis Academiæ Juliæ provehendis*. III. *De* Kiskeri *epistolis irenicis*.

I. JAm tandem possessionem Abbatiæ Regiæ Lotheranæ a te captam puto. Itaque gratulatus ex animo Deum precor, ut diu honore hoc tu & Respublica, atque Ecclesia te fruatur. Gratulor & alterius generis gratissimam paternitatem, si nondum feci, & opto, ut inde aliquando plurimum gaudii capias. In eo sum, ut eam Guelserbytum, itaque si quod imposterum me voles, mitte quæso ad Dn. *Polichium* Magistrum postæ domus Brunsvicensis in urbe cognomine, rogoque ut servet donec ego significem, quorsum mitti velim. Vel enim ipse transiens Brunsviga accipiam, vel Guelserbytum mitti jubebo.

II. Ecce argumentum de quo & ad Dn. Abbatem *Schmidium* scribo. Loquutus sum subinde apud eos, ad quos pertinet, de Academiæ vestræ statu. Et video esse aliquam inclinationem ad cogitandum de medela. Ego duo imprimis velim: 1) Edictum aliquando proponi, ut saltem omnes Theologiæ studiosi, qui velint in his regionibus promoveri, in scholis, Academiis aut Ecclesiis biennio minimum studiis in vestra Julia dent operam. 2) Tolli discrimina publica & indecora inter Academicos diversæ mensæ. De his desidero a vobis duobus communi cura cogitari, & sententiam vestram privatam ad me perscribi, qui videbo an juvare possim, ut tandem aliquem exitum sortiatur. Interea vale faveque. *Dabam Hanoveræ* 29. *April.* 1701.

P. S. III. Oblitus sum dicere librum *Rom. Forgeries* mihi esse ignotum. Epistolas Irenicas quas Dominus *Jablonskius* desiderat, hinc opinor acceperis eique vel miseris, vel significaveris missu dignas non esse, mihi enim videntur valde jejunæ. Rintelensis quidam Prof. *Kisker* dicitur autor epistolæ saltem primæ. Interpres Gallus est minister Hamelensis Gallicus dictus, credo *La Porte*.

EPISTOLA XLIV.

Leibnitius *culcitras vento inflatas desiderat*.

SPero te valere ex sententia, & memini quantum sim tibi obstrictus, quòd etiam expendisti quædam, quæ resundere non omittam. Nunc aliquid simile a te petere audeo. Intellexi esse Noribergæ artifices, qui faciant culcitras majores minoresve lectis maximè inservientes ex corio quod sit vento inflatum. Itaque discere velim, an impetrari inde possint tales culcitræ, & quidem quæ 24. circiter horis pondus impositum sustinere possint,

poſſint, ut tamen ventum non amittant, & mox denuo inflatæ in bonitate perſtent, & quanti conſtent? Malim talem culcitram paulo majorem juſta. Et ſi certò conſtat hoc in ſe recipere artificem, mitterentur menſuræ. Quod ſupereſt, rogo, ut hunc favorem prioribus addas, & tibi perſuadeas, me nunquam officio viciſſim te demerendi defuturum. Vale faveque. *Dabam Hanoveræ 26. Jul.* 1701.

EPISTOLA XLV.

I. *De commodis Acad. Helmſtadienſis provehendis.* II. *De excerptis menſtruis Hanoveranis.*

I. MUltum tibi & conjunctiſſimo collegæ tuo Dn. Abbati *Schmidio* debeo, quòd monita veſtra tranſmiſiſtis, quorum ut ratio habeatur, quantum in me erit, curabo. Primum de biennio Helmſtadienſi edictum urgebo, huic annectetur puto clauſula generalis: cogitatum iri de tollendis iis, quæ juvenes illo loco abſterrere poſſunt, & contrariis promovendis. Ea res deinde ad veſtra illa aditum dabit.

II. Excerpta illa menſtrua adjuvo quidem, & ſubinde communico nonnulla pro iis, & dum domi ſum revideo. Mea tamen dici nolim, quum temporis tantùm ſupereſſe mihi nequeat. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Guelferbyti 13. Maii* 1701.

EPISTOLA XLVI.

I. *Societatis ſcientiarum Berolinenſis inſtitutum.* II. *Rei irenicæ ſtatus.* III. Leibnitius *ſe juvenum egregiæ ſpei patronum futurum ſponte declarat.*

I. BInas tuas accepi, & gratias ago, quas debeo. Has, quas incluſi, pro Dn. *Wedelio*, remitto, qui quis ſit ignoro; is Crenianas animadverſiones ad me mittit. Fundatio ſocietatis ſcientiarum non malè procedit, cultumque etiam rei linguæque Germanicæ & bonarum literarum complectetur.

II. De irenicis nihil actum, & fatendum eſt, rebus in ſeptentrione turbatis, quidvis potiùs agitari.

III. Ego vellem, dari jam mihi notitiam inſignium virorum & egregiæ ſpei juvenum, qui ad præclara animari poſſint, neque enim præmia deerunt aliquod eximium præſtantibus. Vale faveque. *Dabam Berol. 26. Jun.* 1700.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA XLVII.

I. Leibnitius *culcitram vento inflatam desiderat.* II. *De* Burneti *in* 39. *articulos commentario.*

I. MEnsuram culcitræ mitto, filum longius longitudinem, alterum latitudinem significat. Sumsi tam longum, ut duo insidere simul possint, quo meliùs constet, perstare ad pondus neque ventum amittere nisi paulatim fortasse, sed ita tamen sese habere oportet, ut, vento per syringa rursùs immisso, ad pristinum redeat, neque deterius sit quàm antè. Hæc ergo experimento erunt comprobanda accurato, antequam exsolvatur pecunia. Quum autem transmittetur (per Noribergensem puto Tabellarium, qui Brunsvigæ transit) emittetur ventus, ne tumere appareat, & quid sit agnoscatur, atque ita munietur, ne recipere damnum in transmissione possit.

II. Exspectamus legationem Anglicanam, & cras fortasse aderit comitatus legati & in eo Capellanus. Librum accepi non malum, cui titulus: *Moderation of the Church of England.* Liber Episcopi Sarisberiensis in 39. Ecclesiæ Anglicanæ articulos, a quibusdam ex Clero minore impugnatus est, tanquam justo laxior, sed Episcopi pro ipso stetere. Ita homines malè consulti improbant, quod maximè laudi ducendum est, non includere Ecclesiam finibus arctioribus quàm est necesse. Quod superest, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 1. *Augusti.* 1701.

EPISTOLA XLVIII.

De Societatis Berolinensis futuris membris.

MUltas adhuc debeo gratias agoque pro illa benevolentissima humanitate, qua me coram es complexus. Patere, ut in memoriam tibi revocem, quæ coram nobis placuere, nempe ut quasi tuapte sponte maximè reverendos Prælatos Hamerslebensem & Huisburgensem inducas, quo ostendant gratum sibi, posse nomina dare Brandenburgicæ scientiarum societati. Vale & fave. *Dabam Guelf.*

P. S. Maximè Reverendo Domino *Hardtio* salutem a me dici peto. Erit & ille noster. Itaque si quæ conferre poteritis, quum in publicum redundent, spero vos non omissuros.

EPISTOLA XLIX.

Fabricius *Societatis Berolinensis socius declaratur.*

EO res deducta est in nova Regia Scientiarum societate Berolini condita, ut concilio habito aliquot egregii viri Collegæ & socii appellarentur. Inter quos tuum relatum est nomen jure meritoque, mihique id

negotii datum, ut ad te diploma deferri curarim, quod nunc mitto; Deumque rogo, faxit ut tibi id decus, nobis verò ac reipublicæ boniſque litteris emolumentum ſit diuturnum. Vale ac fave. *Dabam Hanoveræ d.* 8. *Septemb.* 1701.

EPISTOLA L.

Nova litteraria.

I. TUæ ad novam Regiam ſocietatem rectè ſunt allatæ, & fuere gratiſſimæ. Scribet tibi credo D. Secretarius *Jablonskius* & idem teſtabitur. Nec dubitamus ſubinde aliquid ex te profuturum diſcere eorum, quæ a te aut amicis tuis ſuppeditabuntur. Rex ſe favere ſocietati multis erga me oſtendit.

II. Negotium miſſionum Evangelicarum in partes remotas ſtrenuè urgetur, & ſpero, Deo dante, non defore ſucceſſum.

III. Medicis etiam per provincias mandata dabuntur, ut ſuppeditent obſervationes meteorologico-epidemicas. Calendarium etiam dabitur pro anno ſequenti, in quo tempeſtates anni præcedentis. Ego mox reditum paro, duæ tamen ferè ſeptimanæ hic adhuc effluent. Gratum erit intelligere, quæ monebis in rem noſtram, ut reſpublica litteraria incrementa per nos capiat. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Berolini d.* 8. *Nov.* 1701.

EPISTOLA LI.

Status negotii irenici.

LIteræ tuæ apud ſocietatem Regiam fuere acceptiſſimæ, & quæ proponis agenda reipublicæ literariæ cauſſa digna quæ conſiderentur & aliquando in rem conferantur. Res irenica hic non planè negligitur, de qua aliquando coram pluribus. Vellem etiam tui, prout par eſt, rationem fuiſſe habitam, ſed abſenti mihi & diſtracto quid factum non conſtat. Nam me Regina hic detinet gratioſiſſimè, cum qua ſpero domum reverti. Annum ineuntem cum multis ſequuturis tibi in rem tuam, tuorum & publicam fauſtum & felicem precor. Vale & fave. *Dabam Berolini* 27. *Decembr.* 1701.

EPISTOLA LII.

Rei irenicæ ſtatus.

DIu abſens Hanoveram tandem cum Regina redii. Puto me tuis omnibus reſpondiſſe. Excutiam tamen ſchedas, ut videam, an reſtet cui reſponſum debeatur. De irenicis multum & ſæpe loquuti ſumus Berolini, ſed

ſed eorum, ad quos eæ res pertinent, animi longè aliis diſtrahuntur, nec tamen omnino deſerta res eſt, Rege ipſo inclinatum huc animum erga me oſtendente. Ecce quæ ad te Dn. *Jablonskius*. Vale & ſave. *Dabam Hanoveræ* 26. *Jan.* 1702.

EPISTOLA LIII.

I. *Reſponſum Ienenſe de Pietiſtarum nomine laudatur.* II. *Negotii irenici obſtacula quænam?* III. *Nova litteraria.*

I. REſponſum Ienenſe contra eos, qui alios pietiſtarum nomine diffamant, non malum eſt. Interim nec is probatur, qui ideo publicos cœtus vitat, ne talia audire cogatur.

II. Judicium hominis Romanæ Eccleſiæ addicti in Polonia, quo reconciliationis cum Proteſtantibus impoſſibilitatem tuetur, videtur mihi directum contra colloquium Torunienſe ſub *Uladiſlao* Rege atque illo tempore editum, nunc recuſum. Tria impoſſibilitatem facere putat: regimen Eccleſiæ, miſſas ſolitarias, cultum ſanctorum & imaginum. Sed regimen monarchicum admitti poteſt, temperatum, ut ab ipſis ſit pontificiis, miſſæ ſolitariæ tolerari poſſunt. Unus cultus eſt, qui maximè emendationem poſtulat, quam ſanè ipſi prudentiores inter Pontificios optant. Cæterum judicium illud elegantius ſcriptum eſt, quàm hodie ſolet.

III. Interim pro communicato hoc ſcripto gratias ago & pro Grammatica Regia, quæ non planè videtur inepta. Sic vidi a quodam concinnatam Theologiam Principum, ubi quis ex catecheſi aut Scriptura ſacra reſpondet, quæ tempori præſenti congruunt. Bibliotheca Academica, ut video, operâ Dn. Præpoſiti *Hardtii* inſignia capiet incrementa, quod mihi eſt gratiſſimum, & cedet ſpero in ipſius Academiæ incrementum. Rectiùs ita facit Sereniſſimus Dux *Rudolphus Auguſtus*, quàm ſi libros ſuos per varia loca diſpergat, minore laude ſua & in publicum fructu. Nihilne ab aliquo tempore didiciſti ab amicis tibi & vicinis Abbatibus pontificiis? Quod ſupereſt vale faveque. *Dabam Brunſv.* 14. *Febr.* 1702.

EPISTOLA LIV.

I. Fabricius *detrectat lautius munus.* II. *De* Sculteti *&* Picteti *controverſiis.*

I. NOn' poſſum non laudare tuam moderationem animi, quòd ſtationem præſentem magis lautæ præfers. Utinam is nunc eſſet Aulæ Guelferbytanæ ſtatus, ut commendari ea virtus tua, & præmio aliquo condigno, quale eſt munus Conſiliariatûs Eccleſiaſtici, honorari poſſet! Vellem ad oblatum tibi munus commendari poſſet aliquis tui ſimilis doctrina & moderatione, ſed quàm pauci illi!

II. Lites, ut video, inter *Severinum*, *Sculletum*, *Pfeffetum*que, etiamnum reciprocantur, quibus nunc immiſſus eſt *Strimeſius*. Noſſe velim, de eorum controverſia quid judices? Mihi enim nunc ſatis examinare non licet. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanoverae 9. Maii* 1702.

EPISTOLA LV.

I. *De Societate Berolinenſi.* II. *Libri, cujus index: Civitas ſapientum adumbrata, auctor quis?* III. *Docendi pruritus.* IV. Strimeſii *ſcripta laudantur.*

I. CAſu factum eſt, ut epiſtola quædam tua mihi occurrerit in maſſa ſchedarum, unde dubito, an reſponderim & omiſſionis veniam obnixè peto. Quum res ſocietatis Regiæ ſcientiarum paulo procedant lentiùs, nondum ſtructo ædificio, quod conventus moratur, ideo nunc in membris aſciſcendis cæteriſque deliberationibus vix quicquid agitur. Dn. *Benthemi*, viri ſanè egregiè docti, ubi primùm occaſio, rationem habebo.

II. Scriptum, cui titulus: *Civitas ſapientum adumbrata*, non vidi. Suſpicor, eſſe profectum a Barone *Benedicto Skyttio*, Suecici regni Senatore, qui, quum eſſet in exilio, talia moliebatur; & civitatem illam Helioſophopolin adpellabat, credo in civitate ſolis *Campanellae* exſtruendam.

III. De M. *Odelem* nihil unquam videram nec audieram. Juvenes multi hodie malunt docere ante quam diſcere, & novitate ſententiarum famam imprudenter captant.

IV. Clariſſ. *Strimeſii* ſcripta mihi inprimis placent, & videmur iis, quæ de ſanctorum perſeverantia docet, contenti eſſe poſſe, ut verear, ne Dn. *Sculletus* nodum in ſcirpo quærat. Tuum tamen judicium de Strimeſianis audire malim. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Luzenburgi in palatio Reginae prope Berolinum* 14. *Octobr.* 1702.

P. S. Ubi dies æſtivi ceſſabunt, Regina Berolinum repetet, ego verò Hanoveram.

EPISTOLA LVI.

De re irenica.

MOrbo impeditus in Reginæ comitatu, ut conſtitueram, Hanoveram redire non potui: nec dum planè ad officium rediit corpus, etſi redierint adpetitus, ſomnus, vires, quare differo iter, donec ſpirent auræ mitiores, quarum mox appetet tempus. Ex Dn. *Jablonskio* noſtro intellexi, moliri te opus, quo controverſiæ cum Pontificiis & Reformatis moderatè exponentur. An non præſtaret præmitti Reformatos, ſeponi pontificios, atque opere peculiari tractari. Sed tuum de tuis judicium valere debet. Res irenica quantum apparet ubique hæret, dum aliæ curæ alia ſtudia agitant aulas, utinam ſemper qualia poſtulat publica ſalus. Si quid tamen tibi cogi-

engitatum intellectum, ſemper mihi gratum erit. De munere Conſiliarii eccleſiaſtici gratulor, ita & locum tuum & merita decebat. Quis quæſn *Fiſchero* Rigæ ſucceſſit? Hic nuper Berolini egit, & fortè adhuc adeſt. *Mullerum* in præpoſitura prædeceſſorem pepulit parum ſecunda fama, ambiguisque hominum judiciis. Lauſannenſis Theologus *Sterkius*, qui cum *Scultero* diu diſceptavit per litteras, nunc Berolini degit, & credo alicubi officio admovebitur. Sed mihi & ſcripta ejus legenti & de iis cum ipſo conferenti vilus eſt non ſatis Irenicus. Quod ſupereſt, vale ſaveque. *Dabam Berolini* 20. *Mart.* 1703.

EPISTOLA LVII.

Collegium irenicum a Boruſſiæ Rege conſtitutum. II. Conſilia irenica non ſtatim publicanda. III. De Præſentia ſubſtantiali & ſupernaturali obſervatio.

I. QUum primum Hanoveram divino beneficio ſalvus redii ab incomparabili Theologo Abbate *Molano* noſtro accepi præclaram commentationem tuam de controverſiis, quæ Evangelicis Reformatisque intercedunt. Magna cum voluptate nec minore cum fructu legi, & opportunè inprimis accidiſſe puto, ut abſolveres hanc doctrinam, quum maximè ejus uſus erit. Scito enim ab auguſto Pruſſorum Rege tandem inſtitutum eſſe collegium Irenicum, in quo conſilia Pacis ſacræ agitarentur, Præſide *Urſino* Epiſcopo, Aſſeſſoribus a Reformata parte *Jablonskio* & *Strimeſio*, a noſtra *Lutkio* & *Winckleto*, Theologis omnibus; ſed & conſtitutum eſſe, ut cum Domino Abbate Luccenſi, teque etiam & celeberrimo Domino Abbate *Schmidio* ſubinde conſilia communicentur, qua in re fortaſſe mea quoque aliquando opera interveniet, & ſi ſim ἐκ τῶν ἔξω. Ita vides reſumtum iri priſtina conſilia.

II. Quum verò noſtræ meditationes, quæ vobis quoque duobus placuere, ſub fide ſilentii communicatæ fuerint, Berolinenſibus & materiam negotiationis ſint daturæ, facilè pro prudentia tua judicas, conſultius fore, ut ne intempeſtivè edantur, dum ſpes eſt aliquid confici poſſe tractando. Nam ſi ea decnllaverit, ſuaſerim ipſe quoque conſervari typis publicis in uſum poſteritatis: nunc verò, ſi producimus in publicam lucem, primum perit cogitationibus pondus ac momentum arcanæ deliberationis, deinde irritabuntur crabrones ingeniorum Eriſticorum, ut agmina adverſariorum paulatim conſurgent, & fortaſſe, qui poterant paulatim acquiri nobis, dum ipſis communicationis privatæ honor habebitur, præveniri ſe aliorum violentia patientur, difficili regreſſu, ubi quis ſemel publicè ſententiæ ſuæ obſides libros dedit. Præterea, qui facilius aſſentientur novæ corporis notioni, dum nonniſi philoſophicos uſus intuebuntur, hærebunt ac recalcitrabunt, quum ad Theologicos adhiberi videbunt. Et meo judicio majore fructu ac dignitate tu quoque intervenies, ſi tua ſeriis conſiliis ſervabis;

differesque illa profundiora ac magis recondita, donec ſucceſſu ipſo comprobentur, aut donec eò res redierit, ut nihil publicando ſpei decedat jam deploratæ. Hæc etiam Dn. Abbatis Luccenſis proniſſima ſententia eſt, præſertim poſtquàm Irenes Berolinenſes ſtatum intellexit. Acta ſunt hæc ibi, ex quo tibi conſulenti, quid primum dares, de Reformatorum conciliatione in edendo præferenda ſcripſi, procraſtinationem potiùs ſuaſurus; ſi prævidiſſem quod ſucceſſit. Interim pulcherrimo apparatu rem Irenicam auxiſti, in quo ut pergas eſt cur optemus.

* III. Unum obſervo in ſcripto tuo, quo magis a me ſtudiosè lectum intelligas, quum ex meis quibuſdam ſchedis & ex literis ad *Peliſſonium* annotare dignatus es p. 23. quæ de præſentia ſubſtantiali ſed ſupernaturali dixi, & *Conradi Bergii* quædam parallela adduxiſti, non me omnino probare, quòd ille negat præſentiam hoc loco in indiſtantia collocandam: nam etſi id de præſentia civili rectè dicatur, eam eſſe conjunctionem, per quam ſufficienter ſentias objectum & in promtu habeas ad operandum, quo ſenſu præſentior mihi eſt remotior, ſed in eodem conclavi, quàm propior, ſed in alio, pariete a nobis, vel a me diviſo; hic tamen quum de manducatione ſubſtantiali agatur, requiri puto indiſtantiam; quæ conſiſtit in immediata ſubſtantiæ operatione atque applicatione. Hoc enim intereſt inter præſentiam per efficaciam & per ſubſtantiam, quod poſterior eſt immediata applicatio ipſius potentiæ primitivæ tam activæ quàm paſſivæ, prior verò non item. Equidem omnis præſentia ſubſtantiæ ſimul eſt præſentia efficaciæ, ſed non contrà, & quum præſentia efficaciæ opponitur præſentiæ per indiſtantiam ſimul opponitur præſentiæ per indiſtantiam. Hæc monenda putavi, ne illi Theologi noſtri, qui celebre ſuum ἀδιαστατον ſanctum inviolatumque tueri conſtituerunt, ambigua explicatione turbentur. Quum diu extra commercium litterarium fuerim, partim ob valetudinem, partim ob alia impedimenta, gratiſſimum erit, ſi tuo beneficio in gratiam paullatim magis magisque redeam cum republica litteraria, doceasque, quæ in ea gerantur. Quod ſupereſt, vale, faveque mihi, quod facis. *Dabam Hanov. d.* 14. *Jun.* 1703.

EPISTOLA LVIII.

De rebus Germaniæ ſuperioris.

SPero collegium Irenicum non prorſus inutile fore, & tuam quoque præclaram operam acceſſuram. Res Germaniæ ſuperioris in miſero ſunt ſtatu, culpâ non tam ſuperiorum Germanorum, quàm reliquorum, quos, Ulma & Memminga captis, non minùs evigilare opus erat, quàm ſi *Hannibal* cuique ad proprias portas eſſet; ſed fatali torpore quisque tantillum a diſcrimine adhuc remotus, res patrias tanquam alienas habet, quo nil fingi poteſt indignius. *Dabam Hanov.* 3. *Jul.* 1703.

EX-

Digitized by Google

EXCERPTA EX EPISTOLA LIX.

De Arcano Regio, & Leibnitii & Molani judicium.

MIrati ſumus ambo (*Leibnitius* videlicet & Abbas *Molanus*) audaciſſimas & informes planè (autoris ſcilicet Arcani Regii) ſuggeſtiones. Nam ego Berolini videre neglexeram. Intereſt gravi reſponſo oſtendi inconvenientiam propoſitionum, & tamen ita, ut benevolentia Regis conſervetur, & fortaſſe inſervire ea res poteſt, ut homo negotio ineptus, a collegio Irenico excludatur, nam & collegas parum ejus paradoxa probare ſcio. Magni refert vos prudenti & gravi reſponſo oſtendere, auctorem arcani eſſe hominem audacem, periculoſum quieti Eccleſiæ & Reipublicæ, & imprudentem, violentum, affectibus indulgentem, nec a calumniis abhorrentem, denique egregium ſpecimen turbonis ſacri. *Hanov.* 30. *Jul.* 1703.

P. S. Arcanum iſtud vulgò *Irenicum* vocatur, at, cùm paci ſacræ noxium ſit, rectiùs inſcribendum foret *Claſſicum Belii ſacri inter Evangelicos*: Nihil ſanè inimicis noſtris, Romano cultui addictis gratius eſſe poteſt; violenta enim ſuadet conſilia, Evangelicos, Auguſtanam inprimis, qui ſequuntur confeſſionem, Pietiſtarumque ſectæ adverſarios perſequi monet: Graviſſima hinc orientur mala, non ſolum apud Regis noſtri ſubditos, ſed etiam in vicinis, Suecorum, Saxonum aliorumque populorum provinciis, ut & in negotiis ad civilem adminiſtrationem pertinentibus.

Apud omnes in confeſſo eſt, nonniſi viros pios, proboſque cœtui ſacro præponendos eſſe, egregioſque, ex ſic dictis viſitationibus, ad tollendos abuſus, capi poſſe fructus: Verùm ſi pro abuſibus, certas quaſdam res ſumere velis, de quibus affirmari nequit, num tales ſint, vel non: aut quæ per antiquiſſimam Eccleſiæ praxin, multo privilegia & pacta, firmatæ ſunt, a recto ſcopo tunc aberras, majuſque veniet malum: Norunt omnes, exorciſmum antiquiſſimam Eccleſiæ praxin eſſe, optimumque ſenſum habere poſſe. Per imperium enim Dæmonum in mentem pravam, non corporea quædam intelligitur poſſeſſio; dura quoque & turpia ſunt verba, quibus arcani iſtius auctor inſuſurrare vult, ornatus ſacros, togas, cereos, hoſtiaſque cultus Romani partes eſſe deteſtandas, cùm tamen Rex ipſe, Regiomonti ſolemniter corpus Chriſti, Evangelicorum more ſumſerit: Quod ſi auctoris ratio pro extinguendis ſolemnibus, ob hominum in diebus iſtis intemperantiam, magnum haberet pondus, dies ipſa Dominica delenda foret: Tollatur abuſus, non res. Si quis Regibus aliquid proponere velit, maximam adhibeat prudentiam, nihilque ſcribat, quod non lubenter ab omnibus legi deſideret; cavendum auctori ſummoperè fuiſſet, ne tanto Regi talia daret monita, quæ ex Jeſuitarum ſcholâ depromta videntur, quibus indigna majeſtate ejus artificia & ſimulationes ſuadere in animo haber, ſicuti Rex ſcopum a ſuo prorſus alienum ſimulare poſſet: Nemini quoque probari

probari poteſt, auctoris opinio, a Rege petendum eſſe, ut publica munera iis tantùm concedantur, quos Halenſes Theologi ſuis ornavere ſuffragiis: Nam Theologi Halenſes cum cæterarum univerſitatum Theologis conſentiunt, vel non: Si non conſentiant, in duas igitur abibunt partes, quarum altera alteram perſequi & opprimere conabitur: Quòd ſi non conſentiant, quid tam inſolitâ agendi ratione opus eſt? annon quoque verendum eſt, ne alii Principes edicta promulgent contraria? Omninò autem inexcuſabile eſt, quòd multa de Wittebergenſium Doctorum fallaciis, aſtutiiſque proferantur verba, quibus novum Theologicum bellum concitari poteſt: Dicet forſan auctor, ſe neutiquam credidiſſe, arcanum ſuum evulgatum iri, ſed ſapientis non eſt dicere. *Non putabam*: Probo Theologo haud dignum eſt magno Principi verba ſuggerere calumnioſa: Theologi Helmſtadienſes rectè facient, ſi hanc impudentiam exaggerent, eaque occaſione animum ergà Wittebergenſes benè affectum oſtendent. Quid pejus, quæſo, dici poteſt, quàm Theologos omnes præter Halenſes, doloſos atque fallaces eſſe? Vir nobilis procul dubio ſat ſapiens eſt, ne ſtatim proditionis crimine erga ſe reos accuſet viros, qui in quibuſdam capitibus, quoad jura ſua cum Dominis diſſentiunt: Potentiſſimi Principes controverſias cum ſuis ſubditis, judicibus ad id conſtitutis examinandas tradunt, atque peritiſſimos Jureconſultos ad examen hoc vocare non dedignantur. Quicunque igitur oppoſitiones cum omni prolatas reverentiâ, & quæ ſpecioſis nituntur argumentis, Principibus tanquam crimonoſas exponere ſatagit, opus adulatore dignum aggreditur, Regeſque ad violenta, hominibuſque funeſta ducit conſilia, novo præcepto, quòd Princeps Evangelicus ſit Papa in ſuâ ditione, minimè abutendum eſt. Apud cordatos Pontificios, equidem Concilium Eccleſiæ univerſalis, ſi non ſit ſuprà, tamen non eſt infra Papam. Æquum igitur eſt, ut Princeps Evangelicus in arduis ad religionem ſpectantibus negotiis nihil ſolus agat, ſed conſilia ſua cum aliis Proteſtantibus Statibus communicet, ne rumpatur vinculum Eccleſiæ.

EPISTOLA LX.

De Winckleri *Arcano Regio.*

IN Reſponſo de *Winckleri* (z) Arcano Regio prudentiam veſtram & moderationem agnoſco. Noluiſtis aliis dicere veritates ingratiores, quæ certè non deerunt. Interim etſi malitia viri non ſit certiſſima, imprudentiam tamen

(z) *Jo. Joſephus Winckler*us, Paſtor Magdeburg. Wernigerodæ 1704. ſermone Germanico edidit; *ingentem revelationem cordis ſui erga omnes fideles Chriſtianos, & inprimis erga eccleſiam ædis cathedralis Magdeburgenſis, poſt exortas ex arcano Regio magnas turbas.* Inibi arcanum regium ſuum non eſſe ſcriptum contendit, ſed aliunde ad ſe tranſmiſſum, ſe autem id tantùm addidiſſe, quod ad promotionem pietatis videtur utile, & hoc ſe jam declaraturum: ſe tradidiſſe quidem arcanum auguſtiſſimo Regi,

tamen eamque periculoſam ubique tranſlucere manifeſtum eſt. Neque eſt diſſimulandum, ſed monendum publici boni cauſſâ, quemadmodum & aliquatenus feciſtis. Rem omnem Domino Abbati Luccenſi communicabo, qui mecum eo communicationis nomine tibi erit obſtrictus. Vale & fave. *Dabam Herenhuſæ 7. Aug.* 1703.

EPISTOLA LXI.

I. *De* Jabonskii *ſcriptis irenicis judicium.* II. *De* Guil. Forbeſii *conſiderationibus controverſiarum.*

I. HAs ut ad te darem literas præter ineuntis anni auſpicia, quem cum multis ſequuturis lætiſſimum precor, faciunt, quas additas vides, literæ ad te a Dn. *Jablonskio.* Equidem ſcripſi nuperis pro te, pro Domino Abbate *Schmidio* & pro Domino Præpoſito *Hardtio*, accepiſſe me exempla ab eodem Domino *Jablonskio* ſcripti his adjecti, quod vellem minus acre eſſet in Dominum Præpoſitum *Lutkenium.* Talia enim bello irenico ciendo apta ſunt, quod utinam ξυλπρέζυλον eſſet. Cæteris eximiis viris mittam proximis, ne nunc nimis Tabellarium onerem. Miſiſſem maturiùs, niſi dictum mihi fuiſſet, quemdam hinc ad vos ire, quod deinde non ita eſſe compertum. Non diſſimulo apud Dn. *Jablonskium* talia ſcripta, etſi erudita, alioqui & bonis rebus referta, niſi inpoſterum ademtis acrimoniis caſtigentur, magis ad res turbandas quàm componendas pertinere. Et, ſi eadem tibi duobuſque amicis (quibus interim cum multa a me ſalute communicare potes, dum ipſorum exemplaria ſequantur) ſententia eſt, poteris, ſi ita videbitur, communi judicio ſcribere quod res eſt. Quòd ſi etiam mecum ſententiam veſtram communicare non grave videbitur; eo magis omnia communi conſilio acta cenſebuntur. Certè Dn. Abbas *Molanus*, qui idem accepit ſcriptum, eamdem eſſe ſententiam ſuam ſcire vult Berolinenſes, quam & Max. Rever. Dn. *Jablonskio* perſcripſi. Fac *Lutkenium* exceſſiſſe modum in ſcrupulis movendis, atque etiam in communicanda aliis ſententia ſua non cautiſſimè egiſſe, præſtabat, eum privatim vel moneri vel corripi Regis autoritate, quàm privatis & anonymis ſcriptis publicè irritari. Quum verò facta infecta fieri nequeant, rogandi erunt amici Berolinenſes, ut inpoſterum, quoad ejus fieri poteſt, moderatiùs agant, nec novo bello ſacro dent occaſionem, dum pacem moliuntur. Quaſdam

Regi, ſed non eo animo, ut in aliorum veniret manus, multo minùs ut typis exſcriberetur. Cæterùm de Reformatis judicat, eos in doctrina de ſacra cœna ita ſe declarare, ut realem corporis CHRISTI manducationem agnoſcant, abſolutum decretum rejiciant, controverſiam de perſona CHRISTI miſſam faciant, nec dubitent apertè gratiam DEI univerſalem confiteri. Conf. *Jo. Alb. Fabricii* Hiſtor. Bibl. ſuæ P. IV. p. 444. *K. N.*

offenſiunculas condonare, quaſdam & diſſimulare præſtat: nec tam habenda eſt viris gravibus piis in cauſa Dei perſonarum ratio, quàm rerum. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 31. *Dec.* 1703.

P. S. II. Putabam me jam tranſmiſiſſe priores literas, quibus ſignificabam quid pro te amiciſque Berolini accepiſſem, & gratias agebam pro munere *Forbeſiani* operis ſanè præclari, ſed ecce circumſpiciens video adhuc remanſiſſe in tabula epiſtolam, quas ergo debeo gratias, nunc ago & exemplum nitidius in Bibliotheca Electorali reponam, alioqui cedet obvio cuique. Audio quibuſdam diſplicere editionem, ſed quid mirum, quum & priores hominibus pugnacioribus diſplicuerint.

EPISTOLA LXII.

Regina Boruſſiæ negotii irenici cauſſam agit.

HAs, quas vides adjunctas, ad te mittit Dn. *Jablonskius.* Regina mihi huc reverſo dedit incluſas meis. Si quid in illis, quod me noſſe operæ pretium putes, communicari peto. Spem facit res irenicas non malè proceſſuras, neque ego deſpero, ſi bona conſilia audiantur. Nunc vale & fave. *Dabam Hanov.* 22. *Februar.* 1704.

EPISTOLA LXIII.

I. Jo. Fabricius *laudatur.* II. *Danorum, Suedorum & Lubecenſium in propaganda fide merita.* III. *Quo ordine controverſiæ theologicæ perſequendæ?* IV. *De* Guil. Forbeſio *judicia.* V. Leibnitii *collectio ſcriptorum rerum Brunſvicenſium.*

I. REctè facis, quod collectos a tot annis theſauros publicos eſſe jubes, benevole, quod privatim & meos. Præclari operis tui controverſiarum quæ tranſmiſiſti bona ex parte legi. Valdeque ſum delectatus & doctrina plena judicii, & nervoſa perſpicuitate. Video enim & ſelecta afferri & utilia, eaque paſſim eruditionis ac expoſitionis lumine colluſtrari. Omnia tamen & perlegere & diſcutere non vacavit, neque id vel facultatis vel conditionis meæ. Dedicatio non poterit non honorifica & grata iis eſſe, quibus deſtinaſti. Ego certè ad ſocietatem noſtram (cujus tu ipſe es membrum) ornandam pertinere cenſeo.

II. Obiter noto: quamquam vix eſt tanti; ubi nil hactenus ab Evangelicis (ſic enim mallem κατ' ἐξοχὴν dici noſtros, quàm Lutheranos) actum ais in converſione gentium aut fidei propagatione, Danos & Suedos habituros, de quo querantur; hi enim in ſuis coloniis etiam barbarorum ſalutem curant: & Catechiſmum quendam lingua Americana in Suedia editum puto. *Ludolphus* etiam noſter Vir ſummus meminit Lubecenſis cujuſdam,

dam, viri docti, qui hoc egit apud Abyſſinos, ut puritas Eccleſiæ antiquiſſimæ ſua conſtaret.

III. Cæterum ordo commodus eſt, ut ab Atheis ad Gentiles, Judæos, Mahumedanos, Unitarios, Pontificios tranſeatur. Reformatos autem opus coronaturos ſuſpicor. Ubi pro prudentia tua rem haud dubiè ita inſtitues, ut ex nuperrimis noſtris monitis quædam interiora ipſi negotio reſerventur. Pro tuo & opere & Programmate quoque, te ac munere quo fungeris digno, quod Pro-Rector Univerſitatis ad indicendam Panegyrin promulgaſti, in quo Sereniſſimus Dux *Rudolphus Auguſtus* depoſita mortalitate celebratus eſt, gratias decentes ago. Vale ac fave. *Dabam Hanov.* 24. *Mart.* 1704.

P. S. IV. Gaudeo *Forbeſium* tuum tam fuiſſe acceptum Francofurtenſibus ad Oderam. Huic in novo opere tuo ſupplementa mittis egregia. Talia adhuc multa a te expectamus, nam abſit ut de valetudine tua malè omineris. *Urſini* quoque Epiſcopi approbationem *Forbeſio* tibique gratulor. Utinam, quo tempore Epiſcopales in Anglia prævalent, ut nunc fieri videmus, æquiores utique quàm Presbyteriani, res Irenica magis urgeatur.

V. Dn. Præpoſitus *de Hardt* narrabit tibi, quale molior opus Collectionis ſcriptorum res Brunſvicenſes, Guelficas, Eſtenſes illuſtrantium. Inde ex noſtris regionibus, ſed etiam, ex Italia & ſuperiore Germania (ubi olim Guelfi) auxilia corrogo. Egregiè favet Dn. *de Hardt* ex Bibliotheca Julia. Fortè Abbates tibi amici aliquid ſuppeditare poſſent. Non ita adſtringor Brunſvicenſibus, ut non res vicinarum regionum admittam, quæ noſtra utique illuſtrant. Intercede quæſo apud vicinos Abbates alioſque amicos tuos.

EPISTOLA LXIV.

I. Calvoerius *laudatur.* II. *Quis auctor ſcripti, cujus index*: Addreſſe an den Kônig in Preuſſen.

I. IN ære ſemper tuo ſum, ob præclarum munus; ſed neſcio an debitorem me gratiarum actione debita ſim profeſſus, ſi non feci, quæſo factum jam putes. Certè enim multas tibi gratias debeo agoque & ſocietatis & meo nomine. Quanquam idem ab ejus parte factum, & ipſe feci, repetiiſſe tamen non pœnitet. Utinam ne in his fruſtra laboraretur, culpa hominum utriuſque ni fallor partis. Dn. *Calvoerius* de ritu opus, ut video, incepit. Nondum legere vacavit, ita quo conſilio ſcripſerit, nondum ſcio. Virum non indoctum eſſe conſtat. Si quæ tibi in re litteraria nota, diſcere gratum puto.

II. Quem putas autorem eſſe *von der Addreſſe der Evangeliſchen an den*

Kônig in Preuſſen und von der Beantwortung (*aa*). Ab utraque parte parum placent talia ſcripta. Nam & Reformatus mihi inſultare & minax aliquid ſpirare videtur. Vale & fave. *Dabam Hanov.* 9. *Maii* 1704.

EPISTOLA LXV.

Leibnitius *ſcriptores rerum Brunſvicenſium colligit.*

GRatias ago pro multa coram benevolentiæ ſignificatione, &, quòd mihi ea abuſus videar, veniam peto. Faſciculum mihi commodatum rectè Berolini reddi curabo. Ego apud Dn. *de Alvenſlebe* multa reperi Mſc. præclara, tum paterna tum antiqua admodum, quibus & noſtra hiſtoria plurimum illuſtrari poteſt. Cras hinc diſcedam & Berolini porrò aut Lutzenburgi ſubinde diſcere ſpero, quæ apud vos (ex ſententia ut ſpero) gerantur. Interea vale ſaveque. *Dabam Hundisburgi* 24. *Aug.* 1704.

EPISTOLA LXVI.

Epiſcopus Urſinus *de rebus irenicis conſilia cum* Leibnitio *communicat.*

NUper cum Reverendiſſimo Domino Epiſcopo *Urſino* loquutus, injecta de te mentione, intellexi virum egregium plurimum tibi favere, atque id agere, ut tuis commodis apud Regem invigilet. Miſit mihi nuper dono (1) Liturgiam ex Anglico in Germanicum verſam, (2) Conſenſum Sendomirienſem a Clariſſimo *Strimeſio* editum, (3) Ejuſdem *Strimeſii* ſcriptum Germanicum, cujus titulus eſt: *Kurtzer Entwurff der Einigkeit*, ubi duas Proteſtantium partes non ineptè conciliare nititur. Hæc omnia jam ad te perveniſſe puto. De cætero gratiarum actionem pro exhibito tam munificè hoſpitio repeto. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Berol.* 21. *Octobr.* 1704.

EPISTO-

(*aa*) Conſtat Auctorem ſchediaſmatis, quod an. 1703. ſub indice: *Allerunterthänigſte Addreſſe an ein groſſmächtiges Oberhaupt &c.* prodiit, ſummè venerabilem D. *Val. Ern. Loeſcherum* eſſe. Ad quod *Jo. Chriſt. Beemanus*, Theologus Francof. ad Viadrum *in der Exceptions-Schrifft wider eine allerunterthänigſte Addreſſe* reſpondit. Plura deinceps ſcripta polemica a vener. *Loeſchero* ab una, & celeb. *Beemano* ab altera parte edita ſunt, quæ occaſionem aperuere, ut celeb. *Loeſcherus* Commentarium elaborare cœperit; cujus index: *Ausführliche hiſtoria motuum zwiſchen denen Evangeliſch-Lutheriſchen und Reformirten.* Conf. ven. C. M. *Pfaffius* in introduct. in Hiſt. theol. litt. P. II. lib. III. ad §. VIII. p. 174. ſeq. *K. N.*

EPISTOLA LXVII.

I. Strimeſius *ſtudet* Fabricio. II. Antonii Ulrici & Leibnitii *de* Sebaſtiano Edzardo *judicium.*

I. LIteras tuas rectè accepi & gaudeo, te valere & mei meminiſſe. Sæpe mihi de te ſermo fuit cum Reverendiſſimo Domino Epiſcopo & max. Rev. *Jablonskio*, qui nunc, defuncto *Smettavio*, Concionatorum Regis eſt primus. Sunt & ſeptimanæ aliquot, quòd Berolini me acceſſit præclarus Francofurtenſium ad Oderam Theologus, Dn. *Samuel Strimeſius* mirificeque doctrinam & moderationem tuam laudavit. Liturgiam Anglicanam juſſu Dn. Epiſcopi Germanicè editam, *Strimeſii* librum de conſenſu Sendomirienſi & *Kurtzen Entwurff* &c. ad te mittere voluit Dn. Epiſcopus, jamque tibi redditos puto hos libros. Putat te facturum rem gratam Regi, ſi ſcriptum aliquod edas breve de Liturgia Anglicana, inque eo inſtitutum commendes, & in præfatione mentionem benignam facias *des Kurtzen Entwurffes* Domini D. *Strimeſii*, & doctrinam viri ac moderationem laudibus meritis exornes. Hoc ſcriptum Regi Pruſſiæ dicari poſſet.

II. Gaudeo, quòd Sereniſſimo Duci *Antonio Ulrico* placet conſilium tuum & meum; ne ſcilicet juveni Hamburgenſi *Sebaſt. Edzardo*, nequicquam paratragœdianti reſpondeas, quamquam optem ſcribi ad Magiſtratum, ut coerceatur hominis petulantia. Sed magis gaudeo, quòd Sereniſſimus Dux te Guelferbytum vocavit, & quanti te faciat omnibus oſtenderit. Quod ſupereſt, vale & me ama. *Dabam Berolini* 29. *Nov.* 1704.

EPISTOLA LXVIII.

I. *De Societate ſcientiarum Berolinenſi.* II. *De negotio irenico conſilium.* III. Guil. Forbeſii *de ſacra cœna ſententia.*

I. POſtulatum tuum ego ſanè æquum puto, nec omittam occaſione data aliquid de eo movere, ut videam, quæ ſpes ſit? In ſocietate Regia Scientiarum non diſtinguimus membra, proceres, collegas, fortè ergo membrorum mentio ſuffecerit.

II. Putem conſultum fore, ut non tam per reſponſi modum, quàm obiter in epiſtola ad Dn. *Jablonskium* reſponſoria, id ipſum paucis inſinues, quod cum Dn. Abbate *Schmidio* ad me ſcribis. Equidem ſcriptum vobis tranſmiſſum multas res bonas continere, & pium habere ſcopum, nec nullas editionis videri fuiſſe cauſſas; ne tamen opus Irenicum ſufflaminetur tibi ac Dn. Abbati *Schmidio* ejus cupidiſſimis optandum videri, ut quoad ejus fieri poteſt, caveantur ea, ex quibus pro pace novum bellum Theologicum oriri poſſit.

III. *Guil. Forbesii* bonam partem relegi (nam olim legeram) non sine voluptate & fructu. Quæ in negotio Sacræ Cœnæ dicit visa sunt pleraque admodum commoda, & nostris explicationibus consentanea (*bb*). Societas Regia sibi haud dubiè honori ducet dedicationem præclari operis tui præsertim contra adversarios communes. Quod superest, vale & fave. *Dabam Hanov.* 7. *Decembr.* 1704.

EPISTOLA LXIX.

Fabricius *refutatur ab Anonymo.*

SEreniſſimus Dux *Antonius Ulricus*, qui plurimum tibi favet, non sine indignatione intellexit malè te habitum, & injuriosè per epistolam improbi ἀνωνύμου. Cellis huc scriptum est, inquirendum in autorem & vindicandum honorem tuum; & si irrita sit indagatio, chartam infamem flammis abolendam. Itaque Dux Sereniſſimus vellet nihil omitti, quod ad indagandam veritatem prodesse possit, jussitque, ut hoc tibi significarem. Facilè intelligis, quàm libenti animo jussa ejus exequar, & quam non omiserim hortari sponte pronum, ut in justa severitate perseveret. Itaque delibera quæso, qua ratione optimè inquisitio instituì possit, & si quæ judicia habes, sufficientia saltem ad inquirendum in aliquem vel aliquos, delibera cum JCtis, an e re videatur, proponere illa in medium, submittereque judicio magistratûs? Idque ut eo tutiùs facias, neve accusator fias ex denunciante, casu nominibus suppressis expolito, fac, ut responsum obtineas cujusdam collegii JCtorum, cujus sequutus sententiam eo sis deinde securior in omnem eventum litis. Cætera aliàs, nunc enim discedit currus publicus. Quod superest, vale, & me ama. *Dabam Brunsvigæ* 2. *Maii* 1705.

EPISTOLA LXX.

I. *Inter Germanos pauci sunt Matheseos cultores.* II. Edzardi *disputandi & inclarescendi methodus.*

I. VEreor, ut in negotio, quod tangis, aliquid rectè agi possit apud Berolinenses: adeo sæpe res illic parum cohærent studiis diversorum. Expectabimus responsum. Quem laudas juvenem Mathematicum, nosse propiùs oporteret, vel a speciminibus. Groningæ quærunt *Bernoullio* succe-

(*bb*) *Guil. Forbesius* in Considerationibus controversiarum Francof. a *Jo. Fabricio* tertiùm editis pag. 563. & 564. *Tutissima*, inquit, *& rectissima videtur illorum protestantium aliorumque sententia, qui corpus & sanguinem* CHRISTI *verè, realiter & substantialiter in Eucharistia adesse & sumi existimant, imo firmissimè credunt, sed modo humano*

ſuccedaneum, qui non facilis inventu. Neſcio quo frigore torpent Germani, ut rarò altiùs aſſurgant, in ſtudiis iſtis, excolendiſque inventis, licèt apud iſtos natis; negant Matheſin eſſe de pane lucrando, & tamen egregiæ ſtationes paratæ ſunt eminentibus.

II. *Edzardus* jam procedit ad Mahumedaniſmum Calvinianorum, miror quod non Arianiſmum præmiſerit. Repetet de *Adamo Neuſero* nænias, & *Reginaldum* exſcribet, quicquid nunc effutiet habebit emtores. Id debet igni Regio, quo inclaruit, ſecundùm Epigrammation amici:

Edzardi tenebras illuſtrat Regius ignis,
Et nugis pretium pœna vel ipſa facit.

Vale. *Dabam Hanov. 9. Junii* 1705.

EPISTOLA LXXI.

I. *Conſilia irenica.* II. *Scriptoribus anti-Irenicis directè non reſpondendum.*

I. SIgnificare volui, me tuas cum faſciculo *Jablonskiano* Guelpherbyti reperiſſe. Interim literæ venere a Domino Epiſcopo ad Sereniſſimum Ducem ſatis ad mentem noſtram. Ait enim ſe ad Regem ex acceptis retuliſſe, & Majeſtatem Regiam optimè eſſe animatam. Miſſum etiam Theologum ad aulas Reformatas ut animi præparentur. Vellem imprimis Caſſelanos reddi τοῖς Μαχικοῖς ὁμοφώνους. Vereor enim ut ſint ſatis. Sed arte opus puto, ſtrepituſque inprimis cavendos, ne magis turbentur irritenturque ψευδοδόξοι. Innuit interim miniſtros quoſdam regios non videri ſatis in rem præſentem animatos, idque agere ut difficultatibus deterreant Regem. Sed nihil facilius, quàm movere aut objicere difficultates, artis eſt removere.

II. Quod ad novos quoſdam Anti-irenicos ſcriptores attinet, ego putem non meliùs agi poſſe, quàm ſi ne uni quidem reſpondeatur directè. Res ipſa tractari ſcriptis poteſt. Litigatores optimè ulciſcentur irenici non reſpondendo. *Baccho* bacchanti ſi velis adverſarier &c. Unus doctiſſimus *Ittigius* vellem non prodiiſſet in hanc arenam, ſed præſtabit non reciprocare cum ipſo ferram contentionis, ne magis adverſum reddamus litigando. Scriptis publicis eriſticis non proficitur, præſtant expoſitoria, quibus facilè reſpondetur. Libenter intellexi quæ de Domino *Richtero* ſcripſiſti. Gaudeo & Hamburgenſes egiſſe quod æquum erat. Vale. *Dabam Brunſvigæ* 27. *Apr.* 1705.

EPISTO-

humano ingenio incomprehenſibili, ac multo magis ineffabili, ſoli DEO *noto, & in Scripturis nobis non revelato, non quidem corporali & per oralem ſumptionem, ſed neque etiam ſolo intellectu, ac pura puta fide, ſed alia ratione, ſoli* DEO, *ut dictum eſt, cognita, illiuſque omnipotentiæ relinquenda.*

EPISTOLA LXXII.

I. *In negotio irenico ſtrepitus vitandus.* II. *Negotium religionis in Palatinatu.*

I. DOminum D. *Leinkerum* tuum vidi, tibique gratias ago, quòd eum ad me direxiſti. Viſus enim eſt & ſtudiis & humanitate pollere. Sapientiſſimè feciſti, quod Domino Epiſcopo oſtendiſti, eo rem eſſe loco, ut ſi multum differatur, planè ſit in nihilum recaſura. Mutabuntur perſonæ & cum perſonis rerum facies. Plerumque res paucorum virorum inclinatione animi & conſiliis conſtant, quibus ſublatis alia ſæcula ſunt exſpectanda. Et velim, niſi jam factum, illi indices, quam mutationem in his oris tibi ea portendant, quæ ipſe expertus eſt, poſtea quæ jam ſunt edita in hoc negotio, neſcio an e re ſit multa proferri nunc in lucem. Agendum eſt, non ſcribendum: libris editis novis hoc jam fermento animorum irritabuntur magis adverſarii, & inter ſe communicantes conſilia, facillimè obſtruent aditus omnes, qui manebunt aperti, ſi ſtrepitus a noſtra parte abſit. Nihilne ab aliquo tempore Düſſeldorpio habuiſti a *R. P. Urbano*? aut a cognato tuo Domino *Richtero*? Qui ſi is eſt, quem olim reſpublica veſtra aliquandiu in Diæta Ratisbonenſi habuit, ſic ſatis ætate provectus ſit oportet.

II. Negotium de Religionis ſtatu in Palatinatu non nihil adhuc hæſurum videtur, aiuntque Dominum *Burcardum*, qui ibi pro Sereniſſimo Rege Boruſſiæ cum Miniſtris Palatinis egit, avocatum iri, alio ſubſtituto, qui Aulæ Palatinæ ſit gratior. Si negotium Banni Bavarici nil confert, parum de ſucceſſu ſpero, quum & Ratisbonæ frigeant, quæcunque illic tractantur, ſed nil magis, quàm religio, quæ frigere ſolet ubique. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 11. *Aug.* 1705.

EPISTOLA LXXIII.

I. Omeiſii *inſcriptio.* II. *Gloſſarium diverſarum linguæ Germanicæ dialectorum deſideratur.* III. *De obitu Ducis Cellenſis.* IV. *De Acad. Witenbergenſi.*

I. INſcriptionem *Omeiſianam* Berolinam mittam ſanè non inelegantem. Sed de omine illo ferali Hanoverano nil inaudiveram, ſi candelabrum aliquod argenteum fortè decidit, quod ignoro, in noſtra aula profectò ominoſum habitum non eſt; neque nos adeo faciles ad omina captanda ſumus.

II. Gratias etiam ago pro jocularibus illis in Bavaros compoſitionibus. Talia mihi placent dialectorum provincialium ſpecimina. Audio Dn. *Praſchium* olim Ratisbonæ edidiſſe Gloſſarium Bavaricum vocabulorum Bavaris propriorum, id nunquam nanciſci potui. Vellem ſimiliter Franconicum & Suevicum

Suevicum & aliarum Germaniæ partium haberemus. Aliquando Dn. Abb. *Molano* ſuaſi, ut tributum indiceret noſtris paſtoribus ruralibus, cogeretque unumquemque certum numerum vocabulorum inferioris noſtræ Saxoniæ mittere, quæ alibi non facilè intelligerentur.

III. Vellem profectò adeſſent nobis quos memoras egregii Viri. Sed mors Sereniſſimi Ducis Cellenſis res veſtras noſtrasque, imminuta commercii inter aulas facilitate, non parum conturbavit. Faxit Deus ut animi concilientur communi bono. Dn. *Hoffmannus* Medicus Sereniſſimi Marchionis Ansbacenſis cum Domino ſuo nunc apud nos agit, & nuper mecum locutus eſt, Vir, ut apparet, egregius.

IV. Ne & ſtudioſi alii Wittebergam ſalutarent, mirarer novam prohibitionem factam, niſi illam Wittebergenſis nova quadam acerbitatis ſignificatione expreſſerunt. Sed vereor, ne Abbatem Bergenſem deceperint minæ, vel vanus aliquis rumor. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 14. *Sept.* 1705.

EPISTOLA LXXIV.

I. Meierus *non ſtudet* Fabricio. II. *Non edenda nimium multa ſcripta irenica.*

I. NOn ſatis memini an tuis per omnia reſponderim? Quod *Meierus* tibi minatur, ſpero effectu carituram, quanquam quum hic adeſſet, nihil tale erga me oſtenderit, alioqui tentaſſem ei eximere errorem. Velim ut aliquando quum ego adero, ad nos venias, & propiùs Sereniſſimo Electori innoteſcas. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 3. *Nov.* 1705.

II. *P. S.* Reſponſum Dn. *Jablonskio* adhuc debeo, ipſique Dn. *Urſino* Epiſcopo. Valde vellem non multiplicari libros de hoc argumento, quod attingunt in ſuis litteris. Neque enim ea res alium habet uſum, quàm quòd crabrones irritentur. Et ſi Dn. *Strimeſius* vult reſpondere omnibus, qui ſcriptis publicis Irenicos invadunt, infinita erit occupatio.

EPISTOLA LXXV.

I. De Launoii *libro de poteſtate regia in matrimonium. II. Lotharingicum matrimonium quibus controverſiis anſam dederit? III. De concionatoris Principem ſuum reprehendentis officio.*

I. ET Domino *Jablonskio* & Domino Epiſcopo ſcripſi crabrones tantùm ſcriptis irritari polemicis. Quod de Dn. *Tilemanno* Marpurg. Theologo ſignificaſti, perplacet. Præſentiam tuam hic gratam fore arbitror data occaſione excurrendi. Habemus hic *Launoii* librum, de poteſtate regia in matrimonium, itaque tuis juſſis erit paratus. Cæterùm *Ancillonium*, vel potiùs

eum, qui ex ejus ore aliquid, de hoc libro, retulit, errare puto. *Launoius* enim hoc libro ſcripſit, quæ menti ejus conſentanea ex aliis operibus ejus ſatis conſtat.

II. Quod Lotharingicum matrimonium attinet, res ita ſe habet. Vivente *Ludovico XIII.* & primo ejus Adminiſtro *Richelio* Dux Aurelianenſis Pater Regis aulæ offenſus, ignaro vel invito Rege duxit in conjugium *Margaretham* Principem Lotharingicam. Id matrimonium *Richelius* pro nullo haberi volebat, quia lex eſſet Galliæ, ut Principes ſanguinis invito Rege nuptias contrahere non poſſent. Ea de re integri libri ſunt ſcripti. Sed *Launoius* librum ſuum longè ſeriùs ſcripſit, quando de matrimonio Aurelianenſi non ampliùs agebatur, & tractavit quæſtionem generalem, utrum poteſtas ſecularis vel Regia poſſit lege civili conſtituere impedimentum dirimens? Eaque quæſtio in Gallia antiqua eſt, ex quo in Bleſenſibus Comitiis conſtitutum eſt, ut nulla eſſent matrimonia, invitis parentibus & aliis curam minorum habentibus, contracta. Talem legem fieri poſſe, Canoniſtæ & Moraliſtæ Itali plerique negant, Galli affirmant, quia materia ſacramenti matrimonii ſit contractus civilis, qui formam ſuam a lege civili accipiat. Itaque legem civilem tantùm remotè in ſacramentum operari. Hanc doctrinam etiam *Launoius* propugnavit. Liber tamen ejus relatus fuit in indicem prohibitorum.

III. Concionator quidem privatim Principem ſuum admonere poteſt, ſed publicè proſcindere non debet, quia ea res nocet reipublicæ, nec prodeſt Eccleſiæ. De Dn. *Wagenſeilii* morte plurimum doleo. Gratias ago pro Diſſertatione ingenioſa Gallica, de Anti-Chriſto, quam ego nondum videram. Sereniſſimo Duci puto non ingratam fore. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 20. *Novemb.* 1705.

EPISTOLA LXXVI.

I. Fabricius *cum* Tilemanno *de negotio irenico ſua conſociat conſilia.* II. *De regia in matrimonium poteſtate.* III. *De re irenica.* IV. *De* Antonii Ulrici *cum concionatoribus aulicis controverſia.*

I. PErutile erit, tuum cum Dn. *Tilemanno* commercium. Conſultum erit, ut cum Dn. Epiſcopo *Urſino* communicet, itaque illum hortare, quæſo, ut ad hunc ſcribat, & ſcribenda ſuppedita. Nam ſi Epiſcopus offendat Regi id, fructum epiſtola habebit. Vellem noſſe diſtinctiùs quid Dn. *Tilemannus* de Strimeſianis judicet? Ea enim diſcedunt, ut ſcis, a Dordracenis non tantùm in gratiæ univerſalis negotio, ſed & in doctrina de vera juſtificatione temporariorum. Ex Sereniſſimo Duce *Antonio* his feſtis diebus, quibus in ejus aula egi, intellexi, Dn. *Richterum* Conſiliarium intimum apud eum fuiſſe. Valde doleo, quòd nos prætervectus eſt.

II. *Launoii* librum de regia poteſtate in matrimonium tranſmittam. Olim juve-

juvenis, ante eum editum, in Gallia diſcuſſi hanc materiam, quum Sereniſſimus Dux Megalopolitanus *Chriſtianus Ludovicus* ſententiam meam expeteret ſuper matrimonio ſuo ſecundo, quod divortio cum cognata inædificarat; & poſtea, ſed ſerò, divortii pœnitentia ducebatur.

III. Cogito jam iter Berolinenſe. Significavit mihi Dn. *Jablonskius*, miſſurum te ipſi & *Strimeſio* ſcriptum, quod interſit tutò reddi: id a me afferri poſſe. Certè curabo diligenter. Tantùm ſuadeo, ne quid cum illis communices facile, quod ad rem Pontificiam pertineat, ſi qua in re alia tibi videntur, mone quæſo in tempore. Vidi ſcriptum Germanicum typis editum, pro eis, qui religionem noſtram cum Pontificia commutent, aut huic mutationi faveant, id mihi viſum eſt valde frigidum. Et miratus ſum admitti ab autore, quòd magis Pontificii noſtros damnent, quàm noſtri ipſos. Nam certum eſt, plerosque Pontificios non damnare hæreticos materiales. Quum te vidiſſe non dubitem, fac quæſo, ut judicium de eo tuum intelligam.

IV. Rectè Sereniſſimus Dux negotium cum ſuis Concionatoribus Aulicis ſine ſtrepitu & figura judicii finivit, illi quidem in publica correptione modum omnem prudentiæ non minùs, quàm æquitatis exceſſere. (*cc*) Quod ſupereſt, & vale in multos annos novo hoc felice inchoandos, & fave. *Dabam Hanover. 6. Januar.* 1706.

(*cc*) De concionatoribus illis aulicis, *Jo. Niecampio* & *M. Knoffio*, qui *Antonium Ulricum* Ducem Brunſvicenſem reprehendebant, quod licitam judicaret a religione evangelica ad pontificias ſuperſtitiones tranſitionem, longè aliter judicat celebert. *Johannes Frickius* in ſcripto cujus index: *Britannia rectiùs de Lutheranis edocta.* Etenim p. 20. *Nemo eſt*, inquit, *qui diffiteri audeat, liberè illos tum monendo, tum obſecrando obteſtandoque, publicè ac privatim quantum ſubſit periculi, pro eo ac decuerat, multoties demonſtraſſe. Quin & publicis utrinque ſcriptis innotuit, illos demum, ubi ſe parum omnino profeciſſe viderant, eo compulſos, ut Sereniſſimum obteſtarentur, ne conſcientiæ aut ipſorum, aut ſuæ vim inferret, ſacræ Euchariſtiæ communionem ab ipſorum manu poſcendo: quam ſanè (quod non ſine acerbo animi mœrore dicant) hac rerum facie miniſtrare non queant, nec alieni grandis peccati participes ſeſe reddere. Ambroſios ævi noſtri dixeris, quamquam multo adhuc circumſpectiùs atque modeſtiùs illo veteri Mediolanenſi præſule rem ſuam, ſeu potiùs rem Chriſti Domini ad Principem Chriſtianum agentes. Nimirum non in juriſdictionem tantillum involabant, nec pro judicibus ſe gerebant. Imò nihil tam anxiè in votis habebant, quàm ut res geſta omnis atque quæſtio ad judices non ſuſpectos deferretur. Quam ob rem & demiſſe licentiam petebant, ab Academia aliqua Sereniſſimo Principi non ſubjecta, aut etiam pluribus, ſi darentur, ſententiam rogandi. Hoc verò quum ἀνοσίημας negaretur; tum demum, quod, judice etiam* Hug. Grotio, *inter actus Paſtorum proprioc referri debet, ſuum duntaxat actum ſuſpendebant, non in actus alienos jus ullum dominii exercebant, velut medicus hydropico adſidens aquam poſcenti nocituram porrigere recuſat.* Merentur utique conferri Relationes innocuæ Anni 1708. p. 706. ſeq. ubiſcripta, quæ ad hanc controverſiam illuminandam faciunt, recenſentur. *K. N.*

EPISTOLA LXXVII.

Eccardo *Profeſſio Hiſtoriarum in Acad. Helmſtadienſi deſtinata.*

QUum literas tuas accepi, quibus ſpem adventûs facis, volebam ſcribere, & ſuadere, ut maturè huc venires ante diſceſſum meum, quem non diu differam, diſſimulatoque apud vos conſilio, Guelferbytum, atque inde huc ires; ita fortè in tranſitu poſſes aliquid diſcere, utile noſci: inter alia circa conſtituendas res veſtras, Seren. Dux mihi teſtatus eſt, non ingratum ſibi eſſe Dn. *Eccardi* nominationem ad Hiſtoriarum Profeſſionem, ſed tua commendatio plurimum adhuc poſſet, ne optima intentio Sereniſſimi Principis, ut ſæpe fit, avertatur. Sed hæc quidem pro commoditate tua conſtitues. Ego felix opto iter. *Hanov.* 15. *Jan.* 1706.

EPISTOLA LXXVIII.

In negotio Concionatorum aulicorum Guelpherb. nihil temerè publicandum.

QUid eſt, quod de redhoſtimento loqueris, quum ego toties uſus ſim beneficio tuo? Mallem in negotio Concionatorum Aulicorum Guelferbytanorum nihil prodire in lucem miniſterio typorum. Nam ſcheda ſchedam trudit, effreniſque ſcribendi licentia invaluit. Vidi ego jactatas mota face creſcere flammas, & vidi, nullo conantiente, mori. Hic plerarumque controverſiarum genius eſt. Puto Dn. Prof. *Eccard* nunc apud vos agere, & auſpicato adveniſſe. Huic peto ut incluſas reddi cures. Vale faveque. *Dabam Hanov.* 19. *Febr.* 1706.

EPISTOLA LXXIX.

De rebus irenicis.

CLauſulam illam ex menſali colloquio natam, &, quum de Pontificiis quæſtio eſſet, facilitatem Polyarcho nimiam viſam, pro certo comperi. Reſponſum ad clauſulam omnino conveniens arbitror. Theologorum eſt tam de veritate, quàm de momento ſententiam expromere; ſed negotia ad Rempublicam ſpectant, de quibus non contemnenda nobis polliceri poſſumus, ſi rectis conſiliis inſiſtatur, nec ſincerè minùs, quàm circumſpectè agatur. Quinam ex veſtris Francofurtum ablegabuntur? Vale faveque. *Hanov.* 13. *Apr.* 1706.

EPI-

EPISTOLA LXXX.

I. *Wtembergenſes ad Jubilæum Francofurtanum mittunt deputatos.* II. Reimannus *laudatur.*

I. GAudeo te ſalvum rediiſſe, nec dubito, quin omnia in itinere ex ſententia proceſſerint. Nullæ-ne aliæ Univerſitates ſtudiorum, quàm quas memoras, deputatos miſere? Wittebergenſes olim juratos Francofurtenſium adverſarios adveniſſe ſum miratus. Vellem inter eos Theologus eſſet aliquis, quocum colloqui placidè potuiſſent *Becmanus*, *Strimeſius* vel *Holtzfuſius*. Id quæſiſſe videntur hoc humanitatis officio, ut prohibitiones illæ ceſſent, quæ Wittebergenſibus multum nocuere. Licetne noſſe nomina omnium deputatorum, & ſi quæ alia memorabiliora in hac Jubilæi ſolennitate acta, quæ in typos non venere.

II. Ego quum abeſſes, ad vos excurrere coactus ſum, ſed diu morari non licuit, inde Halberſtadium quoque digreſſus ſum, eaque occaſione adii in vicinia Dn. *Reimannum* apud Ermeſlebienſes Paſt. Prim. virum doctum in hiſtoria & Theologia, & præterea Eccleſiaſten, ut audio, facundum & auditoribus acceptum. Doleo talem Virum latere propemodum rure: utinam ejus in mentem veniſſet tunc, quum Sereniſſimus Dux novos aulæ ſuæ Concionatores aſcivit, non potuiſſet eligi aptior. Eſt enim Vir inprimis cordatus, & a præjudiciis illis alienus, quæ Sereniſſimo Duci tantopere meritò diſplicent. Et velim conſilium tuum ſententiamque intelligere, an non fortaſſe futurum putes, ut aliquis ex iis, qui nunc in aula concionantur, aliquando id officium cum Superintendentia aliqua aut ſimili officio ſit commutaturus, quo huic Viro commendando locus fiat. Certè enim Guelferbyti eum aut Brunſvigæ collocari e re Principis, Eccleſiæque & litterarum foret. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 18. *Maii* 1706.

EPISTOLA LXXXI.

Reformati Fabricii *doctrinam & moderationem laudant.*

EX litteris *Jablonskianis* intellexi, quantum illic doctrinæ & moderationi tuæ tribuatur, id tibi nobisque gratulor, optoque, ut fructum inde capiat Eccleſia, quod in ipſis maximè Berolinenſibus ſitum judico. Nos enim egimus dudum, quæ oportet. A titulo illo in his regionibus ſic ſatis inſolito, ut in ſuperſcriptionibus literarum mearum abſtineas ſeriò peto. Doleo Dn. *Huckmanni* res Francofurti tam malè ſucceſſiſſe; Meliori fortuna dignus eſſet, ſi conſiliis amicorum uteretur. Cantabrigienſes deputati hic me inviſerunt. Vale faveque. *Dabam Hanov.* 28. *Maii* 1706.

Cl. *Reimannum* Dn. Abbas *Schmidius* novit & magni facit. Extant & ejus ſcripta complura, quæ is tibi indicabit.

EPISTOLA LXXXII.

I. *Irenici negotii conditio.* II. Leibnitius Reimanni *commodis conſulere annititur.*

I. SPerabam his te nundinis complecti, ſed variè fui diſtractus, præſertim quòd Rex Boruſſorum expectaretur, aliaque incidiſſent, Sereniſſimus autem Dux noſter diſceſſum ad balneum a Serpentibus cognominatum pararet. Optaſſem ego ex inſtante conjugio potuiſſe aliquod commodum parari rei eximiæ, quæ dudum agitata eſt, ſed ut video hominum animos eſſe, & vel præoccupationem, vel harum rerum incuriam, omnia ibunt via trita.

II. Quum Dn. Abbatis *Specchtii* obitus multis mutationibus inter Eccleſiaſticos locum dare poſſit, dum alii fortaſſe aliis promotis ſuccedent; optarem ego, locum poſſe Brunſvigæ vel Guelferbyti inveniri doctiſſimo noſtro *Reimanno* Rectori ante aliquot annos Halberſtadenſi, nunc Paſt. Prim. Emeſlebienſi, qui Dn. Abbati *Schmidio* eſt amicus & notiſſimus. Eum ubi noveris, intelliges prorſus ad palatum eſſe tuum: nec parvi momenti eſt, tales admoveri ſacris muneribus, qui prudentia ac doctrina eximii, vulgi affectibus erroribusque non teneantur. Quod ſupereſt, vale ac ſave. *Dabam* 31. *Aug.* 1706.

EPISTOLA LXXXIII.

Peterſenii *verſus & opus Apocataſtaſeos laudantur.*

GRatias ago, quòd me lætiſſimo nuntio beaſti. Multum inde boni ſpero in republica & Eccleſia. Quid ſi eum in pectore ſervet Sereniſſimus Dux, qui tanto applauſu nuper in ædicula Salzdahlemenſi peroravit? Eum ego virum aulæ illi non mediocriter gratularer, ſed dubitarem, an conſilium illi eſſet quietam ſtationem mutare ſplendidiore ſed laborioſiore? Intra paucos dies mihi in aulam Guelferbytanam eundum erit, quod adverſa valetudo hactenus impedierat. Utinam te illic invenirem! Ex litteris tuis non dijudico illinc an Helmſtadii ſcripſeris, nam datum, quod vocant, abeſt. Patrem quemdam Jeſuitam *Plecknerum* illuc venire aiunt. An tibi ille cognitus? *Peterſenianos* Verſus magna cum voluptate legi: explorata mihi erat eruditio Viri, ſed tantum ligato ſermone poſſe ignorabam. Mihi ſemper omnia ejus ſcriptâ mirificè placuere, etiam ubi non planè de veritate ſententiæ ſum perſuaſus. Magnum opus Apocataſtaſeos inprimis arriſit: legique cum voluptate & fructu. Itaque ego ipſe Recenſionis Autor fui ac concinnator, quam doctiſſimus *Eccardus* noſter ſuis relationibus Menſtruis Germanicis aliquando inſeruit. Etiam *Jo. Clericus* Vir doctiſſimus

huic

huic ſententiæ favet. Gaudeo quòd ſcribis eſſe me in aliquo pretio apud inſignem Virum. Cujus nomine libenter offeram, quæ mittet. Sereniſſima Electrix ejus aliquoties meminit honorificè. Quod ſupèreſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 14. *Oct.* 1706.

EPISTOLA LXXXIV.

Peterſenii *verſus laudantur.*

INtra paucos dies, Deo volente, apud vos ero, media ut ſpero ſeptimana ſequente vel paulo antè. Inde Berolinum pergam. Quia cerimoniis nuptialibus hic non adero, Dominum *Gargantium* Sereniſſimæ Electricis ipſius ſcitu rogavi, ut *Peterſenianos* tunc verſus ſanè pulcherrimos offerri curet. Dubitavi, an ea occaſione etiam offerendum eſſet ſcriptum Dn. *Theophili* in canticum Salomonis? Sed quia nec carmine ſcriptum, & merè latinum eſt, judicavi id fruſtra fore, interim gratias ago. *Peterſenio* inſigni viro mox ipſe ſcribam. Interea vale faveque. *Dab. Hanov.* 5. *Novembr.* 1706.

EPISTOLA LXXXV.

I. Peterſenii *laus.* II. Leibnitius *ſpectaculis non delectatur.*

I. QUæ commiſiſti rectè curata dudum haud dubiè intellexeris. Nunc ad te litteras egregii Viri Dn. *D. Peterſenii* mitto, quas hinc diſcedens mihi reliquit. Plurimum ejus ingenio & zelo ſum delectatus, vellemque magis frui colloquio potuiſſe.

II. Spectaculis plerisque & regiis voluptatibus intereſſe me oportuit magis, ne ſtoicus aut ſingularis viderer, quàm quòd iſtis utcunque eximiis magnificisque valde delecter. Interim ſic elabitur tempus, quod omnium rerum eſt pretioſiſſimum, nec quicquam agitur, quod magis agi interſit. Vale faveque. *Dabam Berolini* 14. *Decembr.* 1706.

EPISTOLA LXXXVI.

I. *De* Werneri *oratione panegyrica.* II. *De Regiomontano ſyncretiſmo.*

I. AMpliſſimi *Werneri* orationem panegyricam miſſu tuo rectè accepi, & exempla ſuis locis curavi, pro mihi deſtinato peto ei ut gratias meo nomine multas agas. Mallem Sereniſſimo Electori alio tempore, poſt reditum ſcilicet, quem felicem precamur, oblatum fuiſſet ſuum. Nunc enim diſtractiſſimum fuiſſe facilè intelligis. Curabo tamen ut aliquando memoria refricetur, & adminiſtris aurem vellam.

II. Quid ais, & quid aiunt alii de Regiomontano quodam privato, ut ſic

ſic dicam, ſyncretiſmo (*dd*) inter duos Paſtores in Orphanotropheo, quibus & Eccleſiam hujuſmodi ad unitatem perducere non difficile ſuit? Si *Myſlenta* aliquis ibi eſſet, quantos excitaret ſtrepitus. Quidam falsè nuper ad me dicebat non ubique Eccleſias ex orphanis conſiſtere. Reſpondi viciſſim per jocum, velle Dominum, ut fiamus inſtar infantum. Id me Epigrammatis componendi admonuit:

Vos queis *Calvinus* non conciliandus habetur &c.

Reliquum jam max. Rev. Dn. Abb. *Schmidio* mitto, qui tecum communicabit. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 2. *Sept.* 1707.

EPISTOLA LXXXVII.

Wernerus *laudatur.*

ITa inſtiti apud Dn. Miniſtros ſtatus, quibus Sereniſſimus Elector antè abitum rem ad preces meas commiſerat, ut quem vides faſciculum medallionum pro Ampliſſimo *Wernero* acceperim, cui me commendavi, & virum egregium, quem ut par colo, a me quàm officioſiſſimè ſalutari peto. Judicium ejus de variis meis, & præſertim de præfatione Codicis Juris gentium, qua juris univerſalis principia expoſui, pergratum aliquando erit. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Salzdaliæ* 14. *Sept.* 1707.

EPISTOLA LXXXVIII.

De commodis Academiæ Helmſtadienſis provehendis conſilium.

LIbenter intelligo inquiſitione in juvenem illum eruditum Philebræum *Theophilum* inſtituta, nihil repertum, quod ipſum vel alios gravaret. Ad decus Academiæ pertinebat hoc negotium. Multi queruntur Helmſtadium apud alios in odium invidiamque adduci, ob neſcio quas novitates. Sed apud Halenſes centuplo plures occurrunt, neque hoc tamen Academiæ nocet. Interim fatendum eſt, poſſe hac opinione (etſi erronea) impediri laudabile inſtitutum, quod olim in aulis noſtris agitabatur, de ſtudioſis harum regionum, in Eccleſiis & Scholis apud nos promotionem quærentibus, præſcribenda lege per aliquod temporis ſpatium operam litteris apud vos daturis. (*ee*) Nobiliſſimi *Werneri* pergratum fuiſſe zelum ex reſponſo reali ſatis apparet. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 22. *Octobr.* 1707.

P. S. Has

(*dd*) De Regiomontano ſyncretiſmo conf. *Relationes innocuæ* a. 1707. p. 401. ſ. & a. 1708. p. 111. ſ.

(*ee*) De hac ipſa lege a potentiſſ. Rege Britann. *Georgio* & a Seren. Ducibus Brunſvicenſ. *Auguſto Wilhelmo* & *Ludovico Rudolpho* anno 1724. & 1725. lata conf. *M. Henr. Jo. Bytemeiſteri* Commentar. de Auguſtæ domûs Brunſvico-Luneburgenſis meritis in rem litterariam p. 147. ſ. *K. N.*

P. S. Has jam ſcripſeram, quum tuas Wernerianaſque in illis accepi. Ampliſſimo *Wernero* reſpondeo, rogoque ut reſponſionem cures. An aliquid de literis Domini *Urſini* Epiſcopi Sereniſſimo Duci ſcriptis ad noſtros relatum ſit, nondum compertum habeo. De Regiomontano illo facto haud ſatis edoctus ſum hactenus, nec quicquam de eo novi, quàm quod ſcheda quædam edita in vulgus ſparſit. Ex ea non apparet, an Eccleſiæ etiam binæ orphanotrophii inter ſe communicarint, vel ſaltem aliqui ex ipſis, an verò Paſtores tantùm. Neque exprimitur, an permiſſione ſuperiorum aulæve, an proprio conſilio hæc egerint. Quanquam ego de permiſſione quadam, ſi non legali ſive ſolenni certè ſufficienti non dubitem. Imò ſuſpicer rem ipſis ſuggeſtam, quandoquidem non ab ipſo Epiſcopo commendatur. Quod ſi omnia privato auſu acta fuiſſent, haud facile alibi Conſiſtoriorum aut Collegiorum approbationem habitura eſſent. Ego optem, non paſtores tantùm, ſed & Eccleſias coire, nec privatim aut ſingulatim, ſed communi conſilio rem agi conficique, de quo non deſperem, ſi modò res, qua par eſt, ratione tractetur. Quinam *Zornius Frickiuſque* haud ſatis ſcio.

EPISTOLA LXXXIX.

De re irenica.

STatim poſt *Launoii* librum de jure Regio circa matrimonium, ad Bibliothecam Electoralem relatum, ſchedula tua lacerata eſt, ut adeo de nova petitione ſecurus eſſe poſſis. A ſereniſſimo Duce, quum nuper hic eſſet, intellexi conſultum a Rege Pruſſiæ vel potiùs ab Epiſcopo *Urſino* reſponſum dediſſe, quo ſe cauſæ favere oſtenderet. Sed ea de re ad noſtros nil eſt relatum: & intelligo apud Comitia in deliberationibus Evangelici corporis multos hæſiſſe ad tolerantiam illam mutuam, qua petitur, ut ubique permittatur ſubditis ſtruere templa alterutrius ritûs. Verbo dicam, conſilia ante aliquot annos data ſpernuntur, alia planè itur via, nondum præparatis animis. Quæ etſi compendioſior videatur, ægre exitum habebit. Quod ſupereſt, vale ſaveque. *Dabam Hanov.* 10. *Dec.* 1707.

EPISTOLA XC.

I. Schwertnerus *quis?* II. *De diverſis ſcriptis, quæ excudi merentur.*

I. IGnotus mihi erat ille, quem memoras *Schwertnerus* vel gladiator Orthodoxus. Patrem ejus fuiſſe ſuſpicor eum, qui me puero erat Profeſſor Lipſienſis, Philoſophus, poſtea ad, neſcio quam, Superintendentiam tranſlatus. Sereniſſimus Dux ſcribillatores facilè contemnit: ſed non æquè facilè talia a privatis contemta vindicantur. Præſtat tamen ſilere, quàm

irritare crabrones. Utinam vel nunquam ſcriptum fuiſſet, quale vulgo circumfertur judicium, vel nunquam cuiquam communicatum.

II. *Juvencum* Poëtam Chriſtianum recudi, *Octavii* etiam *Ferrarii* varia, tum *Launoium* de Regia poteſtate circa matrimonium, perutile erit. *Georgius Fabricius* olim poetas Chriſtianos veteres collegit. Nunc poſſet collectio eſſe multo auctior. Nam & Orientium nuper ampliorem nacti ſumus, & *Venantium Fortunatum Browerus* produxit, ut taceam alios. *Launoii* opera omnia vellem aliquis nobis daret. Complura enim hujus ſunt ſparſa opuſcula ſanè erudita. (*ff*) Ejus Epiſtolas Angli recenſuere. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 27. *Decemb.* 1707.

EPISTOLA XCI.

De monumento Lotharienſi.

INtelligo Sereniſſimum Ducem cogitare de monumento Regio Lutherano reſtituendo, id velim quàm proximè accedere ad formam antiqui. Itaque quum ſupereſſe putem in illo loco qui viderunt, ante paucos enim annos ruinam paſſum puto, (etſi longè antè a præfecto quodam generali, quos *Landroſtos* vocant, apertum ſit ſepulchrum) rogo ut inquirere velis apud ſenes loci, quæ fuerit forma, quis ſitus iconum *Lotharii* Imperatoris, *Rixae* Imperatricis & generi *Henrici* ſuperbi ducis? an ille ſceptrum coronamque geſtarit? an *Rixa* & ipſa coronata manu aliquid geſtarit, florem fortaſſe, quo ſitu Dux gladium geſtarit? Item an non Imperator fundator loci manu altera geſtarit templum, ut mos eſt fundatorum? Quodſi aliquis adeſſet, qui ruditer licèt delineare poſſet, aut delineari facere, quod olim vidit; tanto rectius omnia exprimerentur. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 6. *Jan.* 1708.

P. S. Audio eam formam, qua icones ſculptæ erant in lapide, picturam in tholo expreſſiſſe, quæ adeo ſuperſtes aliquamdiu fuit, etiam fractis iconibus, atque adeo ſupererunt, qui vel utrumque, vel certè alterum viderint.

EPISTOLA XCII.

I. *A negotio irenico nihil amplius expectat* Leibnitius. II. *De monumento Lotharienſi.*

I. NEque *Sinceri* Scriptum (*gg*) neque refutationem *oder Send-Schreiben* vidi; per Magiſtratum reprimenda eſſet quorundam hominum audacia. Sed intelligo *Schwertnerum*, quem memoras, aulam ſuam habere faven-

(*ff*) *Jo. Launoii* opera omnia in decem tomos in folio ann. 1731, Genevæ edita fuêre.

(*gg*) *Innocentii Deod. Sinceri Prüfung der* Profeſſionis Tridentinæ, *wie ſolche von der Durchlauchtigen Printzeſſin* Eliſabetha Chriſti-

faventem. A negotio Irenico, ut nunc eſt rerum habitus, nil amplius expecto. Ipſa ſe res aliquando conficiet.

II. Rem præclaram agis, dum reſtitutionem inſignis monumenti Regio-Lutherani curas. Vellem tamen, quantum pote, accedat, ad formam antiquam, etſi non fallendi poſteritatem animo. Nam è re erit, adjici inſcriptionem, quæ tempus reſtitutionis exprimat. Non ſufficit inſcriptionem poni in Tabula. In ipſo monumento extare conſultum puto, alioqui facilè deperibit. Repetatur ſi placet in tabula ex abundanti. De *Loeſchero* hic cogitari parum veriſimile eſt. Quod ſupereſt, vale ſaveque. *Dabam Hanov.* 28. *Januar.* 1708.

EPISTOLA XCIII.

De monumento Lothariano.

VIdeo me nondum, ut debebam, tibi remiſiſſe delineationem monumenti Lothariani, pro cujus communicatione gratias ago. *Rixæ* vultus paulo auſterior videtur, cætera non malus, & duo Principes *Lotharius* atque *Henricus* vultu, ni fallor, non ſatis variant, ſed hæc levicula mutatione, ſi opus videatur, facilè emendabuntur. Actio *Rixæ* tunicam tenentis & plicarum adſtrictio, quoque inde orta, quibuſdam diſplicuit. Cæterum in his maximè rebus quiſque pro guſtu captuque ſuo judicat. In ſumma ſatis elegans videtur idea. Gaudeo, quod nova Noribergenſis formula ſapientum virorum ſententia locum non invenit. Copia formularum laboramus. Elegans tua erit inſcriptio Fontis Lutherani. Ita variis modis tibi debebimus loci ornamenta. Quod ſupereſt, vale ſaveque. *Dabam Hanov.* 2. *Mart.* 1708.

EPISTOLA XCIV.

De differentia inter hæreticos materiales & formales.

FUit mihi nuper diſputatio inter colloquendum. Nam plerique putant noſtros a Pontificiis damnari. Ego contra diſſerebam, diſtingui ab iis hæreticos materiales & formales, & ab eadem diſtinctione etiam Proteſtantes non abhorrere. Habeo quidem nonnulla loca utriuſque partis, ſed plura velim diſcere beneficio tuo, nempe, tam a Pontificiis quàm Proteſtantibus non damnari niſi eos, qui fundamento ſalvo, malo animo, erro-

 res

Chriſtina *von Braunſchweig Lüneburg am* 1. *May* 1707. *zu Bamberg abgeleget worden* 1707. ſine mentione loci, quo typis impreſſa eſt, in 4to. prodiit, atque in Relationibus innocuis ſ. Diario Theologico cujus index: *Alt- und Neues* ann. 1707. p. 864. recenſetur. *K. N.*

res fovent (*hh*). Non puto a quoquam meliùs quàm a te talia poſſe nanciſci. Itaque ut mihi in ea re faveas peto. Præclarus eſt futurus ille liber, quem memoras, dignuſque qui edatur. Vale ac fave. *Dabam Hanoveræ* 30. *Martii* 1708.

EPISTOLA XCV.

De Reſponſo Theologorum Helmſtadienſium.

LIteras nuper accepi a D. *Baſnagio* Theologo apud Roterodamenſes ſcripta, celeberrimo fratre ejus qui operum eruditorum hiſtoriam diarii forma edit, quibus ex me deſiderant, quid veri inſit rumori de Helmſtadienſium Theologorum reſponſo, quod Trivultiani ſuo diario (*Mémoires de Trevoux*) etiam inſeruere, multumque ea de re jactant. Et quantum intelligo, in opere aliquo ſuo tangere & examinare ſcriptum, calumniamque a Proteſtantium Eccleſiis amoliri cogitat. Ego illi ſignificabo, a vobis uno ore, rejici & longè amoveri hoc ſcriptum, ſi quid tamen voles præterea monere una cum Dominis Collegis, exſpectabo monita. Circumſpectè enim reſpondendum erit, quum futurum augurer, ut, quæ reſpondebo, publicè compareant. Schedas tuas per hominem tibi notum & ad vos proficiſcentem ritè tibi redditas non dubito. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 4. *Sept.* 1708.

P. S. Addit ex Anglia aliiſque locis hac de re ad ſe ſcriptum eſſe, remque multum ſtrepitum excitare.

EPISTOLA XCVI.

De nimia indulgentia Helmſtadienſi Academiæ objecta.

AGitari aliquid, quale memoras, ex ipſo Sereniſſimo Duce intellexi. Ad eum res omnis redit, certe ipſo invito non fiet, nunc adeundum compellandumque cenſeo, nam mihi viſus eſt nihil dum conſtituiſſe. Proteſtationem nondum videram, & pro ea gratias ago. Rectè facit inclyta Facultas, quod a ſe removet, quæ in vulgus ad offenſam noſtrorum ſparſa ſunt. Sed video, pleroſque aliquid ampliùs poſtulaturos, nempe ut declaretur, non tantùm quid non ſentiat, ſed etiam quid ſentiat? Ea

(*hh*) De differentiâ quæ inter hæreticos formales & materiales intercedit, *Leibnitius* in Epiſtolis ad *Peliſſonium* datis (quæ in primo hujuſce collectionis volumine reperiuntur) diſputat. *Jo.* autem *Fabricius* mitiora Proteſtantium Doctorum de Pontificiis, & Pontificiorum de Proteſtantibus judicia collegit in *Conſideration.bus Controverſiarum, quæ inter Evangelicos & Romano-Catholicos Reformatoſque agitantur*, edit. ſecund. p. 157. ſeq. & 174. ſeq. *K. N.*

Fa declaratio, ſi ſtet intra limites *Calixti* & *Horneii*, excellentium virorum, & Principibus ſui temporis probatiſſimorum, facilè orthodoxorum allatrationes contemnet. Atque id erat, quod nuper dicebam, aliquo Apologetico opere opus videri, ad rem præſentem accommodato, & è re fore, ut loca parallela *Calixti* & *Horneii* adducantur. Ipſos Anglos turbatos fama nimiæ indulgentiæ & Epiſcopos quoſdam hoc non diſſimulaſſe intelligo, quod ad aulam noſtram relatum eſt, tanquam nocere poſſet. (*ii*) Vides, quo talia porrigantur *Sonnemanni* & ſimilium ſcripta, quamquam ut ab ipſis, non mala, inter noſtras tamen magis nocent.

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.

(*ii*) Quum ſereniſſima Princeps Brunſvicenſis *Eliſabetha Chriſtina*, anno 1707. pontificiam religionem deſerta Lutherana amplecteretur, judicium a Theologis Helmſtadienſibus de tranſitione a religione Lutherana ad pontificiam licita vel illicita? requiſitum eſt. Quid Theologi Helmſtadienſes tum ſtatuerint, quantum equidem memini, non ſatis conſtat. Prodiit tamen ſcriptum, cujus index: *Declaratio Helmſtadienſium Theologalium, de diſcrimine exili Lutheranam inter & Romanam Eccleſiam, tranſituque ad romanos ritus non illicito.* Quod, Coloniæ primum editum, deinde verò ſæpius recuſum, atque etiam Commentariis Trivoltianis (*Mémoires de Trevoux*) ann. 1708. p. 900. ſeqq. inſertum eſt. In illo non ſolùm pontificii errores conſulta opera defenduntur, atque ſtatuitur, diſſentium inter Lutheranos atque pontificios eſſe nullum, verùm etiam docetur, haud illicitum eſſe, miſſa facere Lutheranorum ſacra, & pontificiam religionem amplecti. Non poterat non hæc declaratio Proteſtantibus maximopere diſplicere; quorum principiis nihil magis quàm ea ipſa, adverſatur. Præcipuè autem Anglos Theologos de licita ab Evangelica ad Papæam religionem tranſitione opinatio offendebat. Qui interprete ſecretario Societatis de propaganda fide ad Theologos Lipſienſes, Ienenſes & Witembergenſes dederunt litteras, quæreudo inveſtigaturi, an omnia ita ſeſe haberent, quæ de Helmſtadienſium Theologorum cum pontificiis ſyncretiſmo in Anglia dicebantur? *Andreas* etiam *Snapius*, Theologus Cantabrigienſis, qui unà cum *Jo. Fabricio* Francofurtenſis Academiæ Jubilæo interfuerat, ad *Jo. Fabricium* eadem de cauſſa dabat epiſtolam. *Fabricius* enim præcipuus hujus Declarationis auctor habebatur. Sed nec defuere ſibi Helmſtadienſes Theologi, qui hanc ipſam Declarationem ſuam noluerunt agnoſcere. Sigillatim *Jo. Fabricius* in *epiſtola ad pios & eruditos Britannos* Helmſtadii 1708. 2. plag. in 4. edita publicè profitetur, Theologis Helmſtadienſibus & ſibi perperam *Declarationem* illam attribui. Idem in epiſtola ad A. S. h. e. *Andream Snapium* Doctorem Anglicanum data ſuam & Helmſtadienſium Theologorum famam tuetur, & refert, quid de tranſitu ab Evangelica religione ad pontificiam ſentiant. Non tulere hæ epiſtolæ Fabricianæ omnium Theologorum plauſum. Neque defuere, qui multa in iis deſiderarent. E quibus præter Theologos Tubingenſes, qui ſingulari ſcripto *Fabricio* contradixerunt, cel. *Jo. Frickium* nominaſſe ſufficiat, qui in epiſtolica diatribe ad *Thomam Ittigium*, cujus index: *Britannia rectius de Lutheranis edocta* Ulmæ 1709. ed. ex inſtituto id agit, ut *Fabricii* epiſtolas ad Britannos & ad *Snapium* datas impugnet. Id quod jam antea fecerat ſingulari ſcriptione ſub *Warmfridi* nomine edita, cujus index: *Reiſere Erörterung der Fragen ob unter der A. C. und Römiſchcatholiſchen Religion kein ſonderbahrer Unterſcheid ſey? wieder Jo. Fabricium* 1704. in 4. conf. *Relationes innocuæ* 1707. p. 335. & 1712. p. 528. K. N.

Reprehenſiones Pontificiorum inſtitutorum diſſimulandæ non ſunt, quemadmodum nec a *Calixto* ſunt diſſimulatæ. Aliud eſt, quid damnandum ſit, aliud quid ſuadendum, multa ferimus, quæ non conſulimus, & quæ, ſi per nos ſtaret, impediremus. Intereſt profectò Eccleſiæ proteſtantium autoritatem Academiæ Helmſtadienſis conſervari, quæ cæteris moderationis & prudentiæ Chriſtianæ facem præluxit. Nihil itaque omitti velim, quod in eam rem faciat. Opus autem eſt autoritate Principum, quæ nec deerit juſtiſſimæ cauſſæ; modo illi rem probè cognoſcant, quæ etiam ad ipſorum decus & utilitatem pertinet. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 17. *Sept.* 1708.

EPISTOLA XCVII.

De Helmſtadienſium Theologorum Reſponſo.

ETſi vulgi ſermone celebretur; non eſſe ſapientis dicere, non putabam; Ego tamen non putabam, tibi reſponderi potuiſſe injuſtum eſſe proceſſum, ſed tamen ferendum. Video non plus tibi quàm aliis objici poſſe, planeque duorum aliorum reſponſa tuis conſentire. Interea omnino ſentio, reſponſa hujuſmodi ad ſecundam præſertim quæſtionem ſummo ſtudio ſupprimenda eſſe, nec ſine maxima offenſione publicari poſſe. Nam quæ ad primam dicta ſunt, nil habent, quod non a multis noſtrorum publicè dictum comprobatumque ſit, ſecundæ autem quæſtionis affirmatio (quantum ſcio) apud Proteſtantes Theologos ſine exemplo eſt. (*kk*) Apud Anglos Theologos magna facta eſt rerum converſio inde ab expulſione *Jacobi II.* Nam quæ olim *Guilielmus Forbeſius* docuit, ea omnia pauciſſimi hodie probabunt, nec niſi ſuſpecti Papiſmi vel certè nimiæ ad Papatum inclinationis. Ipſi Epiſcopi plerique hodie non admodum Epiſcopales habentur, a Presbyterianorum ſententiis multo minùs quàm olim recedunt. Archiepiſcopi Cantuarienſis Epiſcopalitas pene per ironiam in proverbium abiit. Adeo quidam eſt ſententiarum fluxus & refluxus. Memineris in tuis literis Reſponſi cujuſdam *Friderici Ulrici Calixti* veſtris ὁμοψήφου, id quando aut qua occaſione datum ſit noſſe velim. Rectiſſimè facitis, quòd rejicitis & a vobis profecta negatis, quæ vobis invitis non niſi interpolata prodiere. Dicis, talis facti exempla haberi in *Calixto*, *Conringio*, *Muſæo*, *Hackſpanio* & aliis, quæ qualia ſint, quum ad hiſtoriam noſtræ Eccleſiæ pertineant, noſſe itidem deſidero. Quæ communicaſti ſtatim, ut jubes, remitto, ſcribit mihi quidam Lipſiæ, ſermonem illic eſſe de *Lyſero* noſtro ad

(*kk*) In *Declaratione*; quæ Theologis Helmſtadienſibus tribuitur, ad duas reſpondetur quæſtiones. Prior eſt, an diſſenſio inter pontificios & Evangelicos ſit fundamentalis. Poſterior, utrum licita ſit a religione Evangelica ad pontificiam tranſitio? *K. N.*

ad ſupremi concionatoris aulici munus Dreſdam vocando. Dubito tamen, an rumor veritate nitatur? Quod ſupereſt, vale ſaveque. *Dabam Hanoveræ* 22. *Sept.* 1708.

P. S. Etſi reſponſum tibi ſit, quod dicis, ego tamen non deſperaverim de temperatione rei. Has reddet tibi notus, qui apud Dn. Conſil. Aul. *Hattorf* diu egit, nunc Halas Ienamque profecturus, ubi aliquamdiu aget.

EPISTOLA XCVIII.

De Snapii *ad* Fabricium *de Reſponſo Theologorum Helmſtadienſium litteris.*

MAlitia hominum magis magiſque inflat follem calumniæ contra Facultatem Theologicam veſtram. Mitto ecce, quæ miſit Dn. *Jablonskius* literas *Snapii* ad te datas Londino; quibus ipſe *Jablonskius* ad me ſcribens addit: novellis publicis aut ſimili libello circumforaneo inſertum eſſe illud, quod vobis imputatur reſponſum. Quod haud dubiè maligno conſilio eorum factum eſt, qui domui Brunſvicenſi inimici ſunt, ſucceſſionemque ei delatam convellere vellent, ſparſa in vulgus opinione quaſi religionem parum curaret, quia ampliùs eadem ſeptimana accepi litteras *Baſnagii* Theologi Roterodamenſis per inſignia opera celebris, (cujus Frater Dn. *Beauval* hiſtoriam operum eruditorum diarii forma edit) quibus a me quærit, quid de fama illa vobis adverſa ſit ſentiendum? Nam ex Gallia Angliaque ad ſe ea de re ſcribi, & omnino retundendam eſſe pontificiorum jactationem. Itaque rogo, ut cum Dominis Collegis *Schmidio* & *Wideburgio*, viris inſignibus, ea de re communices, & mihi ſententiam veſtram perſcribas. Et quod *Snapio* reſponſurus es prius (ſi placet) mihi legendum præbeas, res enim non parvi eſt momenti. Ego quid *Baſnagio* reſponſurus ſim, etiam vobis mittam. Nunc Tabellarius non expectat. Vale ſaveque. *Dabam Han.* 9. *Octobr.* 1708.

EPISTOLA XCIX.

De Reſponſo quod Theologis Helmſtadienſibus tribuitur.

GAudeo *Jablonskium*, *Hardtium*, & te quoque ipſum liberatos ſollicitudine de Codice Hebraico. *Carolus Ludovicus* Elector Palatinus Theologos ſuos non conſuluit. *F. V. Calixtum* & Ienenſem *Goezium* talia reſpondiſſe ignoravi. Loqueris quaſi reſponſa eorum edita eſſent. Licetne videre? Saltem Sereniſſimus Dux facilè ea procurabit. Non poteſtis nimis rejicere ſcriptum illud infelix: rejicimus aliquid etiam ob partem, ob formam, ob circumſtantias. Rectè feciſti, quod Hanoveræ de Anglicano Novellatore queſtus es. Rectè facies atque ordine (meo judicio) ſi petas (niſi petiiſti) ut cogatur novellator ille per retractationis modum veſtram proteſtatio-

Digitized by Google

teſtationem ſuis inſerere Novellis, aliaque addere, quæ in rem videbuntur. Apud *Baſnagium* quoque ſimplex rejectio & proteſtatio e re erit. Nec dubito vos omnes agnoviſſe, pro parte etiam monuiſſe, magnos in Eccleſia Romana abuſus regnare, nec periculo vacantes; etſi a Romanenſis communionis homine accedente Dei gratia vitari illa pericula, ſalutemque obtineri nihil prohibeat; fundamento ſalvo. (*ll*) In hunc ſenſum paſſim noſtros loquutos conſtat; & in his inprimis *Georgium Calixtum*, qui etſi præ cæteris urſerit, fundamentum Romanis ſalvum eſſe, non eo minùs tamen Romanos errores abuſuſque acriter coarguit. Ita vos quoque vel loquutos vel certè ſenſiſſe credendum dicendumque eſt. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 11. *Octobr.* 1708.

EPISTOLA C.

De epiſtolis Fabricii *ad Britannos &* Andr. Snapium.

Literæ ad *Snapium* placent: defenſio ad Britannos non æquè ſatisfaciet. Nam pleriſque (ni fallor) videbitur, non ſufficere interpolatum aut deformatum dici ſcriptum & invito autore editum &c. aut allegari eum, cujus nutus pro imperio eſt. Nec *Calixti* & *Horneii* ſcripta favent per omnia; qui ad quæſtionem ſecundam affirmativè non reſpondiſſent. Nec apparet, mirificum in dogmate inter vos omnes fuiſſe conſenſum. Epiſcopi Angliæ hodierni plerique planè alieni ſunt a *Wilh. Laſdi* & *Wilh. Forbeſii* ſententiis, quæ hodie vix niſi Jacobitis placere creduntur. *Parkerus* habitus eſt Papiſmi ſuſpectiſſimus & aulæ nimis obſequens ſub *Jacobo II.* Horum ergo citatio magis noceret. Putem ego quædam literis ad *Snapium* addi poſſe, quædam detrahi, ipſumque rogandum, ut communicet eas cum amicis;

(*ll*) Quum *Leibnitius* h. l. defendat, in pontificia doctrina ſalvum eſſe fundamentum fidei, tantùm negare videtur ejuſmodi fundamentales errores in Eccleſia Papæa doceri, qui non poſſint non evertere fidem eorum, qui errores iſtos fovent. In hac ipſa enim epiſtola profitetur in pontificia doctrina inveniri errores periculi pleniſſimos, quos & nonnulli fundamentales appellare ſolent. Mihi animus non eſt hanc ipſam viri ſummi opinationem meam facere & data opera propugnare. Diſſiteri enim nequeo mihi utique nonnullos pontificios errores ita comparatos eſſe videri, ut eorum, qui ſeriò eoſdem amplectuntur, fidem non poſſint non evertere & nervos omnes veræ pietatis elidere. e. g. ad concilii Tridentini de ſacrificio miſſatico ſententiam provoco. ſeſſ. enim XXII. Concilii Tridentini can. III. p. m. 160. *Si quis dixerit*, inquiunt Tridentini Patres, *Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit.* Quodſi ſacrificii miſſatici beneficio eadem ratione qua demortuis nobis conceduntur peccata; poſſumus ex opere operato remiſſionem peccatorum conſequi. Quid igitur opus eſt ſeria pœnitentia, quæ tamen niſi antecedat, fides in JESUM CHRISTUM veri nominis ſequi nullo modo poteſt. conf. *Formula Concordiæ* p. 591. *K. N.*

amicis; quædam in iis omnibus v. g. verba (ſed quis ſcit, an non &c.) uſque ad verba (atque eſto murus). Ad verba: quamvis nec Pontificii errent in fundamento, omitterem notam marginalem, quæ ſub finem ſcribis de corvis Eliæ in ſchedam ſeparatam inſtar P. S. conjicerem. Hoc ipſo momento novellas manuſcriptas video ex Batavis miſſas, in quibus lego hæc verba: *l'Archevêque de Cantorberi n'eſt pas content de la déclaration de l'Univerſité de Helmſtadt, puiſqu'elle ne contient pas qu'elle abhorre le Papiſme.* Adduntur alia adhuc duriora. Hoc mihi (fateor) viſum ſemper eſt, proteſtationem veſtram non ſufficere; quia dicit ſolùm, quid non feceritis, non quid ſentiatis. Epiſtola tua ad *Snapium* magis in rem eſt, quàm ubi revideris etiam *Baſnagio* mittam. Ego hac libertate uſus ſum, ut quædam allinerem, quædam delerem, tuo rem judicio relinquens. Sed rogo, ut mihi ſchedam ipſam tui ad *Snapium* conceptus remittas, quo eam deſtinam ob illita: qui fortaſſe hinc Brunſvigam mox proficiſcar, rogo ut literas mihi deſtinatas Domino Magiſtro poſtæ Sereniſſimæ Domus *Polichio* commendes, in ſuperſcriptione ſervandas dum petam. Abſurdum quidem argumentum a reſponſo veſtro ad ſucceſſionem Hanoveranam ſumeretur, ſed ſcis apud imperitos, quale eſt omne vulgus, & latè interdum vulgus porrigitur, interdum & abſurdiora valere. Omne noſtrum in Britanniam jus in religionis Romanæ excluſione odioque fundatum eſt. Itaque meritò fugienda ſunt, quibus in Romanenſes tepidi videremur. In litteris ad *Snapium* inter alia delevi vocem *promiſcuo*, quum repellis calumniam, quaſi reſponſum de licito promiſcuo ad Romanenſes tranſitu dediſſetis. Nam ex tam reſtricta negatione inferetur argumento a contrario ſenſu: Vos ſaltem de licito Principis nunc Reginæ tranſitu reſpondiſſe, quod non factum arbitror, nec concedendum. Neque enim is niſi ex jure conſcientiæ erroneæ excuſari poteſt, quod non eſt ſimpliciter rem licitam declarare. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Hanov.* 15. *Octobr.* 1708.

EPISTOLA CI.

I. De epiſtola ad Britannos. II. Fabricio *e numero Theologiæ Profeſſorum excluſo Ephoria deſtinatur.*

I. OPtimè factum puto, quòd tuas *Snapio* deſtinatas ad *Jablonskium* miſiſti. Itaque alteras ad me miſſas reſtituo. Redit & ad Britannos Epiſtola, qua ſuperſederi malim. Temporibus *Jacobi I. Caroli I.* florentis, *Caroli II. Jacobi II.* ſcribi fortè poterat. Nunc alius eſt Theologis ipſis Epiſcopalibus habitus animorum, & ut nuper notavi, *Guil. Forbeſius* & *Parkerus*, quos citas, parum ipſis probantur.

II. Sereniſſimus Dux mihi dixit nihil emolumentis tuis detractum iri, & credendam tibi pro exercitio profeſſionis aliam curam utilem, nempe Ephoriam. De quo lætor. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Brunſvigæ* 3. *Novembr.* 1708.

EPISTOLA CII.

I. De manducatione indignorum. II. Eccardi *ſcriptum contra* Imhofium *improbatur.*

I. GAudeo te valere & mei meminiſſe, pro munere recuſæ diſſertationis de peccato Infantum celeberrimi *Zeidleri*, quæ mihi docta & ſolida videtur, gratias ago. De epiſtola illa Principis, rem ut geſta fuit intellexiſſe gratum eſt. Quæſtio de manducatione indignorum non magni eſt momenti, ſed ſolent plerique omnia ad formulas exigere, ut, ſi quis Theologus inde latum unguem diſcedat, ſtatim periclitetur. Dn. *Langii* viri docti, ut audio, & boni vicem doleo.

II. Dn. *Eccardus* me planè ignaro, addo & invito, programma ſuum contra *Imhofium*, virum inſignem publicavit. Maluiſſem ſaltem ejus nomine abſtinuiſſet, præſertim, quum non tam ſuam feciſſet ſententiam, quàm fide ſcriptoris Itali prodidiſſet, ut ipſe olim in literis ad me ſcriptis teſtatus eſt. Itaque nolim putet programma me conſcio ſcriptum; velimque hoc ipſi innoteſcere. Quod ſupereſt, vale faveque. *Dabam Han.* 13. *Jan.* 1710.

EPISTOLA CIII.

I. Ferrarii *laus.* II. *De ſcriptis occaſione Reſponſi Theolog. Helmſtad. editis.* III. Fabricius *hiſtoriam Theologiæ litterariam illuminare ſtudet.* IV. *De P.* Longi *Bibliotheca ſcripturaria.* V. *De ſcholarum emendatione cogitat* Fabricius. VI. *Compendia diſciplinarum philoſophicarum deſiderantur.*

I. OCtavii *Ferrarii* opera doctrinæ & elegantiæ plena collecta proſtare, reipublicæ literariæ intereſt. Judicia eruditorum, quibus commendetur lectoribus, nec neceſſaria, & quæ jam habes ſufficientia ſunt. Ego talia ſuppeditare non poſſum, haud ſolitus obſervare, niſi quæ prodeſſe poſſe arbitrer, obrutus alioqui multitudine & varietate lectionis. Malim notari, quæ ad vitam viri pertinent.

II. Vidi collectanea quædam Gallicè in Batavis edita, de jactata Helmſtadienſium declaratione, quæ etſi tolerabiliora viſa ſint iis, quæ alias ſparſa vidi, non carent tamen nævis; quorum nonnulla & mihi occurrerunt. Bono conſilio ſcripſiſſe videtur autor, ut Pontificiorum gloriationes retunderentur, ſed debebat cum Helmſtadienſibus communicare, & tecum inprimis, antequam talia ederet. Suſpicor autorem eſſe *Baſnagium* Theologum Roterodamenſem. (*mm*) Nam is aliquando literis ſcriptis me de hoc negotio in-

(*mm*) Conf. ep. CV. ubi *Leibnitius* ſcriptum, quo Gallicæ Commemorationes, de quibus hac epiſtola verba facit, pertringuntur, *Baſnagio* tribuit. Mutavit igitur ſententiam ſuam, quam h. l profert. Neque etiam videntur graviſſimi errores, quos hac ipſa epiſtola recenſet, doctiſſimo *Baſnagio* poſſe adſcribi.

interrogavit. Reſcripſi vobis injuriam fieri. Quinam eſſent *Walenburgii*, non intellexit, putavitque, eſſe cives cujuſdam oppiduli Walenburg, prope Baſileam. Puto tibi viſum, quæ quidam Lovanienſis Dominicanus, dictus *Thomas des Jardins*, contra illam vobis imputatam declarationem ſcripſit contrario planè conſilio. Nam veretur, ne ſententia, quæ negat diſſenſum eſſe fundamentalem apud Pontificios, plauſum inveniat, unde damnum Eccleſiæ ſuæ ominatur. Quum ergo idem ſuæ vereantur Zelotæ noſtri, ego compenſandos metus eſſe judico, neque hinc alterutri parti damnum, niſi per accidens, naſci poſſe.

III. Rem præclaram facies, ſi per otium hiſtoriam literariam Theologiæ exornare voles. Id enim nemo te melius poſſit. Suffecerit recentiorem, i. e. a Reformationis tempore tibi curæ eſſe. Nam Scholaſticæ Theologiæ hiſtoriam condi alius fuerit labor.

IV. P. *Longus* ex oratorii Pariſini congregatione molitur bibliothecam ſcripturariam. Specimen jam edidit de editionibus bibiicis, in eo opere viros omnes doctos paucis exhibebit, qui in ſcriptura ſacra illuſtranda operam poſuere. Catalogum confecit pro Germanis peculiarem, & ad me miſit, ut corrigatur & ſuppleatur. Habuere eum in manibus *Joannes Fridr. Mayerus*, & *Polycarpus Lyſerus*, & paſſim emendarunt & auxerunt, ſed non dubito, quin plura a te addi poſſint atque admoneri. Itaque afferam mecum quamprimum Helmſtadium adibo & in complures ſeptimanas tibi relinquam, fortaſſe & Dn. Abbas *Schmidius* & Dn. *de Hardt* aliquid utile conferre poterunt. Sed opus eſt ut manuſcriptum antè proximæ quadrageſimæ decurſum recipiam; quo ad nundinas Francofurtenſes mittere poſſim, unde Lugdunum deferetur. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 21. *Nov.* 1710.

V. *P. S.* Utiliter a te cogitari intelligo de emendatione ſcholarum. Video paſſim deeſſe ſcholis bonos doctores, qui Latinè Græceque ſint docti, ut par eſt, adeo jam ſuperficiarium quoddam docendi genus invaluit.

VI. Deſunt nobis hodie bona compendia Logices, Phyſices, aliarumque partium philoſophiæ, ne quid de Matheſis partibus dicam, de quibus non malè nuper *Wolfius* amicus meus Halis Saxonum etſi Germanica lingua meritus eſt.

EPISTOLA CIV.

Errores recenſentur, quos Leibnitius *in Gallicis quibuſdam* Mémoires *deprehendit.*

NUperas meas rectè redditas puto. Quum nuper libellum Gallicum ad veſtra pertinentem percurriſſem, hæc feſtinans notavi, quæ mitto hic & remitti peto, ſi alios notaveris errores, eos noſſe gratum erit. Miror Cacoethes ſcribendi de rebus non bene exploratis. Spero quamprimum ire Guelferbytum, atque inde ad vos excurrere, ſeptimana fortaſſe ſequente.

Ibidem quibuſdam non ingratis colloquendi occaſio erit. Quod ſupereſt; vale & fave. *Dabam Hanov.* 28. *Nov.* 1710.

Dn. *Leibnitii* judicium.

Je ſouhaiterois, que l'Auteur des mémoires ſur la prétendue déclaration de l'Univerſité de Helmſtadt eût conſulté encore plus qu'il n'a fait, les perſonnes informées, pour éviter quelques erreurs de fait.

Pag. 8. Ce fut l'Electeur Palatin en perſonne, qui ſollicita la Princeſſe d'*Ansbach* à la Cour de Weiſſenfels, où ils ſe rencontrérent, ſon Confeſſeur *P. Urban* la ſuivit à Berlin. C'étoit un homme qui avoit de l'habileté & de la modération, déclarant même, qu'on ne condamnoit point les Proteſtans quand l'erreur étoit ſans malice. Mais la Princeſſe, bien inſtruite de la Religion, réſiſta à ſes inſinuations. Celui qui alla à Wolffenbüttel, ne fut point le même, mais tout un autre, qui a ſuivi la Princeſſe en Eſpagne. Mr. *Löſcher* n'eſt point Docteur de Leipſig (comme il eſt dit p. 60.) mais de Wittenberg, & M. *Schwerdtner* eſt un Surintendant dans la Saxe. M. *Edzardi* de Hambourg, n'eſt point Docteur, que je ſache. Son trop de zèle contre les Reformés a été deſapprouvé par une lettre, que le *Corpus Evangelicum* a écrite au Magiſtrat de la ville.

Il eſt dit p. 83. que Mr. *Molanus* a été Profeſſeur en Théologie à Erneſt. *At Acad. Rinthelienſis Erneſtina vocatur* à cauſe de ſon fondateur. Ayant nommé Meſſ. *de Walenbourg* p. 169. on fait une note à la marge, qui ne vient nullement au fait; & en diſant, que Wallenbourg eſt une petite ville près de Baſle, il ſemble qu'on a cru, que c'étoient les gens de cette ville, qui avoient écrit pour la religion Romaine. Mais *Adrian* & *Pierre de Walenbourg* étoient deux fréres, Hollandois de naiſſance, de la religion Romaine, l'un Suffragant à Cologne, l'autre à Mayence, qui écrivoient en commun des livres de controverſe contre les Proteſtans.

P. 177. Choſe erronée, comme ſi Monſeigneur le Duc avoit eu deſſein d'aller à Bamberg, pour y faire profeſſion de foi le vendredi ſaint.

EPISTOLA CV.

I. *De* Octavio Ferrario. II. *De Reſponſo Theologico Helmſtadienſi.*

I. VIx reliqui Helmſtadium veſtrum, humaniſſimæ conſuetudinis tuæ velut ſale conditum, quum domi novam referendæ tibi gratiæ materiam inveni. Aperto enim faſciculo, quo jucundiſſimum tuum munus, *Ferrarius*, involvebatur, pene ad lectionem ejus velut ad Sirenum ſcopulos obhæſi. Bonam partem videram olim, ſed poſt tot annos redit novitas antiquis. Et eſt lætum viro ac floridum dicendi genus, medium inter oratorem & poëtam, quod rapit animum, nec facilè lectorem dimittit. Itaque vi opus fuit, ut mihi redderer negotiisque. Nec diſtuli ad te ſcribere, ut intelligeres, quàm avidè guſtarim has dapes, & quam ægrè reliquerim. Inoffi-

Inofficioſum mihi teſtamentum videtur, quo labores ſuos poſthumos reipublicæ negavit. Quin ipſum crediderim, hæc ſuprema mandata ſua ſervari non ſatis voluiſſe. Alioqui cur reliquit libros in ſcriniis, cur non certiore vetandi genere flammis abolevit? Miror tam pauca & tam perfunctoria inſignis viri elogia haberi. Nam ſi multa alia extarent, facile *Magliabecchus* ſuggeſſiſſet. Quum alieni hodie ſint Itali ab his elegantiis, id maximè arguit, quod non ſatis agnoſcere videntur, quantum in *Ferrario* amiſerint.

II. Gratias etiam ago pro libello, quod Gallicas commemorationes Helmſtadienſis cauſſæ perſtrinxit. (*nn*) Meretur veniam benevola in Julios mens ſcriptoris, quiſquis fuit, *Baſnagium* fuiſſe ſuſpicor, ſed tamen reipublicæ intererat vindicari veritatem. Unum obſervo, Rinthelenſem Academiam non ab *Erneſto* Haſſo, ſed ab *Erneſto* Schaumburgico fundatore Erneſtinam dici. Nam Schaumburgiis demum extinctis locus ad Haſſos devenit. Quid porrò moliare (neque enim inerti otio tempus fallis) ſemper diſcere gratum erit. Ex *Overbeckio* intelligo utilia a te agitari ad rei ſcholaſticæ emendationem. Vale faveque. *Dabam Hanov.* 26. *Jan.* 1711.

P. S. Nihil intellexi hactenus de morte *Clerici*, quam nollem. *Leta*, uxoris ejus ſoror, *Leti* Itali filia, quæ aliquamdiu apud Dn. *Kielmannſeckiam* egit, dudum ad Batavos rediit.

EPISTOLA CVI.

I. Peterſenius *laudatur*. II. *De carmine epico de vita æterna conficiendo* Leibnitii *conſilium*. III. *De Baſnagii dialogis Gallicis de controverſiis cum pontificiis*.

I. GRatias tibi multas ago, quòd pulcherrimum Carmen *Peterſenianum* ad me miſiſti: ago etiam per te auctori, viro planè inſigni, Theologo profundo ſimul & poëtæ mirifico. Ego enim, etſi non ubique aſſentiar, meditationes tamen ejus magnifacio.

II. Sæpe mecum cogitavi, a nemine meliùs, quàm ab ipſo Carmen Uranium vel potiùs titulo Uraniados condi poſſe, quod juſto opere, ad Virgilianam menſuram, civitatem Dei & vitam æternam celebraret. Incipiendum eſſet a Coſmogonia & Paradiſo, quæ librum primum vel primum & ſecundum complecterentur. Tertius, quartus, quintus, ſi ita videretur, darent lapſum *Adami* & redemtionem generis humani per *Chriſtum*, & Hiſtoriam Eccleſiæ perſtringerent. Inde poëtæ ego certè facilè permitterem libro ſexto deſcriptionem regni millenarii, & ſeptimo irruen-

(*nn*) *Leibnitius* h. l. procul dubio verba facit de *A. Candidi judicio de memorabilibus Declarationem Helmſtadienſem concernentibus*, quod Lipſ. 1710. prodiit & in *relationibus innocuis* 1711. p. 372. recenſitum eſt. *K. N.*

tem cum *Gogo Magogoque*, everſumque tandem divini oris ſpiritu, Antichriſtum. Tum octavo haberemus diem judicii, pœnasque damnatorum; nono autem, decimo & undecimo felicitatem Beatorum magnitudinemque & pulchritudinem Civitatis Dei & felicium habitationis diſcuſſationesque per immenſa univerſi ſpatia ad luſtranda mirifica opera Dei; accederet & deſcriptio ipſius Regiæ cœleſtis. Duodecimus concluderet omnia per ἀποκατάστασιν πάντων, malis ipſis emendatis & ad felicitatem Deumque reductis, Deo jam omnia in omnibus ſine exceptione agente. Hæc commodè ingrederetur ſuo paſſim loco ſublimior quædam philoſophia Theologiæ myſticæ miſta, ubi de rerum fontibus ageretur, ad *Lucretii*, *Vidæ* & *Fracaſtorii* modum. Et poëtæ indulgerentur, quæ difficilius ferrentur in dogmatiſta. Tale opus immortalem præſtaret auctorem & mirifici usûs eſſe poſſet ad animos hominum movendos ſpe meliorum, & verioris pietatis igniculos ſuſcitandos. Hæc a te ingeri Viro optem, cum efficacibus hortamentis. Vale & fave. *Dabam Brunſvigæ* 3. *Sept.* 1711.

III. *P. S.* Videris, opinor, dialogos a *Baſnagio* nuper Gallicè ſcriptos de controverſiis cum pontificiis, ubi inter alia renovat altercationes de mutatione Reginæ Hiſpaniæ & ſemper apocryphis quibuſdam narrationibus inhæret, qualis illa eſt, quod Princeps, quum Bambergam veniſſet, ad inexſpectatam abjurationem adacta fuerit, & quod Theologi quidam noſtrates eam eouſque ſint aſſectati; quæ omnia falſa puto.

EPISTOLA CVII.

I. *De* Magliabecco. II. *Diario Veneto.* *Et* III. *Icone Leibnitiana.*

I. QUum nuper reſpõnderem, nec literæ tuæ ad manus eſſent, oblitus ſum quædam attingere, quæ illis continebantur. *Magliabeccus* etiam mihi ſcripſit eamdemque querelam attingit de oculorum morbo, quo laborat.

II. Diarii Eruditorum Veneti novi non niſi initia vidi. Erant non mala.

III. Iconis meæ, juſſu Reginæ Boruſſiæ æri inſculptæ atque inde expreſſæ, fixo ut bina exempla accipias, ſi tanti videtur. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 7. *Sept.* 1711.

EPISTOLA CVIII.

I. Petrus *Ruſſorum Imperator laudatur.* *II. De* Gomezii de Pereira *Margarita Antoniana.* *III. De* Peterſenii *Opere Uraniados & aliis.*

I. TOrgaviam uſque excurri, non tam, ut ſolennia nuptiarum, quàm ut magnum Ruſſorum Czarem ſpectarem, nec pœnitet. Sunt enim ingentes magni Principis virtutes. Curabit, me hortante, ut obſervationes declinationis magneticæ per vaſtum ejus imperium inſtituantur. Olim *Volcamerus*

eamerus Noribergæ & *Sturmius* Altorfi idem urgebant, & peculiares ea de re ſchedas ediderant. Has credo, mihi facilè procurabit favor tuus. Vidi olim & fortaſſe etiam habui, ſed nunc non reperio. *Godefridus Thomaſius* vir inſignis, apud Noribergenſes Medicus, *Volcameri*, ni fallor, gener, talia, credo, ſuppeditare poterit. Creditur ad ipſum quoque perveniſſe liber, quem *Gledituſchius* Lipſiæ habuit, ſed cùm peterem jam vendiderat.

II. Eſt cujuſdam Medici Hiſpani *Gomezii de Pereira* Margarita Antoniana. Multa is habet paradoxa, & cùm patrem haberet *Antonium*, matrem *Margaritam*, pene ridiculè titulum ab iis libro ſuo impoſuit. Si Celeb. *Thomaſius* hunc librum habet, & carere eo vult, redimam libens: ſin carere eo nolit, fortaſſe impetrabitur, ut legere liceat. Amo enim legere tales paradoxologos: multis enim inanibus bona quædam admiſcere ſolent.

III. Gaudeo Celeberr. merito ſuo *Peterſenium* noſtrum Operi Uraniados manum admovere velle. Nihil poterit agere facilè plauſibilius etiam ad poſteritatem. De *Fracaſtorii* Carminibus Guelferbyti inquiro. (*oo*) Icona meam, ſi tanti putas, afferam Guelferbytum, ut inde tibi mittam: aut ſi interim aliam occaſionem hinc ſuppeditas, mittam recta. Gratias ago, quòd litteras inſignium virorum *Borromæi* & *Piſani* mecum communicaſti, etiam gratias tibi agentium. Laudanda eſt Italorum humanitas & vituperanda contra noſtrorum hominum, quæ vulgo apparet ἀυθάδια, qui parum familiarum decora curant. Quod ſupereſt, vale & ſave. *Dab. Hanov.* 8. *Decembr.* 1711.

EPISTOLA CIX.

De Peterſenio, Godofredo Thomaſio, Webero & *Czarowitza.*

MIror, *Peterſenium* noſtrum pene abſolviſſe jam Uraniada ſuam, quam vix cœptam putabam. Vererer ne nimium feſtinaret, niſi ſcirem ingenii ejus ubertatem. Optem tamen videre opus antequam edatur. Fortaſſe enim ſuggeri poterunt ſupplementa quædam. Carmina ejus & hoc præſertim non difficulter bibliopolam invenient. Inter *Fracaſtorii* eſt *Joſephus*, Ægypti Rector, ſed quem non abſolvit, libris tantum duobus confectis. Quod ad *Godofr. Thomaſium* virum Clariſſ. in mei gratiam ſcripſiſti, gratias ago. Ago & pro miſſis Germanicis & aliis carminibus, ubi placent inprimis *M. Weberi*, quæ cantata ſunt apud te. Domino *Webero* tuo gratulor munus, vellemque ſimiles paſſim in ſcholis haberemus. Quis eſt, quem Czarowitza concionatorem accepit? Nam quærere oblitus ſum. An & medicum ſecum duxit? Precor ut hoc diu carere poſſit, & ſuo tempore pro medico obſtetricem vocet. *Dabam Hanov.* 27. *Dec.* 1711.

EPI-

(*oo*) De vita, moribus, ſcriptis, meritiſque *Hieronymi Fracaſtorii* vir clar. *Frid. Otto Menckenius* haud ita pridem commentatus eſt. conf. Acta eruditorum 1731. p. 198.

EPISTOLA CX.

De Peterſenii *Uraniados opere.*

NOn ſine admiratione vidi opus amici noſtri tam brevi tempore tanto cum ſucceſſu abſolutum, quum vix cœptum putarem, & jam bonam partem vidi. Innumera video dicta acutè, pulchrè, dignè. Sed haud pauca occurrunt, fateor, non tantùm contraria legibus, & in licentiam poëticam magis quàm par eſt effuſa, ſed etiam imparia ſenſu, languida, & niſi mutentur, faciem elegantiſſimam deturpatura. Sæpe occurrunt vocabula ſuppletoria, quæ Galli vocant *chevilles*, ut ille, illi v. g. pag. 2: unde nec illorum ſylveſtria luſtra dierum, pro quo malim ponere; agreſtum. Interdum nimis denſantur eliſiones, v. g. qui in forti Davide fuit, qui & in omnibus illis. Cùm poſſit commodè ſubſtitui: qui forti fuit in Davide & in omnibus illis. Vocabulum neve perſæpe aliter exhibetur, quam vellem v. g. pag. 6.

Dumque in primordia ſurgo
Æterna ipſe locum ſupra & ſupra ipſa voluto
Tempore neve ullam dilabi ſuſpicor horam.

Pro quo mallem:

Dumque in primordia ſurgo
Æterni, ſupraque locum ſupraque locatus
Tempora, jam nullas labi mihi ſuſpicor horas.

Sed & quædam perobſcura ſunt, veluti:

Nullum adeo corpus neve ullo ſimplice gaudet.
Tota creatura hac Deitas vix una probatur
Commodiusque magis trinum monſtratur ut unum.

Pro quo præſtaret, ni fallor, ponere:

Et nullum ut corpus nec vultu ſimplice gaudens
Ulla creatura eſt; Deitas ſic, unica quamvis,
Plura tenet, trinumque decus monſtratur in uno.

Ita licentiam mallem vitari, qualis eſt p. 3.

Si vaſtam rerum ſeriem atque abdita coner.

Commodè enim pro *atque abdita* ponemus:

Secretaque

Ita p. 7. *Visque intus omnis virtusque latebat*
Melius: *Vis tota intus*
Illud: *Tua te menſus abyſſo*, putem poſſe ſtare, ut *menſus* ſit idem, quod *metitus.*

Plurima talia muto & paſſim verſus integros mutare oportet. Sæpe etiam Grammatica laborat: Sic nollem; *erupti nubibus ignes*, ſed potius *emiſſi.* Video quoque quædam interdum recidi debere tautologotera & vocabula mutari,

mutari, quæ ſæpius eodem pene loco occurrunt. Circa res ipſas refero me ad adjectam ſchedam, quæ inclyto viro communicari poteſt. Sed de omnibus tuum inprimis judicium flagito. Icona meam Dn. Prof. *Eccardo* perferendam dedi. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 28. *Januar.* 1712.

P. S. Editorem præſcriptis conditionibus, credo non difficulter inveniemus.

EPISTOLA CXI.

I. *De* Peterſenii *opere Uraniados.* II. Caroli VI. *elogium.*

I. OMnino libri partem faciunt tam compendium Controverſiæ, quàm animadverſio in librum de origine mali. (*pp*) Itaque ne integrum exemplar lacerari neceſſe ſit, urgendus erit *Forſterus*, ut defectum ſuppleat. Si literas ad eum in eam rem obſignatas ſcribes, reddi curabo. Quid *Buddeus* contrà ſcripſerit, videre velim. Hoc inter nos dictum eſto: miram eſſe *Peterſenii* amici noſtri in pertexendo opere Uraniados negligentiam. Multa pulchre dicta ſunt, ſed multa etiam tam languida, tam irregularia ac neglecta, ut nullo modo in tam inſigni opere ferri poſſint. Sæpe video integras paginas eſſe reformandas, ſæpe multos verſus delendos, aliis ſubſtitutis; itaque vereor, ne onus in me receperim, a quo me tam facilè liberare non poſſim. Progreſſus feci non nullos, ſed creſcit tractu difficultas, quia video poſteriora prioribus neglectiora. Dolendum eſt, quòd non paulo plus diligentiæ adhibuerit. Ita enim opus egregium fuiſſemus habituri. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 26. *Feb.* 1712.

II. *P. S. Carolus VI.* Cæſar hactenus omnia agit, ut egregium principem decet. Spero Dn. Principem *Ludovicum* mox domum rediturum, niſi jam rediit.

EPISTOLA CXII.

I. *De* Peterſenio. II. Lyſero. III. Buddeo. IV. Antonii Ulrici *deſertione religionis Lutheranæ*, & V. Conringii *Arminianiſmo.*

I. NOn dubito, quin Dominus Prof. *Eccardus* icona tradiderit. Optarem ut ultimum librum ſuum Uraniados ipſemet emendaret perficeretque Auctor doctiſſimus, quia in eo ſententiam tractat, quam ego quidem minimè damno, meam tamen facere nolim.

II. Quantum ego intellexi vocandum Dominum *Lyſerum* iſtum Witembergenſem ambæ aulæ conſenſere, & fortaſſe jam expedita eſt vocatio: non ideo tamen deſperem & Dominum *Kreſſium* nobis vindicari poſſe.

(*pp*) De Theodicæa ſua verba facit.

III. Dominus *Buddeus* credo non futurus eſt adverſarius valde acerbus, quum ſoleat moderationem profiteri. Si tamen excederet moderationis limites, juberem eum res ſuas habere ſibi.

IV. Rationes, quibus Sereniſſimus noſter Dux ad communionem Romanam adductus eſt, non vidi. Itaque communicatione earum me obſtringes.

V. Dominus *Conringius*, ni fallor, tuto Helmſtadii profiteri poterat Arminiana dogmata ſibi placere. Pleraque enim, ni fallor, noſtris conſentiunt, niſi forſan junioribus Remonſtrantibus favit, qui alia recepta & *Arminio* ipſo non ſollicitata convellunt. Centuria epiſtolarum a *Brandtio* editarum mihi viſa non eſt, & noſſe velim, quis ille *Brandtius* & quando, aut ubi ediderit? (*qq*) Vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 10. *Martii* 1712.

EPISTOLA CXIII.

De Declaratione Tubingenſium Theologorum occaſione Reſponſi Helmſtad. edita.

NUperrimas meas acceperis. Icona etiam redditam puto. Gratias ago, quòd Declarationem Tubingenſium & animadverſionem tuam mecum communicaſti. Utramque remitto. Rectè mones, viros doctos a te compellatos exceſſiſſe fines petitionis tuæ. In eo etiam inprimis mihi peccare videntur, quòd te pro delatore habent; quum ſecum reputare debeant, ſcriptum, quod ediderant, non potuiſſe non diſplicere Sereniſſimo Duci, te licèt ſilente; debebant etiam vani rumoris mentione abſtinere. Malè etiam tua paternis confundunt. Cæſareæ literæ ad Sereniſſ. Ducem Wurtembergicum ad hoc certè proderunt, ut impoſterum circumſpectius agant, qui talia argumenta tractabunt. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 15. *Mart.* 1712.

P. S. Monita tua contra arthriticos inſultus mihi valde placent, & pro iis gratias ago. Ad evacuantia tamen non facilè procedo. Compendium controverſiæ gallico ſermone ſcriptum eſt paucarumque paginarum, itaque non magni momenti. Miror tamen deeſſe. Compendium Latinum etiam a me eſt.

EPISTOLA CXIV.

I. *De Ducis* Antonii Ulrici *deſertione religionis Lutheranæ.* II. Conringii *Arminianiſmo.* III. Peterſenii *Uraniados opera.* IV. Sebaſt. Edzardi *fatis*, & V. *ſpeculis convexis vitreis.*

I. PRo conſiderationum libello, quem nondum videram, multas gratias ago. Quæ Dux ipſe Sereniſſimus conſignavit prudentiæ & moderationis plena ſunt, nec plauſibilitate carent, animumque ad multa alia non

(*qq*) *Caſpar Brandtius* Hiſtoriam vitæ *Jacobi Arminii* ſingulari ſcripto perſequutus eſt, quod ven. *Jo. Laur. Moshemius*, annotationibus additis, Brunſvigæ 1725. in 8° recudi curavit.

non ſatis attendentem movere poſſunt. Sed Commentator, etſi vir doctus & bene animatus, vereor ne crabrones irritet (*rr*). Quædam enim revera juſto ſunt acriora, ut quod putat, virum probè eruditum bona conſcientia extra Rom. Eccleſiam permanere non poſſe: quum contra potiùs ipſa rerum cognitio maximum obſtaculum acceſſioni ad Romanos objiciat. Exempli loco eſto, quod etiam Epiſcopo Meldenſi, (fruſtra in refutatione laboranti) objeci, neminem ſatis verſatum in antiquitate, & ad rem attendentem, ut par eſt, nec per alia diſtractum, poſſe ſalva conſcientia accedere Concilio Tridentino, ſub anathemate jubenti, ut libri V. T. quos nos Apocryphos credimus, divina auctoritate præditi & cæteris æquales cenſeantur, contra manifeſtiſſimas declarationes primævæ antiquitatis Chriſtianæ. Si Concilium Tridentinum ſeponeretur, facilior foret ſchiſmatis ſublatio, ſed hoc ſtante, niſi per vim, non obtinebitur.

II. Fateor, ſi Dn. *Conringius* oſtendiſſet, ſeſe etiam circa ſacramenta adhærere Remonſtrantibus, adeoque Reformatis, non fuiſſe ſtationem Helmſtadienſem tuiturum, ſed ego putabam Remonſtrantibus acceſſiſſe proprie ubi cum Reformatis pugnant.

III. Præfationem Uraniados accepi, ſed multum me moratur emendatio operis, differendaque erit in iter aliquod, ubi me alia non diſtrahent. Curabitur ne quid pereat. Sed ultimum librum ab ipſo doctiſſimo Auctore emendandum puto.

IV. Rixatorem Hamburgenſem aiunt urbe egredi non audere, metuentem, ne juſſu Regis Pruſſiæ intercipiatur & in vincula trahatur. Hoc ipſe ſibi periculum ſuis clamoribus attraxit.

V. Ut mutem materiam, audeo petere, ut inquiras Noribergæ, an non ſciri poſſit, quanam arte fiant illa ſpecula convexa vitrea, quæ viliſſimo pretio venduntur; quorum concavitati apparet infuſam materiam quandam, prius liquidam, deinde induratam, quæ opacitatem vitro conciliat, ſine folio ſtanneo, quo in ſpeculis planis uti artifices ſolent. Qui me hoc doceret, ei libenter munuſculum euchariſticum darem. Sed arte quadam hoc expiſcandum eſſet ab opificibus, & quaſi aliud agendo, niſi ſit fortaſſe inter ipſos, qui pro munuſculo artem docere velit. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 17. *Mart.* 1712.

(*rr*) *Georg. Chriſtianus Ferdin. a Ræſewitz* manifeſtationem Conſiderationum & Motivorum, quibus Sereniſſimus Princeps *Antonius Ulricus* a Proteſtantium ad Romano-Catholicam diſceſſit eccleſiam 1710. in 4. germ. edidit, conf. *Jo. Fabricii* Biblioth. P. IV. p. 222. & Acta Eruditorum Germanica T. VII. p. 771. ubi vitam & ſcripta *Ræſewitzii* a celeberrimo Profeſſore *Jo. Erh. Kappio* recenſita reperias. *K. N.*

EPISTOLA CXV.

I. Godofr. Thomaſii *elogium*. II. *De* Doppelmeyero. III. *De concavis ſpeculis ſine foliis conficiendis*. IV. Leibnitius Overbeckii *cauſam agit*.

I. MUltas debeo agoque gratias, quod in mei gratiam Noribergenſes amicos, viros egregios, conſuluiſti. Utriuſque epiſtolam remitto, & inprimis peto, ut Ampliſſimo Viro *Godofredo Thomaſio* gratias agas, quod veterem benevolentiam mihi conſervarit. Pauci nunc in Germania in veteris rei numariæ cognitione, ut cæteram doctrinam taceam, ad ejus laudes accedunt. Eo magis ipſi otium optem, ut ſelectas obſervationes, quas varii generis præclaras eum habere ſcio, in publicum uſum patriæque decus conferre poſſit.

II. *Doppelmeyeri* veſtri doctiſſimi diligentiſſimique in rebus mathematici viri ſtudiis & laboribus mire applaudo. Quod de hiſtoria cœleſti *Flamſtediana* quærit, ſic accepi. Obitu Sereniſſ. Principis *Georgii* penes quem ſumma erat cura rei maritimæ Britannicæ, ſufflaminatam eſſe editionem præclariſſimi operis, præſertim his difficillimis temporibus, itaque incertum eſſe, an & quando ſit proditurum? Rogo ut eum horteris ad ſumenda quoque experimenta Magnetica & obſervandam quotannis, quanta fieri poterit, accuratione, declinationem inclinationemque magneticam. Sunt etiam magneticæ obſervationes ſpectaculo curioſorum hominum dignæ, & plurimum adhuc in illis indagandum latet.

III. Pro methodis conficiendorum ſine foliis ſpeculorum concavorum ipſi tibique etiam gratias ago. Amicus quidam experientia valens, etſi non in hoc negotio, ſcribit ad me, auditum ſibi, applicari materiam vitro adhuc a fuſione calenti. Optem, reperiri aliquem, qui pro munuſculo demonſtrare operationem poſſit velitque. Nam fateor, proceſſus nonnullos amicis communicatos non ſucceſſiſſe.

IV. Dominus *Overbeckius*, Con-Rector Welferbytanus, quem ſcis, virum eſſe bonum & doctum, valde apud me queſtus eſt, ſe durè admodum haberi, quòd, cujus potiſſimum moribus ſive moroſitati tribuendum ſit, non ignorat. Itaque valde optat eripi his malis, & aliud officium alibi, ſive in ſchola, ſive in Eccleſia conſequi. Rogo, ut de viri ſalute cogitare, & de ope ei ferenda ſententiam tuam mihi aperire velis. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 19. *Maii* 1712.

EPISTO-

EPISTOLA CXVI.

De Peterſenii *Uraniados opere.*

GAudeo, te valere & mei meminiſſe. Ex quo domum reverſus ſum, ſummo ſtudio Peterſenianum opus quæſivi, ſed nondum invenire potui, ut ſuſpicer, illud latere in aliqua ciſta mea, quam longum iter ingrediens Welferbyti reliqui. Multum in eo laboris inſumſi, ut feſtinata nimis expolirem & ſub limam revocarem. Itaque innumera mutavi & alicubi paginas integras. Ubi ubi ſit, latere tandem non poteſt. Pro munere gratias, ut par eſt, ago. Interea vale & fave. *Dab. Hanov.* 22. *Jan.* 1715.

P. S. Quid tuum ſit muſeum literarium intelligere gratum erit.

EPISTOLA CXVII.

I. Leibnitius *podagra laborat.* II. *In opere hiſtorico abſolvendo occupatus eſt.*

I. SPero & opto, te bene valere. Reſponderam non ita pridem, Dni. *D. Peterſenii* Carmen Uranicum in ciſtis meis Welferbyti eſſe, neque niſi, ubi eo rediſſem, remitti poſſe. Ille ſuis literis iterum mitti petiit. Cogor idem reſpondere, quia mihi ob arthritica mala nondum pedem urbe efferre licuit; & nunc ob frigus me domi contineo. Spero tamen illuc excurrere mitigata anni tempeſtate, & tunc non omittam carmen requirere, & tranſmittere. Interea peto, ut incluſas litteras ad ipſum cures. Non dubito, ex quo te non vidi, multa tibi occurriſſe, quæ grata mihi & utilia ſcitu eſſent, ſi quædam ejus generis, præſertim litteraria, mecum communicares, nova me obligatione obſtringeres.

II. Ego in Opere Hiſtorico ſum aſſiduus, idque hoc anno abſolvere ſpero, ſi vires manent. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 17. *Jan.* 1716.

P. S. Quid etiam ipſe agas & moliaris, diſcere gratum erit.

EPISTOLA CXVIII.

De Peterſenii *Uraniados opere.*

PEr tabellarium Helmſtadienſem Guelferbyti accipies, Peterſenianum carmen, quod prius reſtitui non potuit. Editio, multâ adhuc reviſione, ut opinor, liturâque indigebit. (ss) Hæc feſtinans ſcribo, dum currum inſcendo: aliàs plura. Vale interea & fave. *Dabam Guelferbyti* 6. *Jul.* 1716.

(ss) *Peterſenii Uranias de operibus Dei magnis, omnibus retro ſæculis, & œconomiis tranſactis, uſque ad Apocataſtaſian ſæculorum omnium per ſpiritum Primogeniti glorioſiſſimè conſummandis:* Halæ publicam lucem adipexit.

G. G. LEIBNITII EPISTOLÆ XXXVI.

AD SEBASTIANUM KORTHOLTUM,

Id temporis Philoſophiæ Moralis, & Poëſeos, poſtea Eloquentiæ Profeſſorem Kilonienſem.

Ex Tomo I. *Chr. Kortholti Sebaſt.* filii Epiſtol. *Leibnitii* collectionis.

LEibnitii *de Philoſophia morali* Puffendorfii, Lockii, Hobbeſii, Carteſii, *&* Spiritii: *De* Clemente II. *De* Roſwitha, *de Encyclopædiâ poetica*: *De verâ contemtionis Germanorum apud Gallos cauſſâ*; *de Mutinæ Ducibus*; *de Academiâ Berolinenſi*; *de vitâ demortuorum*; *de animis hominum & brutorum*; *de Ruſſorum Cæſare* Petro Magno; Leibnitii *Epigramma*: *Elogia* Jo. Georg. Holſtenii, Römeri, Gudii, Spanhemii, Meibomii, Sennerti *& aliorum*: *De propagandâ repurgatâ religione noſtrâ apud Malabares & Sinas*; *de amore Dei non mercenarii*; *de vacuitate admirationis*; *de vaticinio ſapientum*; *de antiquitatibus Ripenſibus*; *de* Lioptaco, *Epiſcopo Rebuenſe*; *de libris* Ottonis Sperlingii; *de* Nigelli *poemate inventu raro*; *de Societate ſubſcriptoriâ*; *de* Jo. Claubergii *ſcriptis*; *de* Aloyſii Novarini *axiomatibus*; *de abuſione gladiorum in Academiis*: *De libro de tribus Impoſtoribus*: *De* Leeuvenhoekii *obſervationibus*, *variaque de Francorum originibus*, *de genio ſæculi*, *aliiſque pluribus argumentis*.

EPISTO-

EPISTOLA I.

I. *De* Seb. Kortholto *judicium.* II. *De pueris doctis obſervatio.*

I. DOleo amiſſam nunc mihi videndi tui occaſionem, dum domo abſum. Litteræ ad me ſeriùs pervenere, quòd Max. Rev. *Spenerus* hinc peregre abiiſſet. Reverſus eas ſtatim ad me miſit, atque ipſe etiam de te loquutus eſt, ut res poſtulat, doctrinaque tua, cujus ipſæ ad me litteræ tuæ inſignia veſtigia oſtendunt. Nil mihi gratius eſt, quàm noſſe egregios juvenes, &, ſi poſſim, conſilia ipſorum juvare. Epigrammatis argutis & ingenioſis valde delector, nec dubito talia eſſe, quæ cudiſti: etſi libros bonorum Epigrammatum ſcribere difficile putem.

II. Placet, quod *Bailleto* Viro docto ſupplementa mittis. Pueri ſingulare aliquid præſtantes in ſtudiis, uſque adeo ſunt rari. Ego ipſe decimum quartum ætatis annum nondum egreſſus, carmen pentecoſtale trecentorum verſuum Hexametrorum una die ſcripſi, qui Magiſtris non mediocriter probabantur. Mox triviali ſchola egreſſus ante 17mum abſolutum, ſingulares in Philoſophia meditationes dedi. Quæſtiones de jure philoſophicas, de Conditionibus Tractatum, Artem combinatoriam, aliaque nonnulla ante vigeſimum edidi. Credo tamen, a lectore non quæri, quàm citò, ſed quàm bene. Utrumque te præſtitiſſe ac præſtare apparet. Hortor igitur, ut in pulcherrimo ſtadio pergas, & currenti ſecunda omnia precor. Vale. *Dabam Berolini* 27. *Junii* 1700.

EPISTOLA II.

I. Leibnitius *diſcipulus ſenex.* II. *Nova litteraria.*

I. PRo muneribus litterariis elegantibus multas gratias debeo: præclarè illuſtras Hiſtoriam eruditorum. Ego etſi 17mo ætatis anno quædam ediderim, & decimo quinto jam compoſuerim; tamen inter ſenes diſcipulos faciliùs nunc locum tuear, quàm olim inter pueros doctos. Nam cum *Socrate* ſemper ad diſcendum paratus ſum. Neſcio annon & faſciculum collegeris τῶν αὐτοδιδάκτων.

II. Hodie apud me fuit Cl. *Neocorus* ex Anglia redux; ait, *Suidam* ſuum prelo exiiſſe. Nunc de *Heſychio* cogitat. Vale, & me ama. *Dabam Hanov.* 11. *Jul.* 1705.

EPISTOLA III.

I. Leibnitius *puer doctus.* II. *De patria* Clementis II. *Pontificis.* III. *De rebus Marchicis.* IV. *De Scriptoribus quibuſdam moralibus judicia.*

I. PLus ſemel tibi gratias debeo. Vellem & referre poſſe. Quidquid proſa, quidquid verſa tentas, aſſurgit ultra vulgus, & acumen, elegantiamque habet. Avidè exſpecto tuum de pueris doctis opus. Puto pluri-

plurimos ignorari, quorum aut non extant ſcripta, aut parum noſcuntur. Ego me ne nunc quidem a doctrina venditare auſim, multo minùs pueritiæ meæ tribuere eruditionis laudem; puer tamen alios commilitones præcurrere credebar in patria. Annos natus tredecim una die trecentos verſus hexametros effudi, ſine eliſione omnes, quod hoc fieri facilè poſſe fortè affirmaſſem. Cauſſa feſtinationis erat, quòd alius, cui penſum carminis vigiliis pentecoſtalibus in ſchola publica recitandi obtigerat, officio defuiſſet; Ita ad me ibatur, quem in iſtis expeditum eſſe conſtabat. Mox ab his amœnitatibus venientem non piguit maturè tractare Philoſophorum ſpinas, ut puer adhuc de principio individui diſſertationem ederem, defenderemque, & quæſtiones Philoſophicas ex jure collectas, atque in lucem emiſſas, jam artium Magiſter, ætate tamen revera puerili, tuerer. Ut ea non memorem profundiora, quæ jam tum in chartam conjeci, ſed quæ lucem non viderunt. Annos non poſſum adſcribere, quia nunc iſta inter veterum ſchedarum molem quærere non vacat, neque in hoc muſtaceo laureolam affecto, etſi creatus Juris Doctor ante tempus, quo Saxones ætate majores habentur, id eſt, ante annum ætatis 21. abſolutum, & Conſiliarius Electoris Moguntini in Tribunali Reviſionum, antequàm jure Romano minor annis eſſe deſiiſſem, id eſt, nondum annos natus 25.

II. Credo de vera patria & ſtirpe *Clementis II.* Pontificis Romani dubitandi ampliùs locum non eſſe, poſt editum nuper a me excerptum Auctoris vix ſeculo uno remoti, qui gentem ejus & locum natalem diſertè exponit, (*a*) Oſtfalumque ex veteribus Horneburgi dynaſtis fuiſſe oſtendit, qui locus nunc eſt juris Halberſtadienſis. Itaque celeberrimum *Moellerum* veſtrum veritati manus daturum auguror.

III. Dn. *G. P. Schulzius*, quem Francofurto (ad Viadrum, an ad Mœnum?) ad te ſcripſiſſe, & de claris Marchicis opus moliri memoras, fortaſſe meum opus non viderat, quum ad te litteras dedit. De ejus perſona & conſiliis plura libenter didicero. *Leutingeri* Scripta de rebus Marchicis ſparſa & lacera *Plarrius* apud Berolinenſes juvenis doctus collecta reddere prelo cogitabat nuperrimè cum notis; ſed quia acerbior auctor in Reformatos olim fuit, inventi ſunt, qui inſtituto intercederent: quaſi non facile fuiſſet notis additis occurrere huic qualicunque malo, quod & *Plarrius* facere paratus erat. Ut taceam, longinquitate temporis illam veterem acerbitatem obtundi, & jam vim nocendi omnem amiſiſſe.

IV. Ad elegantem tuam de Scriptoribus moralibus diſſertationem noto, rectè a te veteribus aſſeri meritas laudes, contra quoſdam recentiorum, qui ignota contemnunt. Ceterum, quod ad recentiores attinet, lubens fateor, nec *Pufendorfium*, nec *Lockium* mihi valde ſatisfacere, quorum ſcripta

(*a*) Hiſtoriam controverſiæ de patria *Clementis II.* inter *Wilhelmum Erneſtum Tentzelium* & *Jo. Moellerum* agitatæ ipſe *Leibnitius* recenſet in præfatione Tomo I. Scriptorum rerum Brunſvicenſium præfixa V. T. IV.

ſcripta legi quidem merentur, & quum exoterica ſint, quandam imperfectam dant tironibus ideam ſcientiæ, ſed in intima rarò penetrant. Contra res in *Hobbio* habet, is tironibus noxius, provectis perutilis, quum habeat non pauca profunda, ſed multis miſta minimè tolerandis. Quamquam habeant & *Pufendorfius* & *Lockius* quædam, contra quæ tirones præmuniri oportet. Nam falſiſſima docet *Pufendorfius* de arbitraria origine veritatum moralium, tanquam a voluntate eſſent, non natura, itemque de fundamento Juris a lege vel coactione. Et *Lockius* ideas & veritates inſitas non rectè tollit, & de mentis humanæ natura tenuiter philoſophatur, quin & ea agit, quæ principia evertunt, unde ejus immortalitatem comprobes, dum materiam cogitare poſſe ſuſpicatur. Ut alia taceam a me aliquando rogatu amicorum animadverſa. *Spiritius* Gallus libro de falſitate virtutum omnia in pejus interpretando, malos, quos fingit, facit. *Carteſii* etiam de affectibus libellum non uſque adeo ſpernendum putem, & *Poireti* judicio in talibus minimè defero. Etſi *Carteſius* magis id egerit in eo libello, ut cauſſas phyſicas explicaret paſſionum, quàm ut præcepta morum traderet. Adjectum iis quæ communicaſti mecum tuis carmen ad te Domini *Fuſchii*, quo te tuo merito celebrat, admonet me, ut de ſucceſſibus ejus quæram. Præter alia non ſpernenda in ipſo valet peculiari uſu manuſcriptorum Codicum ſequioris ævi, lectu plerumque difficilium. Talis quum nuper mihi obtigerit, nec ſit hic ad manum, qui tam promtè & rectè exſcribere poſſit, neſcio an ad opem ejus confugere adhuc liceat, idque beneficio tuo intelligere ſpero. Vale & fave. *Dabam Hanov.* 18. *Aug.* 1707.

EPISTOLA IV.

I. *De* Clemente *Pontifice.* II. Millio & Opitio. III. Roſwita, *atque* IV. Arndii *Polyhiſtore poëtico.*

I. EXcurſiuncula non nihil reſponſionem meam tardavit. Nam Sereniſſimæ Electricis comes Guelferbytum profectus ſum, inde Caſſellas adivi, redux officio meo ſatisfacio. Non video quomodo Dn. *Schulzius* tuus *Clementem II.* Pontificem Romanum Marchicis vindicare poſſit, ſi *Tentzelii* ſententiam ſequitur, qui eum Halberſtadenſi tractui mecum adſcribit. Halberſtadenſes enim Marchicis accenſeri poſſe non puto, quamvis eumdem hodie Principem agnoſcunt.

II. *Joh. Millium* Anglum audio ſuæ editioni Novi Teſtamenti vix ſeptimanis aliquot ſupervixiſſe. *Opitium* veſtrum ſpero melius honore & commodo ſui laboris fruiturum.

III. *Roſwitæ* Poëtriæ Saxonicæ perantiquæ carmina a Dn. *Schurtzfleiſchio* juniore prelo reddita videris opinor. Non habuit poëma ineditum ejuſdem de fundatione Gandersheimenſis cœnobii, quod in manus meas ve-

nit. (*b*) Notatu dignum eſt, quod *Roſwitæ* verſus eliſionibus carere ſolent, quod me quoque puerum aliquando in poëmate affectaſſe nuper ad te ſcribere memini.

IV. Polyhiſtorem poëticum Cl. *Arndii*, Prof. Roſtochienſis augere poterunt collectiones meæ hiſtoricæ, quibus inſerti poëtæ etſi ſemibarbari, tamen non vulgares nec inutiles ad Hiſtoriam: Poëta Saxo de geſtis *Caroli M.* Anonymus de vita *Berengarii* majoris, *Donnizo* de vita *Mathildis*, Principis Italicæ, Paparum amicæ, & *Guilielmus* Apulus de geſtis Normannorum in Apulia & Sicilia. Hi omnes primo Tomo extant, multo emendatiores plerique, quàm hactenus. Secundus Tomus habebit novum poëma *Roſwitæ*, tum aliquot poëmata hiſtorica lingua vetere inferioris Saxoniæ ante 300. annos circiter conſcripta, omnia nondum edita. Pro communicatione novorum litterariorum multas gratias ago. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 12. *Oct.* 1707.

EPISTOLA V.

I. De Poëtis & Poëtarum judicibus. II. De S. H. Muſæo *& aliis. III. Gallorum perverſa de Germanis judicia ſunt ſpernenda. IV. De meritis Germanorum in rem litterariam, & V. de Gallicæ plebis contra Germanos præoccupato animo.*

I. ELegantibus tui ingenii, tuæque doctrinæ ſpeciminibus impenſe delector, quibus plurimum, ut par eſt, tribuo; eoque magis, quòd hoc genus eruditionis, quo præſtas, quodammodo in deſuetudinem abire videtur. Certè & Poëtas & bonos Poëtarum judices ubique jam deſideramus. *Joſ. Scaliger* judicium *Lipſii* contra Medeam *Senecæ* rejiciens, de Poëtis judicare negat eſſe, niſi Poëtæ, ejuſque excellentis.

II. Conſultiſſimi viri *Simonis Henrici Muſæi* pro Cæſare orationem contra Romanæ curiæ iniquas recitationes, non tantum doctam & elegantem, ſed & fundatam argumentis reperio, & Clariſſimi Viri *Joh. Burcardi Maii* programma in Hiſtoriam Auguſtam a *Carolo Magno* ad noſtra tempora deductam, de ipſo opere plurimum nos exſpectare jubet. Cl. *Rh nferdus Euſebium* & *Hieronymum* male habitos queſtus, credo Chronicon Euſebianum intelligit, quod *Hieronymus* latinum fecit. Ejus alicubi exemplaria manuſcripta habere non dubito, & in Cæſarea in primis Bibliotheca. Puto etiam, Guelfebyti eſſe Codicem *Proſperi*, qui continuavit.

III. Homines Galli, qui Germanos ſpernunt, non refutandi, meo judicio, ſed contemtu inepiiarum ſuarum admonendi ſunt. Itaque ſi me audiſſet *Cramerus*, vir eximius, ſtultum *Bouburſii* judicium, a juvene olim pro-

(*b*) *Roſwitæ* carmen de primordiis cœnobii Gandersheimenſis T. II. Scriptorum Brunſvicenſium a *Leibnitio* editorum p. 319. deprehenditur.

profectum, pene viginti poſt annos non refodiſſet, aut refutationis honore dignatus fuiſſet, quum & alius Gallus, Vir gravis, libello, cui titulus: *Sentimens de Cleanthe ſur les Entretiens d'Ariſte & d'Eugene*, ſtatim Germanorum cauſſam egiſſet. Audaculus ille & in *Cocceium*, patria Bremenſem, iniquus, quem memoras, neſcit ab antiquis temporibus celebratum fuiſſe Saxonum ingenium. Id ex *Sidonio Apollinari* (*c*) & ex anonymo Ravennate (*d*) diſci poteſt, quorum loca ſunt inter Excerpta Scriptorum Brunſvicenſia illuſtrantium. Memini etiam locum *Hincmari* obſervare, qui de neſcio quo, religionis capite cum Epiſcopo Saxone contulerat, nec diſſimulat, Saxonem velocitate quadam ingenii, propria ſuæ genti, plurimum ſibi negotii feciſſe. Quantus tamen fuerit *Hincmarus*, nemo neſcit. Suſpicor, Saxonem Epiſcopum fuiſſe *Aluridum* Hildeshemenſem. (*e*)

IV. Interea, diſſimulatis invidorum calumniis, merita Germanorum in rem litterariam referri in litteras, operæ pretium foret; ſine contemtu aliorum aut invidioſis comparationibus. Stet ſua cuique laus, certemusque, ut currentes in ſtadio, quos ſibi mutuo injurios eſſe, aut remoras objicere fas non eſt. Egregium aliquid in eo genere haud dubie *Morhofius* præſiturus erat:

Si fata, Deusque ſinebant.

Nunc ab alio excipi lampada velim, nec dubitem, a te, Vir egregie, aliquid præclarum in eo quoque genere datum iri, ſi animum eò vertas.

V. Gallicæ plebis contra Germanos præoccupatus animus potiſſimum ex vitiis & ineptiis Germanorum adoleſcentum ortum habet, qui ridiculo parentum conſilio crudi a ſchola, expertesque omnis boni moris in Galliam ablegantur, ubi iterum in pueritiam vel infantiam, unde vix exiere, revolvuntur. Propemodum enim infans eſt, qui fari neſcit. Ita vel ſilere coguntur, vel ſermone ſuo riſum excitant. Præterea ab hominibus lucri cupidis variis artibus circumveniuntur. Tales ſunt, de quibus Gallica proverbia innotuere: veluti, *querelles d'Allemand*, & *vous me prenez pour un Allemand*. Quid enim ab imperiitis juvenibus, iiſque in alienam gentem, tamquam in novum orbem, ſubito delatis grave aut rectum expectes? Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 30. *Sept.* 1708.

(*c*) *Sidonius Apollinaris* lib. VIII. ep. 6. *Saxonum*, inquit, *quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas, ita ſimul omnes imperant, parent, docent, diſcunt latrocinari.*

(*d*) Chorographus Ravennas lib. IV. cap. 13. *Iterum*, inquit, *juxta ipſos Serdefennos Lappones litus Oceani eſt patria, quæ dicitur Dania, quæ patria, ut ait ſupra ſcriptus* Eithanaridus *&* Eldewaldus *&* Marcomirus *Gothorum philoſophus ſupra omnes nationes velociſſimos profert homines.*

(*e*) *Hincmarus* Rhemenſis in epiſtola ad *Ludovicum* Germaniæ Regem n. VIII. Tom. poſter. Oper. ed. Pariſ. 1645. p. 152. *Interrogaſtis*, inquit, *quid ſibi vellet, quod in Pſalmo canitur;* Herodii *domus dux eſt eorum. Ad quæ præoccupant vocem meam, ut Saxo genere ac per hoc naturalis prudentia ſuatim me paratior in ſermone* Aluridus *venerandus Epiſcopus dixit, &c.*

EPISTOLA VI.

Leibnitius Buſchii *MSc. de Reformatione monaſteriorum ex Academica Kilonienſi Bibliotheca mutuum expetit.*

QUi ob docta tua & elegantia dono miſſa gratias debeo, atque etiam nunc ago, cogor novum a te beneficium petere. Intellexi in Bibliotheca publica Academiæ veſtræ extare manuſcriptum libellum in 4ta forma, quem compoſuit quidam Frater *Joh. Buſch* ex Canonicis regularibus *S. Auguſtini*, ut vulgo vocantur, in quo plurium Monaſteriorum Germaniæ, ſed Saxoniæ maximè reformationes, ſeu ad ordinis ſui obſervationem revocationes deſcribuntur: ſuitque ipſe *Buſchius* pars magna hujus negotii, & floruit circa tempora concilii Baſileenſis. Hoc manuſcriptum rogo, ut mihi in ſeptimanas aliquot ab inclytæ veſtræ Academiæ Senatu impetres, ſperoque Ampliſſimum *Reyherum* pro favore erga me ſuo tibi adjutorem fore. Quod ſi petitum obtines, etiam atque etiam oro, ut quàm primùm per vecturam publicam ordinariam mittas. (*f*) Id beneficium, quo potero officii genere demereri conabor. Interea vale & fave. *Dabam Hanov.* 25. *Jul.* 1709.

P. S. Si diſperſi ſunt *Gudiani* codices, non mediocriter huic jacturæ indolebo.

EPISTOLA VII.

I. De Buſchii *MSc. II. De* Reyheri *obſervat. III. De* Puſendorfii *nævis. IV. Aliquod* Leibnitii *epigramma. V. De* Marquardo Gudio.

I. VEniam peto, quòd tardiùs reſpondere cogor; nam liber *Buſchii*, me Brunſvigam cum Sereniſſima Electrice digreſſo, advenit, porrò & illic & Guelferbyti non nihil moræ traxi. Reverſus officio ſatisfacio, & ante omnia gratias ago, quod deſiderio meo tam exporrecta humanitate es obſequutus. Curabitur, ut liber ad vos ſalvus & in tempore redeat.

II. Ampliſſimo *Reyhero* ſcripſi, quum tibi. Vellem omnia egregii viri uno faſce collecta extare, & ipſum non negare publico & poſteritati, quæ adhuc præclara haud dubiè habet inventa ſanè multa in omni doctrinæ genere, ſed præſertim in Matheſi. Sententiam ejus de jure naturæ diſcere velim.

III. Nuper doctiſſimus *Boehmerus*, Politices & Eloquentiæ Prof Helmſtadienſis epiſtolam meam ad ſummè Rev. Virum *Gerardum Molanum*, Abba-

(*f*) *Jo. Buſchii* Commentarium de Reformatione monaſteriorum quorundam Saxonum *Leibnitius* e MSc. Bibliothecæ Acad. Kilonienſis edidit & T. II. ſcriptorum Brunſvicenſium a ſe editorum inſeri curavit.

Digitized by Google

Abbatem Luccenſem, avunculum ſuum edidit, in qua rogatus ſententiam de libro *Pufendorfii* dixi, quem is de Officiis inſcribit. Illic ſatis oſtendi, parum mihi probari plurima, in quibus *Pufendorfius* a *Grotio* diſceſſit.

IV. Quum nuper Guelferbyti eſſem, columba muſæum Principis Blanckenburgiaci (patris Reginæ Hiſpaniarum) ingreſſa, in globo terreſtri bina loca pede notaverat; id quum jocatus Sereniſſimus Dux *Antonius Ulricus* verſuum materiam præbere dixiſſet, tale Epigramma mox dedi:

Augurium columbæ, Aug. 1709.
Blanckenburgiaci muſeo in Principis, Orbem
Signat olivifero læta columba pede.
Hinc Scythia in campis, illinc Atlantis in undis.
Scilicet & Natas utraque regna colent.

V. Gaudeo *Gudiana* pleraque nondum diſtracta eſſe: ægerrimè tuli diſſipari, quæ tantus Vir tanto ſtudio congregavit. Coram aliquando colloquio ejus per aliquot dies uſus ſum. Aderat & *Grævius*; facilè intelliges, quanta voluptate me perfuderit tam inſignium virorum conſuetudo. Vereor, ne multa planè diſparuerint, quorum ille ad me meminit, & quorum in Catalogo veſtigia non deprehendi. Utinam novus inſcriptionum Theſaurus, quem Batavi parant, nobis conſervet, quæ vir ſummus in hanc rem obſervarat, notaratque. Erant pleræque ejus notationes non tantùm eruditæ, ſed & ingenioſæ. Dolendum eſt, vivum & ſuæ gloriæ & patriæ defuiſſe, nimia edendi moroſitate. Ex ejus perſona diceres: inopem me copia fecit. Optem diſcere, quænam ex manuſcriptis viri codicibus diſtracta ſint, & ad quos pervenerint. Quod ſupereſt? vale & fave. *Dabam Hanoveræ 6. Sept.* 1709.

P. S. Jam aliquoties a rumoribus occiſus ſum, neque id tam ægrè fero, quàm *Magliabechius* meus, qui queſtus eſt de hominum malevolentia, quibus nimis diu vivere videatur. Ego omen in contrarium verto, tuisque bonis verbis gratias ago.

EPISTOLA VIII.

I. Reyherus *& alii laudantur.* II. *De Gudianis MSc.* III. *De uſu Poëſeos in re morali.* IV. *Nova litteraria.*

I. NUperas meas acceperis, quibus manuſcriptum redditum ſignificavi, & pro tranſmiſſione gratias egi. Curabitur ſedulo, ut maturè, & quale venit, ad vos redeat. Rogavi etiam, ſi bene memini, ut Ampliſſimo *Reyhero* ſalutem a me diceres, cujus ego Viri omnia magnifacio, haberique & conſervari velim. Elegantia ſunt, quæ doctiſſimi Viri *Muſæus*, *Waldſchmidius*, aliique apud vos producunt in lucem, & illa ſigillatim, quæ mecum communicaſti. Nunc ſcribendi cauſſam ſuppedita it Ampliſſimus *Ancillonius* Conſiliarius Legationum Regius, & Gallicæ natio-

nis per Regis Boruſſiæ ditiones diffuſæ Judex ſuperior. Ei, quum excerpta epiſtolæ tuæ communicaſſem, reſcripſit, quæ adjuncta vides. Unde intelliges, non tantùm ab omni conſilio offendendi tui alienum fuiſſe, ſed etiam occaſione data effecturum, ut, quanti te faciat, intelligas. Litterarum partem faciunt, quæ mitto, quas, quum ad res Societatis Regiæ Scientiarum pertineant, conſervare debeo, ideo, ut hanc partem remittas, peto.

P. S. His ſcriptis tuas gratiſſimas cum adjunctis accipio, multasque gratias ago. Elegani profectò Elegia eſt, quam *Dn. Kruſike* tibi dicavit. Ampliſſimi *Reyberi* omnia aliquid docent.

II. Quantum intelligo, ipſi manuſcripti Gudiani adhuc ſalvi ſunt, venditique tantùm libri, qui editi, ſed cum manuſcriptis collati, ac ne hi quidem omnes. Optarim omnes Codices manuſcriptos uni Bibliothecæ inferri, nec in plures diſpergi, & aliquando de Auguſta Guelferbytana cogitavi, modò nec pretium ſtatuatur, quod emtorem deterreat.

III. Gratiſſima tua erit de Poëſeos uſu in re morali diſſertatio. Certiſſimum eſt, nihil magis movere animos, quàm elegans carmen, ut pene tantum a communi ſermone diſtare videatur, quantum lingua Angelorum, *Paulo* Apoſtolo memorata, a noſtra.

IV. Audiveram *Breithauptium* id agere, ut retineat profeſſionem Theologicam, unà cum Abbatia: an impetrarit, haud ſcio. *Langium* Berolino Hallas deſtinatum aiebant. A Domino *Carolo Arndio*, viro docto, nil vulgare expecto. Interea multos hodie libellos de re litteraria prodire video, ubi judicia interpoſita, nolim facere mea. Epiſtola mea ad amicum, qua rogatus de *Pufendorfianis* juris naturæ elementis ſententiam dixi, fortaſſe non placebit omnibus, gaudeo tamen, quòd tibi non diſpliceat. Quod ſupereſt, vale & ſave. *Dabam Hanoveræ* 25. *Octobr.* 1709.

EPISTOLA IX.

I. *De* Gudii *MSc.* II. *De* Krüſikenio.

I. MUltis diſtractionibus factum eſt, ut nondum noviſſimis tuis reſponderim. Id dum nunc facio, quum in primo adhuc anni novi menſe verſemur, initia ejus auſpicata tibi apprecor, ut feliciter cum aliis multis decurrat, quo plurimum prodeſſe reipublicæ poſſis. Gaudeo, adhuc ſupereſſe manuſcriptos Codices *Marquardi Gudii*, ſummi viri, nec venditione ſub haſta diſſipatos eſſe. Nec deſperem, inventum iri, qui æquum pretium perſolvat; Quamquam tria Philippeorum millia difficulter impetrari poſſe arbitrer. Ego certè operam dabo oblata occaſione, ut quantum in me eſt conferam, ne theſaurus ille per diſſipationem pereat.

II. Doctiſſimo *Kruſikenio*, ſi aliqua ratione commodare poſſim, faciam lubens. Eſt juvenis honeſtus & officioſus, qui petiit commendari; is omnium

nium bonorum favorem meretur; itaque ſi qua in re commodare illi poteris, me quoque beneficio afficies. Is has tibi litteras reddet. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 24. *Januarii* 1710.

EPISTOLA X.

I. Buſchii *MSc. remittit. II. Nova litteraria.*

I. NUperrimas meas rectè ad te delatas ſpero. Nunc utor commoditate juvenis docti Wratislavienſis Domini *M. Schurtzmanni*, qui Lipſia veniens Hamburgum primum inde ad vos proficiſcitur. Putavi, me rectiſſimè facturum, ſi *Buſchii* veſtri Codicem MSc. quo ſatis ex ſententia uſus ſum, ipſi potiùs crederem, qui rectà ad vos proficiſcitur, quàm non neceſſaria cura Dn. *Kirchovium* amicum tuum onerarem. Multas interim gratias & tibi ago, & per te agi illis velim, quorum indulgentia in commodando Codice benigniiati tuæ acceſſit.

II. Nuntiavit mihi Dn. *Schurtzmannus* celeberrimi viri Dni. *Thomæ Ittigii* mortem, amici veteris inde a ſchola, addiditque, cogitari de Bibliotheca ejus ad *Paulinam* adjungenda, quod valde vellem. Ex Gallia ad me ſcripſit R. P. *Longus*, auctor libri de Editionibus Scripturæ Sacræ, nuper Lipſiæ recuſi, urgeri a ſe opus Bibliothecæ Scripturariæ, ſed & de auctoribus Hiſtoriæ Francicæ opuſculum ſe meditari. Quod ſupereſt, vale & me ama. *Dabam Hanoveræ* 17. *April.* 1710.

EPISTOLA XI.

I. De Gudianis *MSc. II. De* Reyhero, *& III. de Scanica cataſtrophe.*

I. B*Uſchius* veſter ultra paucas ſeptimanas ad vos redibit, quod antè omnia dicendum viſum eſt. Gudianos manuſcriptos Codices non diſpergi, ſed in unius corporis compage conſervare memoriam illuſtris collectoris valde velim. Optarim inferri Auguſtæ Bibliothecæ Guelferbytanæ, ſed Sereniſſimus Dux abeſt domo, & ubi redierit, captanda erit commoda occaſio, & molle fandi tempus in hac generali alperis temporibus rei nummariæ difficultate. Nam alioqui Principem intelligentem, imo doctum ſcio expetere, quibus Theſaurum a Parente egregiè collectum ornet amplificetque.

II. Ampliſſimum *Reyherum* ea ætate variolis laboraſſe, inter Medicorum obſervationes referri meretur. Gaudeo ſuperaſſe, & rejuveneſcendi augurium inde præbitum velim.

III. Spero Scanicam Cataſtrophen, etſi iis triſtem, ad quos pertinet clades, id commodi allaturam publico, ut Suedi intra Pomeraniam ſuam quieſcant, neque, uti inſtituerant, expeditione in Cimbriam ſuſcepta turbandis

bandis Germaniæ rebus operam navent. Nunc enim illis expeditionis ratio ceſſat, quam hanc proferebant, ut Danos ex Scania domum revocarent. Illuſtris & verè magni *Wedderkopfii* fato indolui. Fortuna illi non cœca favit, fabrumque ſuum coluit; poſtremo caſu ſpero magis admonitum, quàm afflictum iri. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 15. *April.* 1710.

EPISTOLA XII.

I. De Gudii *MSc. II. Encyclopædia ſcientiarum verſibus conſcribenda, & III. Poëtis latinis.*

I. NEceſſario differenda reſponſio fuit, donec cum Sereniſſimo Duce Guelferbytano colloqui daretur: facilè enim judicas, ægrè talia per litteras agi. Nunc ergo licuit ad aulam ejus excurrere & prolixè cum eo agere de Gudianis manuſcriptis. Dixi, quod res eſt, & quod ad eorum commendationem dicendum erat, atque ita perpuli, ut propemodum res ſit confecta. Ipſe Dux aſſentitur conſilio meo, & cum ærarii ſui Directore aget, quo tandem certi aliquid concludatur. Director ipſe, quum ſit inſignis Fautor ſtudiorum, non deerit voto meo, ut ſpero, ſed quum in aliquot dies abſit, exſpectandus eſt ejus reditus, ut negotium conſtitui, concludique poſſit. Hæc tamen interim ſignificanda putavi, ut videas a me non negligi cauſſam litterarum, nec commendationem tuam. Catalogum MStorum oſtendi Sereniſſimo Duci eum, qui adjunctus eſt catalogo impreſſorum, & ſpero ab iis non differre, quos memoras indices poſtea editos, ipſosque libros omnes affore, qui in eo memorantur.

II. Gaudeo Bibliothecam *Ehrenkronianam* ſanè inſignem tibi patere, quamquam enim tutè jam habeas multa, quibus de re litteraria bene mereri poſſis, multum tamen ad ornanda præclara inſtituta facit copia inſignium librorum. Sæpe cogitavi, Encyclopædiam quaſi quandam confici poſſe ex Poëtis, & plerasque ſcientias, aut certè potiſſimas earum partes, verſibus egregiis explicatas haberi. Ea de re aliquando a te per otium cogitari optem.

III. Latinorum Poëtarum bonorum numerus mirè contrahitur hodie, & in pauciſſimos recidit. Putem ad te perveniſſe carmen, quod antè annos aliquot *Werlovius* JCtus Helmſtadienſis inſignis in Guelficæ Principis matrimonium Hiſpanicum edidit, quod certè meretur legi. *Peterſenius* etiam Theologus carmine latino valet. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Guelferbyti* 2. *Junii* 1710.

EPI-

EPISTOLA XIII.

De Gudianis MSc.

PAucis tabellario abituriente ſignifico rem tranſactam eſſe, & Sereniſſim. Ducem Brunſvicenſem, qua eſt in bonas litteras propenſione, in mandatis dediſſe, ut pecunia conſtituta tradenti manuſcripta Gudiana, ad indicis præſcriptum, exſolvatur. Conferens indicem poſteriorem, priſtino Bibliothecæ integræ catalogum editum claudente, paſſim quædam deeſſe video, quæ non puto diſtracta, ſed tantùm disjecta, neque enim, niſi quæ in calce ſunt, haſtæ ſubjecta fuere. Ea repertum iri, credo, quòd ſi tamen conſtaret alienata fuiſſe, contractus executionem non morabuntur; idem eſt, ſi bona fide quæſita reperiri non poſſint. Conſultiſſimum erit, libros Hamburgum transferri, atque ibi traditionem fieri, etſi ſumtum tranſvectionis in nos recipiamus. Si tamen malit Dn. *de Gude* in prædio ſuo conſignationem fieri, neque id defugiemus. Noſter mandatarius apud Dn. *Kirchovium* amicum tuum inquiret, ibique, quid placuerit, intelliget. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Guelferbyti* 24. *Junii* 1710.

EPISTOLA XIV.

I. *De* Rantzoviis. II. Krüſikenio. III. Simonis Henr. Muſæi *de jure Mutinenſium controverſiis.* IV. Jo. Alb. Fabricio, *atque* V. Gudii *iconibus atque marmoribus.*

I. GRatiſſimæ tuæ non unæ mihi redditæ ſunt. Gaudeo, te mei meminiſſe tam benevolè, & Dnn. Collegarum tuorum, virorum inſignium, favorem mihi vel conciliare, vel conſervare. Mihi dolet, quòd diutius apud vos hærere non licuit, eorumque perinde ac tua benevolentia frui, cujus, quantum par eſt, pretium ſtatuo. Illuſtriſſimæ gentis *Rantzoviæ* cultorem me ſemper profeſſus ſum, quod ut egregii fratres, quorum meminiſti, occaſione data, intelligant, peto.

II. Velim occaſionem & mihi dari inſerviendi doctiſſimo *Krüſikenio*, cui Græcæ litteraturæ ulteriorem cultum eò commendavi libentiùs, quò rariores nunc ſunt in Germania, qui in hoc genere aliquid non vulgare præſtare poſſint.

III. Rogo, ut ampliſſimo JCto veſtro Dn. *S. H. Muſæo* ſalutem officioſam a me reddas, eique ſignifices, ignotum mihi Dn. *Joh. Jac. Fovium*, cujus litteras Mutinæ datas accepit. Commercium eſt mihi cum celeberrimo viro *Antonio Muratorio*, qui Ducali Archivo, Bibliothecæque præeſt, & ante paucos annos aliquot inſignia antiquitatis monumenta ex Bibliotheca Ambroſiana Mediolanenſi edidit in lucem: idem in tuendis juribus Sereniſſimi Ducis ſui egregiè laborat. *Cæſar Ateſtinus* Mutinæ Dux, *Alphonſi II*, cui ſucceſſit, non filius, ſed conſobrinus fuit, avumque *Herculem II.*

culem II. habuit, Patrem *Alphonſum*, *Herculis II.* filium, ſubſequente matrimonio cum Domina *Laura* legitimatum; matrimonium autem verum fuiſſe, & *Lauram* etiam mortuo marito pro Duciſſa a privigno cultam, ſatis ab Ateſtinis Scriptoribus comprobatum eſt.

IV. *Fabricium* Hamburgo diſceſſurum eſſe ignorabam, nec dum ſcio, quem in locum ſit digreſſurus: modo ne Germaniam deſerat, contentus ero; quamquam mallem, Hamburgenſes inſignem virum retinere, lautasque ei conditiones oſſerre, ne tale urbis ſuæ ornamentum amittant.

V. *Gudium*, nobiliſſimum virum, accepiſſe ſpero nummum aureum inſignem Sereniſſimi Ducis Brunſvicenſis juſſu miſſum; id agente me ex condicto, ut pro iconibus & marmoribus redhoſtimentum haberet. Si perveniſſet ad me Catalogus *Morhoſianæ* Bibliothecæ haud dubiè inde quædam redemiſſem, nunc vereor, ne ſeriùs nanciſcar. Gratiſſimum erit videre tuæ Encyclopædiæ poëticæ initia in re morali. Quod ſupereſt, vale & ſave. *Dabam Guelferbyti* 14. *Octobr.* 1710.

EPISTOLA XV.

I. *Icon* Marquardi Gudii. II. *Profeſſorum Kilonienſium elogium.* III. *De* Muſæi *de jure Mutinenſium cum Italis controverſia.* IV. *De Academia equeſtri Berolinenſi.*

I. GUdianas & ipſe litteras accepi, indices perlati numiſmatis aurei; itaque gaudeo, hanc rem confectam, in qua tibi plurimum litteræ debent, tuo enim interventu, tua ſuggeſtione negotium non perfectum tantùm, ſed & cœptum eſt. Icon ſummi viri *Marquardi Gudii* etiam Sereniſſ. Duci grata erit.

II. Dn. *Wagnerus* nuper apud me fuit, tuamque & Collegarum tuorum, inſignium virorum, humanitatem, doctrinamque plurimum laudavit gratus. His, quibus notus ſum, commentari me peto, & egregiis viris *Muſæo* & *Maio* gratias pro ſalutatione a me reddi, ſed magis etiam pro præclaris doctrinæ monumentis.

III. Gaudeo, quòd Italis etiam viſus eſt dignus Ampliſſimus *Muſæus*, qui de jure Mutinenſium accuratiùs edoceretur. Nuper ex Illuſtriſſimo Marchione Bergomo quæſivi ipſemet (nam aliunde ſcribendi occaſio fuit) quis eſſet ille *Fovius*, qui litteras dedit.

IV. Academia Berolinenſis equeſtris præfectum habet virum inſignem Dn. *de Staf*, mihique amicum, qui multiplici doctrinæ ornatu inſtructus eſt, Hiſtoriam, Genealogias, rem Heraldicam, Matheſin practicam, rem militarem novit; olim Principibus juventutis Haſſiacæ Caſſellis præfuit. Hujus inſpectioni juvenes nobiles rectè committi minimè dubito, & ſunt Profeſſores non ſpernendi, qui eos diſcenda docent in omni genere inſtitutionis. Quod ſupereſt, vale & me ama. *Dabam Hanov.* 10. *Nov.* 1710.

EPISTO-

EPISTOLA XVI.

I. *De* Grotii *epiſtolis ineditis.* II. Leibnitius *nova litteraria Galliæ deſiderat.*

I. GRatiſſimas tuas recepi, & vota votis reddens precor, ut Deus tibi in anno novo multorum aliorum ſeriem felicem aperiat. *Bentzelius*, Bibliothecarius Upſalienſis, vir doctus, ſubinde ad me ſcribit. Fratrem ejus gaudeo Epiſtolas *Grotii* nondum editas emiſſurum eſſe. Pater eorum Archi-Epiſcopus Upſalienſis fuit.

II. Gratias ago pro novis litterariis ex Gallia, quæ nobis rara ſunt hodie, quia pauci noſtratium in Gallia verſantur. Si daretur Dn. fratri tuo occaſio, *Huetium* ſummum virum a me ſalutandi, mihi rem gratiſſimam facturus eſſet. Noſſe vellem, quo loco ſit Hiſtoria Regis, quam Dn. *Bevilaqua* (*Boileau*) cum aliquot aliis inſignibus viris conſcripſit. Diſcere etiam velim, an totus *Mercurius Gallant*, ut ſic dicam, vulgo *Mercure Galant* a *Deviſæo* nuper extincto a multis annis compoſitus, tolerabili pretio haberi poſſit, & quanti? item a quanto tempore haberi poſſit *la Gazette de Paris*, tam ordinariorum, quàm extraordinariorum, utrum ſcilicet tolerabili pretio, & quanti? Ego puto me eam collectionem habere circiter uſque ad annum Dom. 1684. vel paulo ultra; & reliqua redimerem, ſi commodo pretio haberi poſſent. Itaque rogare Dn. fratrem tuum per te audeo, ut ea in re favere velit, & inquirere. Poſſet litteras mihi aut tibi deſtinatas deferre ad R. P. *le Long*, Bibliothecarium Oratorii, cui litterarium mecum commercium eſt. Idem me obſtringet, ſi de viris apud Pariſinos eruditis quædam docebit, & quæret nobis aliquem, cujus etiam in poſterum commercio ſubinde diſcere liceat ἀνέκδοτα litteraria vel alia non vulgaria de ſtudiis eruditorum gentis; nam mei amici ſolemnes nimis in ſcribendo circumſpecti ſunt. Ego autem nova litteraria tantùm, non verò ad rem publicam pertinentia expeto; itaque tanta circumſpectione opus non eſſet. Noſſe præſertim vellem, quæ ſubinde gerantur in Academia Scientiarum Regia, & quæ non ſemper in Hiſtoria Academiæ aut Miſcellaneis inſeruntur. *Fontenellus* enim ſupprimit liticulas, controverſiolaſque, aliaque id genus, ſæpe digna ſciri. Olim in Gallia multa exigua ſctipta in rebus mathematicis, phyſicis, philoſophicis edebantur apud *Joh. Cuſſon*, qui tunc erat Bibliopola Diarii eruditorum. Multùm me obſtrinxerit Dn. frater tuus, ſi inquireret, annon bona pars hujuſmodi libellorum, qui ferè ſparſi pereunt, inveniri & in uſum meum redimi poſſit? Vides, me uti oblata occaſione favore tuo, & parem a Dn. fratre tuo benevolentiam ſperare, quam demereri poſſe velim. Gratias Ampliſſimo *Muſæo* agi peto, quòd mihi favere pergit. Novum prodiit opus Mutinæ in cauſſa Comachenſi, Italico itidem ſermone, quo Papalitiorum noviſſima contraria ſcripta refutantur. Vale & ſave. *Dab. Guelferbyti 9. Januar.* 1711.

EPISTOLA XVII.

De Reyhero & Schelhammero.

SPero, te optimè valere cum amicis optimis *Reyhero* & *Schelhammero*; a quibus adhuc præclara exſpecto, optemque illum inventorum indicem, *Weigeliano* more, hunc ſuas veræ Medicinæ inſtitutiones pene ignotas nobis dare. Ego, quum Berolinum hac hyeme excurriſſem, crure ex caſu vulnerato nonnihil laboravi, nunc tamen reſtitutus divina gratia in eo ſum, ut mox hinc diſcedam, poſtquam id ſtudui, ut Societas Regia magis magiſque ad res bene gerendas animaretur. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Berolini.* 4. *Mart.* 1711.

EPISTOLA XVIII.

I. *Morbo laboravit* Leibnitius. II. *Cum* Grimareto *litterarum habet commercium.* III. *De vita mortuorum ex ſententia veterum paganorum.* IV. *De* Reyheri *inventis.* V. Kortholtum *de obitu conjugis conſolatur.*

I. AB aliquot menſibus non optima valetudine uſus ſum, nam & cruris vulnus diu curationi refractarium ægrè ſanavi, & arthriticos affultus ſum paſſus; mediocri quidem dolore, ſed non mediocri incommodo, quòd ſatis liberè agere non poſſem. Nunc meliùs me habeo, & meliora ſpero.

II. *Grimaretus* Gallus, quem Dominus frater tuus mihi ad litterarum commercia ſuppeditavit, ſcripſit ad me litteras, bonæ frugis plenas.

III. Elegans eſt materia, & te digna, de vita mortuorum ex ſententia veterum ethnicorum. *Tolandus* Anglus alicubi perſuadere nobis voluit, immortalitatem animæ fuiſſe Ægyptiorum inventum, (g) ſed vetuſtiſſimos Græcos idem ſenſiſſe manifeſtum eſt. Celtarum Druides idem ſenſiſſe, *Lucanus* teſtatur, & in ipſa America populi Virginiæ credunt, animas defunctorum trans ingens montium jugum habitare, denique antiquiſſima eſt Indorum ſententia de migratione animalium.

IV. *Reyherus* veſter, vir egregius, miſit tandem ad me inventorum catalogum, in quo multa ſunt optimæ frugis. Vellem ederet addita explicatione.

V. Ele-

(g) Hanc ipſam perverſam de immortalitate animæ ſententiam *Jo. Tolandus* propugnat in libro, cujus index: *Letters to Serena*, in quibus ſecunda epiſtola hiſtoriam doctrinæ de immortalitate animæ inter gentes complectitur. B. *Jo. Franc. Buddeus*, *in theſibus de Atheiſmo & ſuperſtitione Tolandi* de immortalitate animæ obſervationes ſub examen vocavit. conf. ven. *Jo. Laur. Moshemius* in Commentatione de vita, fatis & ſcriptis *Tolandi* p. 143. ſeq. K. N.

V. Elegans eſt Epigramma tuum in amici viduitatem, quo tuum dolorem ita pingis, ex conjuge amiſſa, ut in affectus ſocietatem alios rapias. Velim tamen ſequentis verſus memineris:

Ne nimium luge, lugendi cauſſa futurus;
Eſt fateor juſtus, ſed nocet iſte dolor.

Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov. 22. Mart. 1711.*

EPISTOLA XIX.

I. *De* Reyheri *catena fortificatoria.* II. *De MSc.* Guidonis *&* Hermanni Zoeſt. III. *De feſto Ivel.* IV. *De* Croſii *dialogis.* V. *De* Eccardi *ſcripto Genealogico.* VI. Leibnitii *epiſtola ad Abbatem* Gerardum Molanum.

I. VAlde venia opus habeo, qui aliquot litteris tuis humaniſſimis & eruditiſſimis nondum reſpondi. Fui verò diſtractus admodum, nec ſatis commoda valetudine uſus, ſed cum ea nunc ſic ſatis in gratiam, Dei beneficio, redii; nundinas etiam Brunſvicenſes adii. Dolorem tuum refricare nolo, & ſolatium efficax opto. Tibi, ac doctiſſimo Dn. fratri tuo *Jceli Joanni Kortholto* obſtrictus ſum, quòd res novas Pariſiis & in Belgio nuntiatas mecum communes eſſe voluiſtis, idque demereri velim. Ecce quid in mentem venerit; confecit vir eximius *Sam. Reyherus* inſtrumentum quod dam Architecturæ militaris, quod appellat: *Fortifications-Kette*/ conſtat ex partibus mobilibus ſeu plicatilibus, & varia polygona exhibere poteſt. Id vellem mihi parari, quam primum commodè fieri poterit, & libens pretium exſolvam. Faciliùs autem apud vos parabitur ab artifice, qui vel tale jam confecit, vel ſaltem jam confectum ante oculos habere poteſt. Obſtringes me non mediocriter, ſi hoc mihi procuraveris; nam viſum eſt perelegans. Inventor vir humaniſſimus, quem officioſiſſimè a me ſalutari peto, facilè hoc indulgebit. Princeps noſter puellus nondum quidem ſtudiis maturus eſt, ubi verò nonnihil adhuc adoleverit, proderunt ipſi præclara inventa *Reyheriana*, quæ tunc etiam commendare, Deo volente, non negligam.

II. Manuſcripta, quæ memoras, *Guidonis*, Epiſcopi Elnenſis de Hæreſibus; & *Hermanni Zoeſt* de monaſterio, de eccleſiaſtica poteſtate, videntur eſſe non ſpernenda.

III. Gaudeo, doctiſſimum virum, *Ottonem Sperlingium*, adhuc ſtudiorum laboribus parem eſſe, & opus contra *Pezronium* moliri. Ivel feſtum a Wheel id eſt ſolis reverſione, ſeu rota dictum, id eſt, ſolſtitio hyberno, jam *Beda* notavit. Non dubito, quin eadem ſit *Sperlingiana* originatio, quam in libello ejus argumenti dedit.

IV. Videris Dialogos, quibus *La Croſus* Gallus, vir doctus, & inter Bibliothecarios Berolinenſes cooptatus, *Baſnagii* Hiſtoriam Judaicam vellicavit.

V. *Eccardus* meus libellum elegantem edidit, quo oſtendit, Czaroviciũm ex majoribus Brunſvicenſium, & viciſſim, ſponſam ejus ex majoribus Czaris oriri.

VI. Epiſtola mea ad Abbatem *Molanum* de Pufendorfiano officiorum opere, quam Dn. *Boehmerus* Helmſtadii ſuo cuidam Programmati inſeruit, & quam aliquando deſiderare videbaris, inſerta eſt nuper uni ex menſtruis libellis litterariis, qui Lipſiæ Germanico ſermone prodeunt titulo: Büchers Saal. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 8. *Sept.* 1711.

EPISTOLA XX.

I. *De* Schelhammeri *inſtitutionibus medicis.* II. *De* Stahlii *dogmatibus.*

I. DUm ſchedas meas recognoſco, video, me debere reſponſum clariſſimo Dn. fratri tuo, qui Pariſiis ad me ſcripſerat. Hanc negligentiæ notam ut eluam, has ad eum do litteras, quas ut cures, peto. Ego Torgaviæ nuper non tam ſolemnia nuptiarum, quàm ipſum Magnum Czarem ſpectabilem reperi. Inſignis viri *Schelhammeri* noſtri χαριςήτε inſtitutiones medicas urgeri opto. Unus mihi videbitur eſſe ex pauciſſimis, qui hodie veterum doctrinam novorum inventis rectè conjunxerit, & de utriſque, ut par eſt, judicet. Ubi abſolverit opus, bibliopolam ſpondere auſim. Velim *Sennerti* exemplo ſeſe diffundat nonnihil, & ſententias celebriores examinet; ita novum in ipſo *Semertum* habebimus, priore illo, etſi magno viro, longè præſtantiorem.

II. Noſſe velim, quid de Cl. Medici *Stahlii* novis, & ni fallor, ſuperbis nonnihil dogmatibus ſentiat, quamquam ille paullo perplexiùs ſcribat, & de aliis audaciùs judicet, & non rarò laudanda ſpernat; videtur tamen aliquid boni habere, inprimis tunc, quum preſſius adhæret Obſervationibus. De cetero videtur ad Archæum *Helmontianum* inclinare, etſi aliis verbis. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 8. *Decembr.* 1711.

EPISTOLA XXI.

I. Leibnitii *epigramma in* Gudium, Spanhemium & Meibomium.
II. *De vita mortuorum.*

I. ICon Gudiana Sereniſſimo Duci perplacuit, collocabiturque in Bibliotheca, quam Gudiani Codices tantopere auxere. De inſcriptione diſpicietur. Ecce Epigramma meum vetus non in ipſum tantùm, ſed & in binos amicos ejus.

Quum *Gudius* Romæ, ſimul & *Spanhemius* eſſent,
Meibomii & pariter tertius iret honor;
Teutonas urbs princeps tres tempore vidit ut uno,
Vidit, & indignans talia dicta dedit:

Abſtu-

Abſtulit imperium nobis, *Martem*que parentem,
Cumque Aquilis ipſum natio veſtra *Jovem*.
Jamque Palatinus tantùm reſtabat *Apollo*,
Vos rapitis: ſemper Celtica præda ſumus.

II. Præclarum eſt argumentum de vita mortuorum, & te tractaturo dignum; utile inprimis, ut oſtendatur, doctrinam de immortalitate animarum vetuſtiſſimam eſſe. *Tolandus* Anglus, quædam, ni fallor, verba *Diodori Siculi* producens, voluit eſſe inventum Ægyptiorum, & nuper Angli quidam alii ridiculè dixere, athanaſiam animæ naturalem eſſe dogma, ethnico potiùs quàm chriſtiano dignum. (*h*) Antiquiſſimi Indi, etſi errarint, metempſychoſi introducta, rectè tamen agnovere, animas naturaliter perire non poſſe. Mea ſententia eſt, omnes animas eſſe indeſtructibiles, quum ſint incorporeæ, & partium expertes, veræ Atomi naturæ ſeu Monades. Nam Atomi corporeæ *Epicuri* ſtare non poſſunt; quum enim partes habeant, non niſi miraculo indiſſolubiles eſſe poſſent. Quin imò ſentio, non tantùm animam, ſed & animal unumquodque præextitiſſe ab initio rerum, ſed variè transformari, augeri, minui, corpore inſtar fluminis mutato, anima tamen ſemper permanente. Et ſanè *Swammerdamius*, *Leewenhoekius*, *Malebranchius* & alii non malè judicarunt, generationem animalium non eſſe re vera, niſi augmentationem & transformationem. Ego ulteriùs procedo, & ſtatuo, quum animal re vera nunquam oriatur, re vera etiam non interire, & ut vitæ initium non eſt, niſi apparens, ita & ejus finem non eſſe, niſi apparentem, & ut generatio animalium non niſi augmentatio eſt ut evolutio, ita & mortem eorum non eſſe, niſi diminutionem & involutionem, ſalvo ſemper aliquo vitæ gradu, etſi ſæpe ſit ſopori ſimillimus, cui & *Chriſtus* mortem comparavit. Et verè rationis eſt, ut quod naturaliter non incipit, etiam naturaliter non pereat. Cæterum in animabus rationalibus inprimis conſiderandum eſt, eas in ſeminibus ab initio rerum conſtitutas, conditionem & naturam non niſi animæ ſenſitivæ habuiſſe, donec ad rationis gradum exaltarentur. Unde etiam non omnia animalia humana ſeminalia, quæ innumera ſunt, ſed ea tantùm, quæ ad conceptum humanum perventura ſunt, animam eminentiorem habent, nondum quidem rationalem, rationi tamen futuræ præparatum, itaque præexiſtentiam quidem animarum, ſed non animarum rationalium, ſeu mentium admitto. At verò ubi ſemel rationem adeptæ ſunt animæ humanæ, ſtatuo, non pati divinam ſapientiam, ut rurſus amittant. Mentes enim conſervant non tantum ſubſtantiam, ut aliæ animæ, ſed & perſonam, id eſt, conſcientiam ſui, ſeu actum reflexum, ut pœnæ, præmiique ſint

(*h*) Ad *Henricum Dodwellum* LEIBNITIUS procul dubio reſpicit, qui Lond. 1706. epiſtolam Anglico edidit ſermone, in qua e Scriptura Sacra & primæ Eccleſiæ Patribus probare ſtuduit; quòd anima ſit principium naturaliter mortale conf. Acta Erudit. 1707. p. 207. *K. N.*

ſint capaces. Itaque mentes ſeu animas rationales immortales eſſe dico; cæteras animas tantùm indeſtructibiles. Etſi enim & hæ immortales dici poſſint phyſicè, non tamen ſunt moraliter immortales. Ita quod in *Pythagora*, *Platone*, *Ariſtotele*, aliiſque Veteribus optimum eſt, retineo, omniaque certis rationibus inter ſe connecto, & nonnihil hæc attigi in Theodicæa, & jam antea in quibuſdam diariis eruditorum. (*i*) Sed neſcio quomodo in hoc digreſſus ſum, occaſione præclari inſtituti tui. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 17. *Jun.* 1712.

EPISTOLA XXII.

I. *De machina aſtronomica exhibendis motibus Planetarum accommodata.* II. *De* Relandi *&* Rhenferdi *cum* Clerico *controverſiis.* III. *De Poëſi Latina & Germanica.* IV. Carteſii *de anima brutorum ſententia*, *&* V. *De* Julio Caeſ. Vannino.

I. LItteras tuas gratiſſimas 2. Januarii datas, heri demum accepi Viennæ, ubi nunc ago. Gratias ago, quòd me doces, quæ in re litteraria gerantur, ego quæ hinc reponam non habeo, niſi quòd hic vidi machinam Aſtronomicam, exhibendis motibus planetarum ita accommodatam, ut auctor inde Ephemerides ad annum uſque Domini 2000. ſine calculo condiderit: an ſatis accuratè, examinari è re erit. *Cæſari* animus eſt, excitare ſtudia litterarum, & ſunt aliquot in aula viri inſignes, qui hoc inſtitutum juvabunt.

II. *Relandus* & *Rhenferdus* viri præclari non malè collocabunt tempus in examinandis celeberrimi viri *Joh. Clerici* theorematibus Hermeneuticis, ſed vellem abeſſe cavillos, & quidquid affectus ſapit.

III. Poëſin Latinam apud Batavos tantoperè excoli, cum voluptate intelligo ex tuis. Neſcio an Fabulam Moralem videris de neceſſitate perſeverantiæ in cauſſa publicæ ſalutis, eſt ſcripta iambis, & exhortationem continet ad conſtantiam in bello juſto perſequendo. Extat cum verſione Gallica, Lipſiæ, puto, edita. (*k*) Sed placet etiam non deeſſe, qui Germanicam poëſin percolant, promoveantque, vellemque calcar addi doctiſſimo, quem memoras, *Hofmanno* Holſato.

IV. *Gomezii Pereyræ* librum ſub Antonianæ Margaritæ nomine editum legi olim; non eſt ſpernendus, nec doctrina ejus de natura animæ brutorum abhorret a ſententia Carteſianorum, ſed *Carteſio* notum fuiſſe vel lectum, vel uſurpatum, non eſt veriſimile; ſatis illi talia ſuppeditabant propriæ meditationes. Ego bruta animam incorpoream habere arbitror, eamque non perituram, etſi immortalis dici non mereatur, quia eandem perſonam

(*i*) Conf. *Leibnitii* Theodicæa P. I. §. 89.

(*k*) Hæc fabula Latinè & Gallicè extat in hocce tomo.

ſonam non retinet, ut anima humana, quæ conſcientiam geſtorum, ſeu memoriam ſui conſervat, atque ideo præmii & pœnæ eſt capax ultra hanc vitam; ſententiam hac de re meam *Baylius* dictionario inſeruit voc. *Rorarius*, annotationeſque in eam dedit, quibus pro parte reſpondi in diario *Baſnagii*.

V. Apologiam *Vanini* nondum vidi, nec magnoperè dignam legi puto. Scripta ejus parvi momenti ſunt, ſed homo ineptus, imò ſtultus comburi non merebatur, claudi jure poterat, ne alios inficeret. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Viennæ* 15. *Mart.* 1713.

EPISTOLA XXIII.

I. *De viri illuſtris* Wibii *Conſiliarii intimi &* Seb. Kortholti *in Academiam Kilonienſem meritis.* II. *De Bibliotheca* Ehrenkroniana *&* Feldiana. III. *De* Schelhammero *&* Reyhero.

I. ET tibi gratulor, & veſtræ Academiæ cauſſa gaudeo, quòd negotia ejus in aula Regia tam præclarè geſſiſti. Illuſtriſſimum *Wibium*, ſummum virum a multis laudari audivi, ſed apud me plurimum certè aucta ejus exiſtimatio eſt ex litteris tuis, unde apparet, non dedignatum Academiæ veſtræ tutelam, & Virorum doctorum curam; quos vulgus aulicorum, etiam qui per litteras emerſere, alto, ſed inepto ſupercilio ſpernere ſolent.

II. *Ehrenkroniano* indice memorato ſalivam hic movi Magnatibus Hiſpanis, quos inter eleganter doctus eſt Comes *ab Oropeſa*; itaque pergratus aliquando ille index erit. Quis quæſo eſt ille Dominus in *Felde*, qui egregiam Huſumi bibliothecam poſſidet, & unde Pontificius? an orbus?

III. Utinam optimo & doctiſſimo *Schelhammero* noſtro conſuli poſſet. Hortatus ſum, ut immortalibus laboribus ſublevaret animum, nec pro futuris rerum moleſtarum cogitationibus attereret. Præclarè faciet Ampliſſimus *Reyherus* noſter, ſi multa egregiè cogitata non perire patiatur, ſed reipublicæ donet inter vivos; ſed vellem ſufficienter explanet, ne aliquando ænigmata videantur. Ambos rogo, ut a me officioſiſſimè ſalutes. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Viennæ* 4. *Nov.* 1713.

EPISTOLA XXIV.

I. *De* Reyheri *obitu.* II. *De* Tychonis Brahei *obſervationibus.* III. *De* Libani *epiſtolis ineditis.* IV. *De* Olai Roemeri *obſervationibus.* V. *De* Ottone Sperlingio. VI. *De* Theut *Deo Gallorum & Germanorum.* VII. *De Conſil. intimi Danici* Jo. Georgii Holſtenii *meritis in litteras.* VIII. *De* Pufendorfii *Hiſtoria* Friderici Guilielmi *& de Hiſtoricis Iſlandicis.*

I. GAudeo, te palmis ornatum Hafnia domum rediiſſe. Non exigua eſt victoria in aula pro litteris, martiis temporibus obtenta. Præclare illæ Bibliothecæ vendibiles, de quibus loqueris non mei forent mar-

ſupii, nec de Principibus adhuc multum promittere auſim, donec deſerveant nova pericula a Septentrione & Oriente. Doleo optimum *Reyherum* deſtituiſſe ſpem noſtram & promiſſa ſua; volebat enim, ut noſti, elegantes non paucas, etſi minutas aliquando, non inutiles obſervationes & meditationes ſuas colligere, & edere, quæ nunc intercidere.

II. *Tychonis Brahei* ſummi viri obſervationum volumen edidit *Albertus Curtius* Jeſuita, ſub titulo: Hiſtoria cœleſtis ex ſchedis, quæ defuncto Autore Pragæ ſuperfuerant. In ſecundam editionem *Erasmus Bartholinus* cenſuram ſtrinxerat, itemque editionis Hafnienſis fecerat, quam vellem celeberrimus *Wolfius* impleret.

III. Suadeo, ut Ampliſſimus *Roſtgardius* Epiſtolas *Libani* hactenus ineditas, edi quàm primùm curet, ne ab aliis præveniatur.

IV. *Olai Roemeri*, amici mei inſignis doleo non niſi triduanas edi obſervationes, quum debeat reliquiſſe tricennales, aliaque egregia multa. Inter alia libellum de aptiſſima figura dentium in rotis, rem ſubtiliſſimæ Geometriæ, mihi olim Pariſiis oſtendit.

V. *Ottonem Sperlingium* gaudeo adhuc valere, utinam utiliora & ſelectiora dare ne differret. Oſtendit mihi aliquando *Crantzii* vitam a ſe elaboratam.

VI. *Theut* fuiſſe Deum & Gallorum, & Germanorum non puto dubitandum, nempe Tuiſconem Germanorum, a quo *Tuitſche* vel Teutones nunc quoque dicuntur, nihil differre a Teutate Gallorum. Olim ea de re nonnihil digladiati ſumus in litterariis Balthicis, ſed non bene memini, quid ille tunc oppoſuerit. *Thuano* omiſſa ſed in Gallicis editionibus peculiari libello in Batavis edita ſunt, ſed ſi volumen integrum & juſtum habet Bibliotheca Regia Danica, aliud contineat oportet.

VII. Illuſtriſſimum Virum, Conſiliarium intimum *Holſtenium*, quem maximi ſemper feci ex fama, nunc bis terque colo, quod litteras ſibi in loco tam ſublimi poſito adhuc tam caras oſtendit, plerumque enim viri docti litteras, ut mercenarii tractant, &, ubi ad alliora pervenere, ſpernunt.

VIII. Neſciebam *Pufendorfiana* aliqua Hiſtoriæ *Frid. Guilielmi* ante editionem fuiſſe ſuppreſſa. Ea haberi operæ pretium foret. Iſlandicis Hiſtoricis & Sagis in rebus paullo remotioribus non multum tribuo. An Dn. Frater tuus adhuc in Gallia, vel alio itinere agit? Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 1. *Febr.* 1715.

EPISTOLA XXV.

I. Holſtenii *de propagatione repurgatæ fidei conſilia.* II. Roſtgardi & Eccardi *de veteri Teutoniſmo inſtitutum.* III. Reyheri *obſervationes.* IV. *Epigramma* Leibnitii.

I. GAudeo, te cum valetudine in gratiam rediiſſe. Ego ſubinde pedibus laboro, interdum & manus invaduntur. Caput & ſtomachus hactenus divino beneficio officium faciunt. Non bene memini ipſe, quæ deſi-

deſideria mea tibi perſcripſerim, eruditis Daniæ per te commendata. Quæcunque fuerint, tua commendatione pondus accipient. Mirifice gaudeo, Illuſtriſſimum *Holſtenium* de propagatione repurgatæ fidei cogitare. Libellum, quem tibi miſit hac de re, videre opto. (*l*) Fortè ex proximis nundinis Lipſienſibus *Fôrſterus*, bibliopola noſter reportare poterit. Utinam conſpirarent Potentatus Proteſtantes in hanc curam, præſertim, ut olim in Noviſſimis Sinicis optavi, apud Sinas, ubi miſſiones pontificiæ in periculo ſunt, Papæ ipſius obſtinatione, qui res per ſe innoxias, ut ſunt honores *Confucii* & majorum prohibet nequicquam. Jeſuitæ aut non parebunt, eludentque mandata ex longinquo, aut regno ejicientur. Utinam noſtri in partem ſolicitudinis hujus venirent, magis, ut credo, ſapienti Principi doctrinæ puritate placituri; ſuppeditare poſſem digna mitti Principi tanto. In litore Malabarico vix quicquam pro religione Chriſtiana magni efficietur, niſi ab eo, qui regionem teneat.

II. *Roſtgardum* inclytum virum nollem præclara conſilia planè omittere, præſertim illuſtrandi veteris Teutoniſmi, cujus tantum habet theſaurum, ſi tamen omnino ſpes nulla eſt huc amplius incubiturum, vellem ejus apparatum, obſervationeſque præclaras hujus inſtituti venire in manus dignas, quæ rectè uti poſſint, & grata ubique mentione tanti viri. *Cl. Eccardus*, qui omnia apud me egit, poſtea Helmſtadii Hiſtorias publicè docuit, nunc Hanoveram revocatus eſt Hiſtoriographi titulo, meo hortatu ſuopteque genio in hoc ſtudium mirificè ardet, magnoſque (auſim dicere) progreſſus fecit. Undique conquirimus quæ in rem. Favet Rex ipſe Magnæ Britanniæ; quid ſi faveat & *Roſtgardus?* ſed non utique gratis. Nam non aſpernabili pretio, æquo tamen, & quale Principum Miniſtris perſuadere poſſis, redimerentur, ſpero.

III. Bonus *Reyherus* noſter nos deſtituit, nec præſtitit, quod poterat, & promiſerat mihi, dare in publicum ſelectiores ſuas Obſervationes Mathematicas, Mechanicaſque. Vellem diſcipulos reliquiſſet, qui pleraque ſupplere poſſent; ſi qui tales ſunt, tibi non ignoti erunt. Clariſſimum Dn. fratrem tuum Pariſiis redire, (an ire?) gaudeo. Vellem, illic inſervire per amicos poſſe, optem ipſe illic favere velit mihi.

IV. Inſigni Poëtæ ſcribens Epigramma addo, ſed impar tuis, & eorum,

(*l*) Anno 1714. Hafniæ conſtitutum eſt collegium de curſu Evangelii promovendo. Electi viri auctoritate illuſtres pietateque ac eruditione conſpicui, qui prudentia ſua proveherent id negotium ſacroſanctum. Quo circa ſcriptum aliquod Germanicum publicarunt, cujus mentionem hic infert *Leibnitius*. Latinè id vertit *Jo. Chriſt. Hornung*, & diſſertationi *de converſione paganorum, ſigillatimque illa ſub potentiſſimi Daniæ Regis auſpicio apud Indos orientales nuper inſtituta*, præſide ſummè venerab. D. *Henrico Muhlio* Kilonii 1717. habitæ inſeruit §. X. p. 74. ſeqq. Huic principe loco die 19. Jan. 1715. nomen ſuum ſubſcripſit *Jo. Georgius de Holſten* quondam Conſil. intimus, Eques ordinis Elephant. & præfectus Tunderenſis. conf. epiſt. 26. & 27. ubi pluribus de eodem *Holſtenio*.

rum, qui Muſas frequentius colunt. Occaſio Epigrammatis nata eſt, quum nuper Neptunus viſus eſt Articulum pacis Anglo-Gallicæ circa Dunckerkam tueri velle, quod vocant, præſtare Guarantem; *Pufendorfius* ridiculè garantiam ipſam vertit evictionem, quæ contrarium eſt Guarantiæ, & per Garantiam emendatur. Veluti, ſi equus venditus evincatur a vero Domino, evictio a venditore emtori præſtanda eſt. Equidem præſtare Garantiam, eſt præſtare evictionem (ut JCti Romani loquuntur) ſed quemadmodum præſtatur damnum, id eſt, emendatur. Hæc phraſis Veterum JCtorum non bene intellecta Virum decepit, ut Garantiam evictioni confunderet; prorſus quemadmodum, ſi quis damnum indemnitati confundere vellet, quia præſtare damnum, (id eſt æquivalens damni) eſt præſtare indemnitatem. Sed hæc obiter. Quæris, quid in hanc rem egerit Neptunus? Si nempe memineris ex novellis publicis, mare nupera magna tempeſtate portus, vel Mardicenſis novi exitum ſabulo obſtruxiſſe:

In Neptunum pacti ſtatorem, quum mare Mardicenſem
Aquæductum ſabulo oppleviſſet.

Anglia Neptuno conqueſta eſt: Gallica pacta
Irrita ludibriis eſſe pudenda ſuis.
Quid Dunckerka vacet, ſi proxima Mardica ſurgat,
Longaque ſit ſtatio, quæ modo lata fuit?
Cui Deus: hoc poteras caviſſe, ô filia! falli,
Plus ſemel illuſus fœdere, dignus erat.
Ipſe tamen tueor. Quatit & mox ipſe tridentem,
Et ſubitò eſt cumulus, quæ modò foſſa fuit.

Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov. 25. April.* 1715.

EPISTOLA XXVI.

I. *De Mæcenatibus obſervatio.* II. *De Teutenwinckel prope Roſtochium.* III. *De origine Francorum.* IV. *De propaganda fide conſilia.* V. Sperlingii & Reyheri *poſthuma.* VI. *De* Orfirei *machina &* Krüſikenio. VII. *De* Kœnigsmanni *ſcriptis philoſophicis.* VIII. Leibnitius *puer doctus.* IX. Schelhammeri *inſtitutiones medicæ.* X. *De* Kœnigsmanni *obſervationibus philoſophicis.*

I. VErſus Horatianus, quibus litteras tuas gratiſſimas incipis, claudicat in meis pedibus. Feciſti pro amico haud dubiè & amica voluntate, quod ex meis quædam cum *Holſtenio* ſummo viro, communicaſti. Etſi verear, ne ea minuerint opinionem, quam de me habuiſſe videtur. Interim ab eo, & facto ipſius, & rationibus, exempliſque refutari gaudeo, quum negat, viros eruditos, ubi emergunt, litteras negligere, & exempla doctiſſimè affert, quibus applaudo. Unum pro me allegare licet, verillimum eſſe, quod ait, in magnis illis viris, qui litteras quodam genii impul-

impulſu, & ob honeſtam voluptatem, ex iis perceptam coluere. Sed in pleriſque vulgò amor litterarum mercenarius eſt. Tales, ſi jocante fortuna ex Rhetoribus Conſules fiant, oſtendunt, quàm a vera doctrina ſint alieni; ex quibus ego non unos novi, ſed non ſolent illi nomen magnum ſibi comparare in Hiſtoria, avidiores pecuniæ quàm gloriæ. Exempla ſunt odioſa, ut vulgò dicitur.

II. Teutenwinckel prope Roſtochium ignoravi hactenus, gaudeoque didiciſſe, eſt enim ſitus dignus notatu; Saltum Teutoburgicum non procul Viſurgi commemorat *Tacitus*. Poteſt a Deo nomen eſſe, poteſt & a Teutonum populo. *Theut*, ut *Man*, & hominem ſignificat, & hominem κατ' ἐξοχὴν virum inſignem, Principem Heroa, Deum. Denique etiam gentem, regnum, apud Ulfilam in Evangeliis. Teutones ſunt originariè collecti homines in genere. Sed nomina generalia ſæpe fiunt propria.

III. Rogatu amicorum in Gallia ed[illegible] Schediaſma de origine Francorum, (*m*) proboque ex Anonymo Ravennate, & *Ermoldo Nigello* inedito, Francos primum veniſſe a Balthico mari, fuiſſeque confluxum hominum ex Danis, Saxonibus, Anglis, Warnis, aliiſque populis vicinis. Memorabilis inprimis eſt locus *Ermoldi Nigelli* in carmine ad *Ludovicum* Pium, ubi dicit, famam eſſe, Francos ortos eſſe ex Danis. Ravennas ait, eos veniſſe ex Mauringia, id eſt, ex ora Balthici maris. Idem refert, Danos a Romanis fuiſſe laudatos ſupra Gothos & Perſas. Franci deinde Albim tranſgreſſi aliquamdiu inter Mœnum & Harzicos montes conſedere, tertia eorum ſedes fuit ad ripam dextram inferioris Rheni, donec tandem Rhenum tranſgreſſi Galliam occupaverunt. Non erit hoc ſchediaſma niſi trium plagularum circiter: Curabo, ut aliquot ejus exempla ad te mittantur, petoque, ut deinde rei notitia ad Eminentem virum Patronum tuum perveniat.

IV. Gaudeo eum dignas gradu, quem tenet, cogitationes animo concepiſſe, & ſapientiſſimo Regi probaſſe. Gratias ago, quòd notitiam conſilii typis editam ad me pervenire voluiſti. Neſcio, an noviſſima mea Sinica videris ante multos abhinc annos edita, tunc cum certis nuntiis conſtabat, religionem chriſtianam apud Sinas, Regis edicto permiſſam. Ibi vota concepi, ut vellent Principes, quibus repurgata religio cordi eſt, animum advertere, ad propagandæ veræ fidei curam. Ex eo, ſub *Guilielmo* Rege M. Britanniæ, ſocietas quædam in hanc rem apud Anglos inita eſt; ſed hactenus non magno ſucceſſu. Video, in illa, quam miſiſti, notitia id agi præclarè, ut linguæ populorum noſcantur, apud quos fidem Chriſti prædicari cupimus. E re, ni fallor, foret, ex iliis ipſis populis allici aliquos linguæ, litterarumque gentis ſuæ peritos, & mitti in Europam, ut hic adoleſcentes inſtituant. Ita noſtri, quum illuc venient, non perdent tempus in diſcenda lingua, cujus uſum etiam plerumque difficilius

(*m*) Vid. hanc Diſſertationem de origine Francorum in T. IV.

ficiliùs ſibi comparant, qui jam ætatem habent, & negotiis curiſque ſunt diſtracti. Itaque olim ſuaſi, ut Batavi Sinenſes aliquot, (quorum non paucos in ipſa Orientali Batavia habent) accerſerent in Europam, qui hic ſcholas aperirent, & pueros delectos lingua ſcripturaque imbuerent. Hi demum, ſi mores probati, & reliqua doctrina accederet, miſſionibus ſacris aptiſſimi forent, & quum maxima futura ſit meſſis Chriſtianiſmi in ampliſſimo illo Sinarum regno, ſi boni operarii accederent, vellem profectò in eam curam incumbi a noſtris: præſertim quum res jam eo ſit loco, ut ſi Romanus Pontifex pergit, qua ire cœpit, via, Miſſionarii ipſius apud Sinas, qui dicto ejus audientes futuri ſunt, expulſum iri videantur.

V. Multa haud dubiè in *Sperlingianis* poſthumis erunt digna edi, quæ nollem interire. Ipſe mihi aliquando dixit Hamburgi, ſe vitam *Alberti Crantzii* elaboraſſe. Hortandus eſt Nobiliſſimus *Reiſerus*, ut aliquid inde conferat in publicum. Gaudeo, Dn. *Reyherum* generum, pariter & ex fratre nepotem (ſic loqui audeo) clariſſimi *Samuelis* ſupplere poſſe, quæ ille dare neglexit.

VI. De *Orfirei* Machina nondum habeo, quod dicam; neſcio, an talis ſit, ut ad magna opera adhiberi poſſit. Dn. *Krüſikenium* dignam ſtationem inveniſſe gaudeo; Credo etiam, nunc utilibus ſtudiis ſubinde vacare poſſe.

VII. Incidi aliquando in quædam Dni. *Koenigsmanni*, Philoſophiæ, ni fallor, apud vos Profeſſoris, quæ mihi perplacuere. Ego enim Metaphyſicam, & cognatas diſciplinas majores facio, quàm vulgò hodie fieri ſolet. Vellem noſſe, quem primum putet Metaphyſicam in artem redegiſſe. Omnia ejus aliquando nanciſci gratum erit. In Theodicæa mea dedi quædam, ex quibus pars Metaphyſicæ demonſtrativæ confici poſſet.

VIII. Elegantiſſima ſunt tua de ſenibus diſcipulis, de puellis eruditis. Neſcio, an ego, ut tibi videri video, inter pueros tuos locum merear. Etſi enim puer una die carmen Pentecoſtale trecentenorum verſuum ſcripſerim, (quum ille, qui in ſchola publica pridie ante feſtum recitare ſuum debebat, non comparuiſſet,) tunc tamen nihil edidi. Epigrammata tua, & Hodœporica carmina aliquando videre opto. Ubi aliquid a *Tourneſio* Genevenſi intellexero, ſignificare non differam.

IX. Optem, Dn. *Schelhammerum* examinare *Pitcarni*, Scoti, & *Stahlii* noſtri ſententias, item controverſiam, quæ hodie agitatur in Gallia, utrum digeſtio fiat per triturationem, an per fermentationem, aut per utramque ſimul? Hæc in Inſtitutionibus tangi mererentur, ut & aliæ celebriores recentiorum ſententiæ, exemplo *Sennerti*, qui eas attingere ſolet, quæ ipſius tempore celebrabantur. Sic *Sanctorii* Medicina Statica, (*Sennerto* credo intacta) tum *Sylvius* inprimis *Walæus*, *Williſius*, *Sydenham*, *Morton*, *Bellinus*, *Baglivus*, *Emullerus*, *Regius*, *Barbette*, *Liſter*, *Helvetius* junior, *Cranius*, *Bontekoe* non prætereundi forent; ita inſtitutiones novæ ſupplebunt, quæ *Sennerto* deſunt; Et ad hoc inprimis reſpiciendum puto: Sic liber

liber non minùs famam & applauſum habebit, quàm inſtitutiones *Semmerti* olim habuere. Eo magis expetetur etiam a non Medicis. Homines enim eruditi non ſolùm dogmata, ſed & Hiſtoriam dogmatum amant, quòd ſi hoc neglexit, optem ut ſuppleat, quod ipſi facile erit. Viderit libellum *Beverovici* de Medicina ex Autoribus veteribus non Medicis.

X. Deſiderem adhuc quædam ex Dno. *Kœnigsmanno* quæri. Ait, neminem cauſſam moralem bene definiſſe ante Dn. *Clauſenium* (*n*); neminem perſonam bene ante Dn. *Francum* (*o*); velim noſſe has definitiones. Ipſe meritò deſiderat Corpus Axiomatum. Neſcio, an viderit *Novarini* Animam Scientiarum, opus ſatis grande in folii forma, quod conſtat ex aliquot millibus Axiomatum (ſi ſic appellari merentur) & ſemper allegantur Auctores, a quibus petitum, aut uberiùs tractatum. Id nonnihil deſiderio ejus accedet. Loquitur de *Weſenfeldio* quodam, qui nova cogitata dederit, de variis Philoſophiæ partibus, & qui deſiderarit definiri, quid libertas, neceſſitas aliaque id genus; ego id a me præſtitum puto in Theodicæa. Citat & quendam *Wenceſlaum Schillingium*, mihi non viſum, qui multa bona contineat. (*p*) Quum videam ei eſſe notos libros Philoſophicos non vulgares, vellem noſſe, an viderit libellum, quem vidi olim adoleſcens, ſed ex eo iterum non occurrit, etſi quæſierim. Titulus erat: *Juſti Brauen* commonefactio Logica, in ea non malè mihi tractari videbatur ars interpretandi. Libellus in forma 12ma, ſi bene memini, editus erat Roſtochii. Non reſpondes an Dnus frater tuus in Galliam iturus, is ſit, qui illic jam fuit, an alius? Quos fratres habeas ſuperſtites noſſe gratum erit; indicemque & tuorum ſcriptorum & paternorum nanciſci. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 20. *Maji* 1715.

EPISTO-

(*n*) Is eſt *Jo. Clauſenius* primum Log. & Metaph. in Academia Kilonienſi Profeſſor, demùm Conſiliarius intimus regii & celſiſſimi Principis Sleſvici & Holſatiæ, *Caroli Friderici*.

(*o*) Is eſt *Chriſtoph. Frankius* quondam Acad. Kil. Procancellarius & Prof. Theologiæ primarius. Utrumque & *Clauſenium* & *Franckium* citat *Andr. Ludov. Kœnigsmannus* in diſſertat. electica *de rationali Metaphyſices, tamquam univerſalis ſcientiæ cultu*, edita Kilonii 1712.

(*p*) Hunc librum cum *Kœnigsmanno* communicarat. Index libri eſt: *Eccleſiæ Metaphyſicæ viſitatio concionibus metaphyſicis novem exquiſitiſſimis excutiens præcipuos articulos metaphyſicos & ad unguem demonſtrans, quo ejuratæ impietatis vanitatiſque deploratæ metaphyſici doctores delabantur, ad metaphyſicas ſpeculationes myſteria cælitus patefacta violentiſſ. detorquendo, ac exigendo metaphyſicè, inchoata* a *M. Wenceſlao Schillingio* Magdeburg. 1616. in 8.

EPISTOLA XXVII.

I. *De propagatione fidei Evangelicæ apud Sinas & Malabaros.* II. *De ſcriptoribus de re morali.* III. *Scripta partim edita, partim nondum divulgata* S. Kortholti. IV. *De Enthuſiaſmo Poëtico.* V. *De Poëtis Epiſcopis & vatibus.* VI. *De barbaris non barbaris & non barbaris barbaris.* VII. *De nævis Ethicæ Ariſtotelicæ.* VIII. *De frugalitatis virtute.* IX. *De inimicis amandis.* X. *De doctis Eremitis.* XI. *De admiratione.* XII. *De ἐπιχαιρεκακίᾳ.* XIII. *De Poëſi Politica.* XIV. *De* Sylveſtro II. XV. *De Poëtis prophetis & Poëtis Imperatoribus.* XVI. *De picturæ, muſicæ, cantionum eccleſ. in re morali uſu.* XVII. *De vita mortuorum etiam paganis credita.* XVIII. *De Epithetis, atque* XIX. *De carminibus Germanicis metro latino &c.*

I. RECTÈ Illuſtriſſimus *Holſtenius* judicat, propagationem fidei Evangelicæ apud Sinas melioribus temporibus reſervandam, quamquam mea ſit regula, quum licet, in rebus ſalutaribus unum eſſe faciendum, alterum non omittendum, & apud homines philoſophos & meditationum capaces faciliùs aliquid rationibus efficias, quàm apud Malabares, ubi craſſa ignorantia regnat. Ceterum ad Miſſionem etiam Malabaricam efficaciùs urgendam, putem accerſendos in Europam Malabares, a quibus hic ſchola linguæ patriæ aperiri poſſet, docendis juvenibus illuc mittendis. Ea mihi compendioſiſſima ratio miſſionum ſublevandarum eſſe videtur.

II. Placet inſtitutum tuum de re morali ornanda. *Placcii* acceſſiones olim non diſplicuere. Epiſtolam meam ad Dn. Abbatem *Molanum* tibi viſam puto, qua judicium expoſui de *Pufendorfii* libro, quo officium hominis & civis tradere voluit: ſcripſi rogatu Dni *Boehmeri*, Doctoris Theologiæ & Profeſſoris Politicæ, Eloquentiæque Helmſtadienſis, *Molani* ex fratre nepotis, qui ſententiam meam de libello, quem ſcholis privatis explicare volebat auditoribus, per avunculum noſſe expetebat. Eam deinde Programmati ſuo inſeruit. Neſcio, an videris *Thomæ Albii* Angli ſtateram morum. (q) Erat fidus *Achates Kenelmi Digbæi*, & quædam ipſius operibus adjecit. Contradictores habuit, & doctrinam ſuam defendit.

III. Gratias ago multiplices, quòd paternarum operum indicem typis editum miſiſti, unà cum ſchediaſmate tuo erudito de pueris præcocibus, & diſcipulis ſenibus; tum etiam quòd indicaſti, quæ dederis, quæque moliaris; quibus paucula aſpergo; an ſperare poſſumus Hiſtoriam eccleſiaſticam paternam?

IV. Ad

(q) Index eſt: *Inſtitutionum Ethicarum, ſive ſtateræ morum aptis rationum momentis libratæ Tom. I. complectens mores circa amabilia homini*, auctore *Thoma* Anglo. 8. Londini 1660. *Statera appenſa quoad ſalutis conſequendæ facilitatem*, auctore J. S. prodiit Londini 1661.

Digitized by Google

IV. Ad Enthuſiaſmum tuum poëticum noto, Comitem *Shaftsburium*, ſuper defunctum, Cancellarii Anglici filium, diſſertationem dediſſe, in Gallicam verſam de Enthuſiaſmi remedio per jocos, ubi & Enthuſiaſmum poëticum attingit.

V. Poëtis Epiſcopis poſſunt adjungi poëtæ Cardinales, ex his eſt, qui nunc floret Cardinalis *Poligniacus*. Dn. Comes *Sinzendorffius*, magnus Cancellarius Aulicus apud Imperatorem, dixit mihi, ſe vidiſſe poëma ejus latinum elegantiſſimum, *Lucretio* oppoſitum, mox, ut ſpero, edendum. Puto *Lotichium* caſu prædixiſſe ruinam Magdeburgicam, ut ego magnitudinem Brunſvicenſem præſentem in Epicedio, quo *Joannem Fridericum*, Ducem mortuum, & ſucceſſorem ejus fratrem *Erneſtum* olim celebravi, carmenque Heroicum his verſibus clauſi.

Et ſuperi majora parent, ſed talia Parcæ
Noſcere mortalem prohibent, vel diſcere vatem.

Alluſi ad illud *Virgilii*:

prohibent nam talia Parcæ
Scire *Helenum*, farique vetat Saturnia Juno.

Jure Poëtas a contemtu *Parrhaſiano* vindicaſti; Neſcio an videris libellum contra Poëtas frigidum filii *Tanaquilli Fabri*. Poëſis mihi rectè dici poſſe videtur lingua Angelorum. Hiſtoriam Poëtarum Italorum ſcis dediſſe *Creſcimbenium*. Germanorum egregiorum aliquando dabit *Eccardus* meus, qui multum de antiquis noſtris Poëtis vulgo non nota collegit.

VI. Diſſ. tua de felicitate infelicium, & infelicitate felicium, fecit, ut recordarer libri, quem R. P. *Vota* moliebatur, de barbaris non barbaris, & de non barbaris barbaris. Ibi multa annotare volebat de iis, quæ Poloni habent, apud quos diu verſatus erat, Italicis aut ſimilibus præferenda.

VII. Ethicæ Ariſtotelicæ nævos non dubito, quin optimè notaris. Mihi, quæ de juſtitia habet *Ariſtoteles*, olim non mediocriter placuere. (r) De morbis mentis haud dubiè egregia afferes. *Placcius* Medici filius Ethicam tractabat ad inſtitutionum medicarum formam non malè.

VIII. In Diſſert. de Frugalitatis virtute poteris in Oeconomiam politicam exſpatiari, quo pertinet emendatio agriculturæ, manufuciorum, & commerciorum.

IX. Præceptum Chriſti de inimicis amandis ſemper judicavi eſſe juris naturalis, apud eos, qui providentiam & immortalitatem animæ agnoſcunt, ſed ſunt in amore gradus. Etiam in hoſtibus eſt divinarum profectionum imago. Res clara eſt ex mea amoris definitione, qua controverſiam inter præſules Cameracenſem & Meldenſem de amore Dei non mercenario ſuſtuli, antequam fuit nata, nempe in præfatione mea Codicis juris gentium.

(r) Definitionem juſtitiæ Ariſtotelicam contra *Grotium* defendit *Leibnitius* in Coroll. 4. diſſertationis de complexionibus: Vid. N. 1. Tom. III. & præfationem *Codici juris gentium Diplomatico* præmiſſam in Tom. IV.

X. Doctis Eremitis potes accenſere *Carteſium*, qui ideo Batavos petierat, ut in media turba latere, & ſibi vivere poſſet, ut ipſe conſilium ſuum expoſuit.

XI. In verſum *Horatii*: Nil admirari prope res eſt una, Numici Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatum, nuper quidam in neſcio qua Ephemeride commentatus eſt, inſultatque *Horatii* interpretibus, quòd non adverterint, hoc Epicureum eſſe, & in eo latere dogma *Epicuri*, omnia caſu fieri, adeoque nihil in mundo eſſe dignum admiratione; quæ ſatis ſtulta ſententia eſt; & præfero *Ariſtotelis* doctrinam, admirationem laudantis, fontem Philoſophiæ. Legi in quodam itinerario, barbaros, neſcio cujus inſulæ auſtralis, ſtupidiſſimos meritò habitos, quòd nihil rerum noſtrarum eſſent admirati.

XII. Ad Epichærekakiam pravum quorundam appetitum refero, qui libenter ſupplicia ſpectant, ut olim *Henricus II.* Rex Galliæ. Bonis mentibus diſplicent hæc ſpectacula. Quod officia circa bruta attinet, dicam, me ante multos annos rogatu amici ſchedam, de educatione Principis, conſcripſiſſe, ubi inter alia monebam, dandam operam, ne puer aſſueſcat crudelitati in animalia exercendæ, poſſe enim hunc gradum eſſe, ut etiam in homines fiat durus. Quum ſchedam R. P. *Vota* Italus Regi Poloniæ prælegeret, inprimis ille locus placuit Regi.

XIII. Mihi nunquam placuit illa, quam *Weiſius* vocabat Poëſis politica, ubi forma inſcriptionum paginæ implentur frigidis atgutiis, & plerumque alliterationibus, quas Galli appellant *Turlupinades*. *Emanuel Theſaurus* has nugas provexit, eæque inprimis illis placuere, qui ad veram Poëſin aſpirare non audebant.

XIV. Inter Poëtas Papas veteres *Sylveſtrem II.* ſ. *Gerbertum*, præ ceteris magni feci, quem vulgò inepti Necromantam faciunt. Ejus carmen in *Boethium* breve, ſed non ſpernendum mihi viſum eſt, pro temporis captu.

XV. Diſſertationem mererentur Poëtæ Prophetæ, ubi *Lotichius* tuus, ubi *Seneca*, cujus noſti illud propheticum: Venient annis ſecula ſeris &c. Huc *Noſtradami* felices nugæ. Inter Poëtas Imperatores haud dubiè numerabis *Fridericum II.* de quo illud in lingua provinciali: *Plaz mi Cavalier, Frances & la Donna Caſtellana.*

XVI. Ad picturæ uſum in re morali refero Ethicam pictam, quam puer vidi pro Principe Altenburgico confectam. Muſica hodie ferè uſum movendorum affectuum perdidit, quia ſolet eſſe nimis artificialis; ratò invenio cantus, qui me tangunt. Ex cantu eccleſiaſtico placet illud: Ecce, quomodo moritur juſtus: Ex novis & profanis vix quicquam occurrit, quod Gallicæ nuperæ odæ præferam, quæ ita incipit: *Aimable vainqueur, cher tyran des cœurs, Amour dont l'empire, dont le martyre eſt plein de douceur &c.* Geographiam moralem dedit *Daniel Bartolus*; placuit etiam carta Geographica teneri affectus in Clelia *Scuderiæ.*

XVII. Egregium eſt argumentum de vita mortuorum etiam paganis credita.

dita. Scripſi credo olim tibi, hoc mihi videri Theologiæ naturalis; & *Pufendorfium* culpavi, quòd hanc doctrinam ſepoſuit, ſine qua res moralis non poteſt non eſſe imperfecta.

XVIII. Elegans tua meditatio erit de Epithetorum doctrina ad formam artis redacta, erit diſſertatio argumenti Logico-Rhetorici. Digladiantur nunc in Gallia *Daceria* & *Mottæus* utrum rectè *Homerus* & alii epitheta adhibuerint nimis nota, ut ſiquis in carmine nivem albam dicat.

XIX. De Orthographia vernacula commentatus eſt in Suecia *Oliver Crantzius*: ſi bene memini, meretur Germanica conſtitui. Nonne cygnos cantantes Bartholinianos fabuloſos putas? Dn. *Heraus*, elegans Poëta Germanus, mihi Viennæ, ubi Antiquarius eſt Imperatoris, carmen ſuum Germanicum metri Latini monſtravit. Allegavit ipſe carmen gallicum ſapphicum: *Si le tout-puiſſant n'établit la maiſon, l'homme y travaillant ſe peine outre raiſon; Vous veillez en vain la cité défendant, Dieu ne la gardant.* Fluit non malè pro dialecto Gallica ante 100. annos uſitata. In Germanico res non ita bene ſuccedere poteſt; Anapæſticum tamen carmen aliquando in Germanico tractavi ad morem *Senecæ* Tragœdi, & videbatur procedere mediocriter ad imitationem illius: Nunquam Stygias fertur ad umbras &c. ſed hæc talia in uſum communem traduci non ſuaſerim. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov. 2. Jul. 1715.*

EPISTOLA XXVIII.

I. De carminibus vernaculis ad Latinorum morem ſcriptis. II. De origine Francorum. III. De inadmiratione. IV. De Schelhammeri *inſtitutionibus medicis. V. De* Petri Saxii *libro de rebus Arelatenſibus. VI. De Epiſcopatu Ripenſi. VII. De* Sperlingii *obitu & VIII. De* Nigello. *IX. Epigramma aliquod. X. De ſocietate ſubſcriptoria.*

I. REſponſionem adhuc ad binas litteras humaniſſimas & bona fruge refertas tibi debeo. Verſus meos Anapæſticos Germanicos, olim ad Latinorum morem, ſcriptos non invenio, neque alicujus inde particulæ nunc recordari poſſum. Illud mihi tunc videbatur id genus præ cæteris plerisque Germanicæ poëſi adoptabile eſſe. Scripſi ad amicum Gallum, ut habeam totum Pſalmum, cujus initium eſt: *Si le tout-puiſſant n'établit la maiſon &c.* ſed nondum impetravi. Quæram carmen meum Epicedium, ut tibi mittere poſſim, ſi tanti eſt.

II. Dn. *Förſtero* bibliopolæ noſtro id negotii dedi, ut cum aliis litteris (ſed meræ indicibus) bina ad te exemplaria Schediaſmatis de origine Francorum mittat ex nundinis Lipſienſibus, ubi aliquem ex veſtris fore puto. Rogoque, ut ex iis unum Illuſtriſſimo *Holſtenio* cum multa cultus ſignificatione tranſmittas.

III. *Th. Albius* etiam Apologiam quandam brevem ſuæ Morum Stateræ

edidit. Ubi legatur, qui inſultat interpretibus Horatianis circa illud: Nil admirari &c. neſcio, an jam ſignificaverim; eſt in nova Bibliotheca bibliopolii *Rengeriani* Hallenſis part. 21. 1712. 8.

IV. Utinam celeberrimo *Schelhammero* obſtetricias manus afferre cum efficacia poſſem! Hactenus bibliopolas inobſequentes habui.

V. *Petri Saxii* liber, qui deſideratur, & quem habere ſe dixit olim *Kneſebeccius*; is eſt, cujus tanquam ſuppreſſi in Gallia mentionem facit *Gaſſendus* in vita *Peireſcii*. Agit de rebus Eccleſiæ Arelatenſis, & continet diplomata, ex quibus patet, Imperatores vel Reges Romanorum ſeris adhuc temporibus jus in eo regno exercuiſſe; ſi nactus eſt Dominus *Krüſekenius* utiliter edet: Nihil hoc ad Ditmarſos vel Holſatos.

VI. Quia Dn. *Terpagrius* de Ripæ urbis rebus agit, fortè ab ipſo notari non inutile erit in Concilio Ingelhemenſi A. C. 948. in Tomis Conciliorum extante nominari *Lioptacum* Epiſcopum Ribunenſem, item eundem ibi dici *Lidacum* Ribuenſem. Quis hic Epiſcopatus eſſet editores divinare non potuerunt, ſed eſt Ripenſis, & is fuit primus Epiſcopus ſedis ab *Ottone M.* illic inſtitutæ. Unde etiam tempus inſtitutionis circiter diſcitur; ibidem etiam nominantur Epiſcopi Reſwicenſis & Arhuſienſis. Vocabula illa (nonnihil corrupta) editoribus Conciliorum monſtra fuere. Vides antiquam loci orthographiam expoſcere non *Rypen* ſed *Ryben* vel *Rybum*, quod fortaſſe Dn. *Terpagrio* non ingratum erit noſſe, quia etymologiam quærit.

VII. De *Sperlingii* obitu doleo. Curandum, ne præclari ejus labores intercidant. Mirum, ſi tria millia imperialium pro Annalibus Hamburgenſibus offerentem repulit. Batavus quidem bibliopola, homo haud dubiè malæ fidei, miſſum ab eo, novæque editioni paratum *Saxonem* Grammaticum improbè ſuppreſſit; & credo nunc edet, ſcilicet ut auctorem laboris præmio defraudaret. Idem fecit quidam talis *Lauterbachii* Prof. Wolffenbutel. libello Architectonico; quum enim accepiſſet, vivo amplius non reſpondit, mortuo libellum edidit. En ſordes horum hominum! Dn. *Weidmannum*, nunc extinctum, quem ais de claris Lipſienſibus ſcripſiſſe, ignoravi, ſuſpicor ipſum eſſe Lipſienſem, an libellum illum abſolvit?

VIII. *Nigellus* neſcio, an alibi, quàm Viennæ exiat, vidi citatum a *Frehero*; id ſuſpicionem fecit, etiam alibi haberi. *Hadrianus* quoque *Valeſius* verſiculos ex ipſo citat; ego quum Viennæ eſſem, quædam inde excerpſi, atque inter alia locum de Francorum origine ex Danis.

IX. Ecce diſtichon ad me miſſum:

Papa, Patres, mulier, Rex victus, Rex quoque fictus
Vix alii lacrymas dant, *Ludovice*, Tibi.

X. Cogitavi aliquando, an non poſſet iniri ſocietas ſubſcriptoria inter eruditos, Germaniæ inprimis, quæ ab aviditate bibliopolarum eos vindicaret, qui non edunt, quæ merentur, ſed quæ ipſis plerumque ignaris placent, aut quæ vili pretio, vel nullo extorquere poſſunt autoribus, poſſet ſocietas iniri ea lege, ut ſocii libris emendis ſubſcriberent, ſi non omnibus

nibus, certè plerisque ſuæ aut pro arbitrio electæ, unius, alteriusve facultatis, vel ſaltem materiæ, quicunque a concilio ſocietatis fuiſſent approbati. Haberent autem ſubſcriptores libros illos pretio modico, quod ſufficeret ad indemnitatem editionis, id eſt, per quod ſtatim fundus cum uſuris recuperaretur, reliqua exemplaria venderentur tanto carius iis, qui deſiderarent: putem, hanc ſocietatem tandem bibliopolas in ordinem redacturam, & fundum ſibi comparaturam; qui ſublevandæ eruditorum bonæ mentis inopiæ, atque etiam experimentis vel indagationibus utilibus inſervire poſſet. Quæſo cogita hac de re, & mentem tuam mihi ſignifica. Si quis eruditus hujus conſilii conſcius iter faceret per Germaniam, poſſet corrogare ſocios; Nec dubitem, re ſemel conſtituta, etiam Magnates in partem venturos, & plerique Bibliothecarum Curatores, quum ſint ipſi eruditi, non eſſent defuturi apud Principes, Reſpublicas, vel urbes, Academias, Monaſteria; Supereſt, ut aliquem inveniamus, qui itineri tali promtus, aptusque ſit, poſſet aliquando itineris ſumtus recuperare etiam cum lucro, atque interim utiliſſimo ac jucundiſſimo diſcurſui aliquod tempus impenderet. Quum olim Dn. *Leopoldus* JCtus Lubecenſis iter faceret, & Germaniam literatam conquireret, potuiſſet hoc agere, ſed tunc nemini hujus rei in mentem venit. Inſerviret ergo hoc iter conſtituendæ ſimul litteratæ Germaniæ, poſſet accedere prætextus a thermis vel acidulis; præſtaret illi Antipietiſtico *Schelvigii*, cujus itinerarium edidit ipſe; nec dubitarem, quin ab Imperatore impetrari poſſent egregia privilegia, & fortaſſe etiam aliquod ſublevamentum, idque ego propemodum ſpondere auderem. Dudum hæc cogitavi, ſed nunc impetus exequendi inter ſcribendum venit.

- - - Dii ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale, an ſua cuique Deus fit dira cupido?

Hoc conſilium, præter Dn. *Eccardum* meum, nondum cuiquam aperui; itaque rogo, ut apud te contineas, dum maturum fiat; alioqui de bibliopola omni dici poterit, quod de cupidine, initio poëmatis *Ovidiani* de remedio amoris

Bella mihi, video, bella parantur, ait.

Utinam tibi ipſi hoc agere vacaret, aptiorem certè novi neminem. Certè nihil eſſe puto itinere literato jucundius. Sed vereor, ne ſim paullo apud te familiarior, audaciorque quàm par ſit. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 15. *Oct.* 1715.

EPISTOLA XXIX.

I. De ſocietate ſubſcriptoria. II. De Roſtgardi, Eccardi, Claubergii, Schilteri *de antiquo Teutoniſmo obſervationibus. III. De libro de tribus impoſtoribus. IV. De hymno gallico præcellentiſſimo. V. De* Aloyſii Novarini *collectione axiomatum. VI. De Francorum origine. VII. De* Godofredo Oleario, *atque VIII. De* Thoma Albio *ejusque ſcriptis.*

I. DE ſocietate ſubſcriptoria conſilium tuum expetere inter ſcribendum in mentem venit; Ipſe de ea ſeriò cogitare non auſim. Neque ullum ibi præſidium affectarem, ſed malim Ariſtocratiæ locum eſſe. Non deſunt Germaniæ, qui hæc pulchrè agant, etiam poſt diſceſſum meum. Et mihi ſatis his vacare ne ſas eſt quidem. De difficultatibus rectè mones, ex quibus potiſſima eſt potentia gentis bibliopolaris. Sed credo potior numerus eſt, & ſufficiens ab alia parte: nec illi conſilium apud exteros receptum ullo jure reprehendere poſſunt. Et fortaſſe potiores aliquot bibliopolæ lucri ſpe accederent ipſi, quàm corporis ſui utilitati facilè præferrent, inito in aliquod tempus pacto, & ſocietate conſtabilita aliquando ceſſaturo. Sed hæc, ut dixi, vix confieri poſſunt, ni oriatur aliquis, qui rem ut ſuam agat, & per Germaniam, alterius cauſſæ obtentu, circumeat.

II. Illuſtriſſimus *Roſtgardus* Theſauros Teutonicos ſi meæ fidei permittere volet, ſpondeo, non tantùm ſervatum iri, ut par eſt, collocandos in loco tuto & publico, & ad quem aditus pateat eruditis, ſed etiam maturè in uſum publicum per typos (etſi per partes) transferendos. Dn. *Eccardus* meus, quidquid aliis laboribus ſuffurari poteſt, huic impendit. Ex multis antiquis Gloſſariis unum confecit, quotidie aliquid addit. Nacti ſumus nuper *Claubergii* meditationes & collectanea linguæ Teutonicæ multum habentia bonæ frugis, etſi antiqui Teutoniſmi uſus illi defuerit. Exiguum libellum de arte etymologica linguæ Germanicæ *Claubergius* edidit, unde ingenium viri etiam in hoc genere apparet, nam in Philoſophia, atque etiam in Theologia clarum multiplicia ſcripta fecere. Cæterum etiam Rex adhuc Elector, quum audiſſet de his laboribus, favit ſtudio, accedente Summi Viri *Bernſdorfii* ſuffragio. Itaque ſpero, quæ *Schilterus*, Vir clariſſimus aliique ſperari juſſere, tandem in rem collatum iri, me qualicunque ergodiocta. Tametſi Dn. *Eccardus*, qui magno ardore in hæc fertur, ſtimulo opus non habeat. Præparata mente Viri ſummi, cognitisque ejus juſſis aut conditionibus, ipſe ad eum ſcribam. Antiquitates quaſdam Catecheticas Teutonicas Dn. *Eccardus* cum notis edidit, quas illi mittam, ſi nondum vidit.

III. Memorabile eſt, quod ſignificas, fragmentum libri, de tribus impoſtoribus, apud *Chriſtianum Wormium* Epiſcopum Hafniæ exſtare. Habeſne ejus rei teſtes oculatos? eos mihi nomina quæſo. Eos adhuc vivere puto, meus ampliùs non vivit.

IV. Scri-

IV. Scripſeram Berolinum ad Dn. *Ancillonium*, ut ex eruditis Gallis, qui illic ſunt, quæreret de illis verſibus, quorum initium: *Si le tout-puiſſant n'établit la maiſon &c.* ſed ille nuper extinctus non reſpondit; itaque quæram ex amicis Pariſinis.

V. *Aloyſii Novarini* opus viſum eſt mihi, non ſpernendum, tum ob multitudinem axiomatum, (quæ vocat) ut non multa eum fugerint, ex quibus meliora ſeligi poſſent, tum quia ubique citat Auctores, ex quibus inſpectis diſci poteſt axiomatis uſus. Itaque qui aliquid in hoc genere molietur, rectè faciet, ſi *Novarini* copiis in rem ſuam utatur.

VI. Nupero curſore exemplum libelli mei de Francorum origine ad te miſſum eſt, non correctis erratis, quia ſeriùs mittere in mentem venerat, quam ut ante diſceſſum curſoris corrigi poſſent. Sunt autem aliquot gravia & ſenſum planè pervertentia; ea in illo correxi, quod nunc accipis, ſed quid facias his hominibus, qui talia curare debent?

VII. *Godofredum Olearium*, Lipſienſem, Virum doctrina inſignem in vitæ periculo eſſe valde dolui; ſed magis doleo jam obiiſſe, ut jam mihi nunciatur.

VIII. *Thomas Albius* fuit addictus Romanæ Eccleſiæ, ſed inviſus ferè Monachis & Jeſuitis, & ſcripta ejus cenſuris notata ſunt. Inter cætera ſonus buccinæ ſanè plenus meditationibus ingenioſis, ſed non rarò paradoxis. Scripſit etiam *Euclidem* Phyſicum, & *Euclidem* Metaphyſicum, ſed uterque mihi viſus eſt parum *Euclideus*; quædam etiam ejus adjecta ſunt ad *Digbæi* opus de immortalitate animæ; nam hujus fidus *Achates*, & ſcribendi, ut arbitror, adjutor fuit. Voluit etiam quædam dare in Geometria, ſed ubi miro paralogiſmo lapſus eſt. Quædam etiam Aſcetica, ſed ſermone Anglico ſcripſit, & ſanè ubique ingenium ſingulare tralucet. Voluit etiam Funiculum Lini defendere contra *Boylii*, & aliorum veriſſimam ſententiam de gravitate & vi elaſtica aëris. Ego curioſus operum ejus inſpector fui, quod animadverterem, in plerisque eſſe aliquid non ſpernendum. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 19. *Nov.* 1715.

EPISTOLA XXX.

Nova literaria.

AD celeberrimum Dn. *Kœnigsmannum* veſtrum dudum dedi litteras reſponſorias, quas ei redditas ſpero. Apud vos jam imminutum intelligo mali contagioſi metum, ſed aliud contagium ex Megapolitano tractu ad vos pervenit, utinam altero non magis ſævum. Gratulor vobis inſignes Viros, qualis eſt *Schoepferus*. Aiebant id agi, ut Halis *Stahlius* Medicus ad vos evocaretur, ſed ille non libenter relinquit ſuum nidum. Magnum aliquid a *Breitenaviana* rerum Cimbricarum Hiſtoria expecto. De Hanſeniana libraria ſupellectile plura diſcere aliquando gratum erit. Indicem edi,

e re

e re foret; vellem noſſe, quanti judicent, modò æquum ſit pretium. Aiunt Hiſpanicis libris maximè abundare hanc Bibliothecam. Sed ii vix curantur a plerisque, quum magis raritate, quàm bonitate commendentur. Ego tamen vel ideo non ſpernendos cenſeo. A *Grimareto* interdum litteras accipio, ſed paullo rarius, mea potiſſimum culpa, qui non niſi paullo tardiùs reſpondere poſſum. Molitur ille novam deſcriptionem totius Galliæ peregrinantibus profuturam. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 1715.

EPISTOLA XXXI.

I. De uſu gladiorum in Academiis. II. De libro de tribus impoſtoribus. III. De Hackmanno, Novarino *&* Leibnitii *ſcripto de origine Francorum, atque IV. De auctore hymni cujuſdam Gallici præcellentiſſimi.*

I. VEriſſimum eſt quod ſcribis de peſſimo uſu gladiorum in Academiis Germaniæ. Sed niſi Principes caſu aliquo atroci excitati huc animum advertant, nihil agetur; Oporteret initium remedii a Saxonibus proficiſci, qui ſibi, ut bene notaſti, directorium arrogant etiam in his rebus. Sed difficile eſt, tollere inolita vitia, & ſunt quæ etiam ſpecie quadam virtutis imponunt.

II. Gratias ago pro indicio de libro illo famoſiſſimo, ſed ferè nuſpiam viſo. Ubi quæſo venduntur libri *Mayeriani*, & unde poteſt haberi eorum catalogus? Ego nondum vidi; fac mihi quæſo hanc gratiam, & ſubmitte numerum, & ipſa verba catalogi, ubi mentio libri illius horribilis, idque ut quamprimum facias peto. (*s*)

III. Velim etiam noſſe, an Dn. *Hackemannus* adhuc apud vos agat? Gratum eſt, quod *Novarinum* habetis. Mihi videbatur non ſpernendus, & ei profuturus, qui aliquid in hoc genere præclari moliretur. Gratum erit diſcere, quando Dn. frater tuus in Galliam redibit. Judicium Illuſtriſſimi Dn. *Holſtenii* & illuſtris *Roſtgardii* aliorumque eruditorum Danorum de meo Schediaſmate aliquando intelligere gratum erit.

IV. Dn. *la Croze* unus ex Bibliothecariis Regis Boruſſiæ ſcribit mihi: Auctorem Carminis Sapphici Gallici, cujus primam ſtrophem ad te miſeram, citari *Philippum de Portis* (*Philippe des Portes*) in libro Gallico inſcripto: *Nouvelle méthode pour apprendre la langue Latine.* Philippi hujus Pſalmorum verſionem Gallicam exſtare, ſed eſſe paullo rariorem, & veri ſimi-

(*s*) De libro *de tribus impoſtoribus*, qui in *Mayeriana* Bibliotheca fuit, conf. epiſtola Summ. Rev. D. *Balthaſaris* Theologiæ in Acad. Grypſwald. Profeſſ. quæ extat in *Recueil de literature, de Philoſophie & d'hiſtoire* Amſt. 1730. ed. p. 33. Cæterum, quum liber de tribus impoſtoribus a *Friderico II.* Imperatore ſcriptus eſſe dicatur, ni fallor, teſtimonio *Petri de Vineis* nullo negotio poterit probari nunquam hunc librum fuiſſe exaratum. Videlicet lib. I. Ep. cap. XXXI. p. 211. edit. Baſil. 1566. *K. N.*

ſimiliter illic exſtituram verſionem Pſalmi 127. unde hæc ſtropha ſumta eſt integra. Interea vale & fave. *Dab. Hanov.* 24. *Decembr.* 1715.

EPISTOLA XXXII.

I. *De libro de tribus impoſtoribus.* II. *De* Bodini *Colloquio.* III. Holſtenii *de ſchediaſmate* Leibnitii *de origine Francorum judicium deſideratur.* IV. *De* Leeuwenhoekii *obſervationibus anatomicis.*

I. LIbrum, qui in *Mayerianæ* Bibliothecæ indice de tribus Impoſtoribus audacter appellatur, tanti eſſe non puto, ut magno pretio redimatur. Cuivis improbo & mediocriter docto tales nugas comminiſci facile eſt. Ut verò haberi poſſit tale aliquid pro libro hujus argumenti antiquo dudum jactato, deberet hoc doceri ex antiquioribus manuſcriptis. Ego non paucas hujus generis nugas vidi, ſemperque judicavi, vix dignas eſſe quæ legantur.

II. Unum opus *Bodini* excipio, quod inſcripſit de arcanis ſublimium colloquium Heptaplomeres. In eo enim haud ſpernendam eruditionem eſſe, negari non poteſt, ut in omnibus *Bodini.* Itaque vellem edi viro docto cum dignis argumento animadverſionibus. Auctor colloquentes introducit Romaniſtam, Evangelicum, Reformatum, Judæum, Mahumetanum, Naturaliſtam, Atheum. Scena eſt Venetiis in ædibus colloquutoris Romaniſtæ. Sententiam quisque ſuam non ſine verborum moderatione tuetur: ſed nihil definitur; Niſi quod Romaniſta ſemper ſuum ſolenne Epiphonema interponit: Eccleſiæ credendum eſſe. Multa tanguntur, pauca fundotenus exhauriuntur. Ita enim magna futura fuiſſet libri moles; Qui in talem librum animadvertere vellet, deberet eſſe verſatus in Philoſophia, in Philologia ſacra, ſeu linguis originalibus librorum ſacrorum, atque etiam in Rabbiniſmo, ac denique in lectione Patrum Græcorum & Latinorum.

III. Facilè intelligo, Illuſtriſſimum *Holſtenium* ob graviſſima negotia diſſertatiunculam meam non niſi per tranſennam inſpicere potuiſſe. Ubi magis vacabit judicium ejus noſſe opto, præſertim de Danicis, circa quæ dixi aliquid novi.

IV. *Leeuwenhockius* celeberrimus in Batavis per Microſcopia obſervator quaſdam ſuas obſervationes Anatomicas nondum editas ad me miſit. Eas ego miſi ad Dn. *Schelhammerum*, & petivi, ut expenderet; nam ſolebat loqui de *Leeuwenhockio* paullo contemtius, quàm mihi Viri diligentia, & ſtudium veritatis mereri videbatur. Pete quæſo, ut cum judicio ſuo mihi remittat, ut Viro uberiùs reſpondeam: hactenus enim reſpondi tantùm breviter & præliminariter. Judicium autem debet eſſe remotum ab omni acerbitate, ne Virum offendamus. Certum eſt ab *Hugenio*, ſummi judicii Viro, a ſocietate Anglica, & ipſo *Hookio* in Microſcopiis æmulo æſtimatas,

& minimè pro commentitiis habitas fuiſſe *Leeuwenhoekii* obſervationes. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 21. *Jan.* 1716.

EPISTOLA XXXIII.

I. Jo. Burch. Maius *laudatur.* II. *De feſto Ivel.* III. *De* Fr. Th. Kohlio & Frid. Koeſio. IV. *De* Roſtgardo. V. *De origine Francorum.* VI. *De* Schelhammeri *inſtitutionibus medicis.* VII. *De* Bodini *colloquio*, Lintrupio & Hackmanno.

I. QUæ pulchra ex penu tua communicaſti, rectè accepi. Pulchra ſunt tua omnia, itaque non mediocri me beneficio hac tranſmiſſione affeciſti. Gaudeo Dn. *Maium* veſtrum, inſignem virum ab eminentiſſimo *Schoenbornio* pro merito æſtimari; Dictione non minùs, quàm rebus & cogitatis placet.

II. Circa ſeptentrionalium feſtum brumale, dictum *Ivel*, ego *Bedæ* ſententiam amplector, qui a *Wheel* rota revertentis ſc. ſolis dictum notavit. Doctiſſimus *Sperlingius* non fuit felix in etymis.

III. Laudabile eſt inſtitutum Dni. *Kohlii* Rectoris veſtri, id agentis, ut fugientes litteras ſiſtat. Hactenus Dn. *Koeſium* ignoravi, ſed meretur profectò non ignorari. Videtur enim profundiùs ſolito in novam Analyſin inſpexiſſe, & credo, ſi huc intendat animum, poſſe ab ipſo conferri aliquid ad augendam ſcientiam. Itaque plura de eo noſſe gratum erit.

IV. Ampliſſimi *Roſtgardi* pollicitatione quamquam benignissima non abutar. Eſt ille dominus rerum ſuarum. Ego nihil opto, ut præclari ejus labores in publicam utilitatem convertantur.

V. De origine Francorum Balthica, (quam nuper Dn. *Gundlingius* paullo frigidiùs, ni fallor, impugnavit Halis) noſſe ſententiam egregiorum inter Danos virorum, pergratum erit, ſed inprimis ſummi viri illius, cui meo nomine miſiſti.

VI. *Schelhammeri* opus inſigne poſthumum curavi ad editionem procurandam commendari egregio *Lochnero*, inter Naturæ curioſos Medicos eminenti. Gudianis laudibus mirè faveo, & vel ideo Programma Maianum perplacuit. Gaudeo, præclara manuſcripta ab ipſo collecta diſſipatione præſervata eſſe. Utinam pleraque ipſius manuſcripta non periiſſent. Pro *Leeuwenhoekianis* remiſſis gratias ago. Neſcio, an *Schelhammerianum* opus Lipſia ſit remiſſum, fortaſſe gener Dn. *D. Burchardus* opus præclarum ſoceri utiliter augebit ex recentiorum placitorum Hiſtoria.

VII. *Bodini* opus cum viri eruditi animadverſionibus exquiſitis edi mereretur. Hortandus eſt Dn. *Lintrupius*, ut inſtitutum exſequatur ſubinde publicandi cimelia litteraria. Perſiſtitne apud vos Dn. *Hackemannus*? Audio Profeſſionem ſperare. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 19. *Mart.* 1719.

EPI-

EPISTOLA XXXIV.

De ſcripto Leibnitii *de origine Francorum.*

DOleo, me ſpe colloquendi cum Dn. fratre tuo excidiſſe. Quod ſi mihi aliquando notitiis literariis ex itinere ſuo favebit, plurimum vobis debebo. Gratum mihi erit videre objectiones inſignium virorum *Reizeri* & *Magnæi* ſcripto comprehenſas. Ita enim talibus ex diverſis regionibus mihi oblatis materia ſecundæ partis dabitur, qua ſatisfacere tentabo, ingenuè tamen agniturus, quæ fortè emendari aliquid jubebunt. Miſi reſponſionem meam ad Dn. *Gundlingium* Germanico ſermone, ut, ſi lubet, eam Gundlingianis ſuis inſerat, refutaturus, ſi videbitur. Mirum non eſt, Romanos longinquas Francorum origines ignoraſſe, nihil illi de Bajoariis, nihil de Thuringis, unde ſint orti, qui tamen ſeriùs advenere, cum jam notiores hi populi Romanis eſſent. Danos ne nominant quidem. Saxones, niſi unus *Ptolomæus*, auctor Græcus, obiter dixiſſet, transalbinos fuiſſe ab illis non haberemus. Ego putabam dudum confectum ab eruditis, Vandalos non Slavonicam ſed Teutonicam gentem fuiſſe, & prorſus a Winidis diſtingui debere. Et gentes Maris Balthici cis Viſtulam olim Germanicas habendas, quibus in jam exhauſtas tot migrationibus regiones Vinidi demum ſucceſſere. Nec video, cur non gentes inter Eidoram & Oderam partem populorum emittere communi conſilio potuerint, quum agnatæ eſſent, lingua moribusque iisdem; & cur non illis adjungere ſe potuerint etiam ex Saxonibus & Danis quidam (uti poſtea, cum Britanniam Saxones, Angliam futæ invaſere) nam quod de odio adverſus Danos dicitur, fundamento carere arbitror, nec oriri niſi ex figmentis poſterorum, qui perpetua inter Saxones, Danosque bella nobis narrant. Mihi judicium tuum de his rebus intelligere gratum erit, pariter atque aliorum amicorum. De ulterioribus Francorum originibus nihil quod dicam habeo, quum deſint autoritates. Vereor, ne benignitate tua abutar. Vale & fave. *Dabam Hanov.* 8. *Maii* 1716.

EPISTOLA XXXV.

I. Petri M. *Ruſſorum Imperat. elogium. II. De* Sperlingianis *& meritis Danorum in ſtudium Lexicographicis. III. De carminibus fatiloquis.*

I. QUum nobis tam vicinus fueris, doleo Hanoveram adiri non potuiſſe, ut conſpectu tuo frui liceret. Ego ad acidulas Pyrmontanas aliquot dies profectus ſum, ut magni Ruſſorum Monarchæ exporrecta gratia fruerer; eidem per biduum, quod deinde Herrenhuſæ prope Hanoveram egit, adhæſi; miratus in tanto Principe non tantum humanitatem, ſed & notitiam rerum & judicium acre.

II. Vellem haberi notitiam reliquiarum Sperlingianarum & manuſcriptorum, quæ ſervat Cl. *Arnas Magnæus*. Merita Danorum in ſtudium Lexicographicum libenter video a Dn. *Falſtero* celebrata. Potiſſima in eo genere *Borrichii* laus eſt. Declamationem titulo *Tribuni Mariani Quintiliano* attributam non legi. Νοθεία, ut opinor, facilè apparebit ex dictione, ut in ψευδο: *Petronio*, quem *Nodotus* quidam Belgradi repertum jactabat. Hiſtoria litteraria Romanorum ampli eſt argumenti. Interim præter Hiſtoriam & jurisprudentiam Romani omnia ferè Græcis debent. Eloquentia tamen eorum ſive proſa ſive verſa mihi adeo Græca non inferior videtur, ut aliquando etiam ſuperiorem putem. Veteres JCtos Romanos, quorum fragmenta in digeſtis habemus, ſemper ſum admiratus:

Excudant alii ſpirantia mollius æra.
Tu regere imperio populos, Romane, memento.

III. Elegans erit diſſertatio tua de carminibus fatiloquis. Ibi rurſus, opinor, de carmine Lotichiano ages. Ego aliquando juvenis diſſertationem moliebar de vaticinio Sapientum; ut in illo *Senecæ*: Venient annis ſecula ſeris &c. & in illo *Taciti* vergentibus (per Germanos) imperii fatis; & in illo *Machiavelli* de imminente Romanis caſtigatione; quibus poſtea addidi illos *Conringii* verſus, opus de finibus finientes, ubi ad Iſtrum:

Meminiſti autem & felicia
Germanam quando trepidabant undique gentes
Ferri aciem, rurſumque eadem præſage futuri
Fata ſequuturis ponto minitaris ab annis.

Cæterum licet me inter ſapientes non numerem, & in omen felix magnitudinis Brunſvicenſis, non judicio, ſed impetu animi, inciderim, præſago tamen carmine aliquando *Erneſto Auguſto* ab Oſnabrugæ Hanoveram venienti gratulaturus, genti Brunſvicenſi opinione majora promiſi:

Illius auxiliis iterum Germania victrix
Surget, & hoſtiles poterit contundere faſtus.
Illius auſpiciis conjunget brachia Rheno:
Albis, & Hercynios agnoſcent æquora montes.
Et ſuperi majora parant, ſed talia Parcæ
Noſcere mortalem prohibent, vel dicere Vatem.

Dachii etiam Poëtæ Pruſſi memineris *Friderico* recens nato, vivente fratre natu majore, ſceptra apud Pruſſos Germanico carmine promittentis. A Dno. Fratre tuo ſubinde gratum erit diſcere, quæ ſcitu digna iter obtulerit; interea eum a me ſalutari peto, & incluſas etiam reddi. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 3. *Jul.* 1716.

EPI-

EPISTOLA XXXVI.

I. De Petro Saxio *Friſio. II. De Codice* Valerii Maximi. *III. De genio ſæculi. IV. De* Richardo Bentleio. *V. De* Jo. Neopolitani *Athenis Cimbricis. VI. De Lexicis technicis. VII. De fatalibus nominibus, atque VIII. De* Schelhammeri *obſervationibus etymologicis.*

I. INfelicitate ſingulari evenit, ut quum ego ſemper pæne inſtar cochleæ domi hæſerim, Dn. *Knochius* tuus tunc venerit, quum ego in nundinas Brunſvicenſes excurriſſem; ubi etiam in aliquot dies ultra hæſi, ut aulæ ſatisfacerem. Scis enim eſſe officia quædam, quibus deeſſe apud Principes viros per prudentiæ regulas non licet. Quum *Saxii* librum memorares, ego illum cogitabam, qui de Eccleſia Arelatenſi ſcriptus, & a Gallis, qua licuit, ſuppreſſus eſt, quod jura imperii in regnum Arelatenſe expreſſius teſtaretur, quemadmodum ex vita *Peireſcii* a *Gaſſendo* edita intelligi poteſt. Sed poſtea ex tuis intelligo, hunc alium eſſe *Saxium*, genere Friſium. Ejus icones antiquitatum vereor ne ſint imaginariæ. (*t*) Scis quantopere *Suffridus Petri* & alii Friſii in fabulas luxurient; Meretur tamen haud dubie liber conſervari in aliqua Bibliotheca publica.

II. Nuper Sereniſſimus Dux Gothanus Brunſvigæ codicem quendam redemit *Valerii Maximi* cum verſione Gallica eleganter duobus magnis Voluminibus ante hos 300. ferè annos ſcripta.

III. Credo me jam reſpondiſſe ad quæſitum de genio ſeculi. Verbo dicam, eſt modus loquendi, quemadmodum apud *Tacitum* corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur, id eſt, quod Gallicè dicunt, *la mode*. Rectè judicas, nullam per ſe eſſe temporis efficaciam, quod uniforme eſt, niſi rebus in eo evenientibus varietur. Quaſdam virtutes, quædam vitia, quaſdam opiniones, quædam ſtudia certis temporibus plus minuſve regnare, res ipſa oſtendit. Hoc ergo ſenſu mos regnans ſeculi metaphora quadam genius dicetur. Qui vero altius aliquid ſubeſſe putant, tamquam peculiaris quædam intelligentia ſit huic ſeculo præfecta, haud dubiè errant.

IV. Vereor, ut vera ſint, quæ de libris a Cl. *Bentleio* in uſum Principis Cornubiæ edendis in diariis quibusdam leguntur. Et tamen vera eſſe, aut vera fieri velim.

V. Ego putem utiliſſimum fore opus Dn. *Joh. Neopolitani*, quod Athenas Cimbricas inſcribet, & in quo Græca Teutonicis conferet, ſub quibus ego non noſtra citerioris Germaniæ tantùm, ſed & ſeptentrionalium Germanorum res comprehendo. Etſi enim non putem Teutonica ex Græcis orta,

(*t*) *Petrus Saxius*, Evensbulla Strandfriſius, natus anno 1597. multa volumina majoris formæ, eaque denſiora, ſi a duobus diſceſſerim, manu ſua docta & diligenti implevit, quæ publicæ luci nondum ſunt expoſita.

puto tamen Græca & Teutonica ex communi fonte ſcythico fluxiſſe. In hac re oſtendenda & illuſtranda jam operoſi fuere *Franciſcus Junius* junior & *Mericus Caſaubonus*, ſed non dubito multa adhuc addi poſſe.

VI. Magnus hodie Lexicorum eſt proventus, ſed non concinnantur, qualia vellem. Ego pro Hiſtorico-Geographicis, quibus nunc pæne laboramus, Technica deſiderem, quæ in quavis lingua, ut Germanica, Anglica, Italica, vocabula, quæ apud Artifices, manuarios etiam, aliaque vitæ genera frequentantur, colligant, explicentque. G lli in genere Lexicorum omnes alias nationes vicere. Nam præter Academicum receptorum in commune vocabulorum, habent Technicum, tum *Furetierii* tum Academico adjectum *Cornelii*. His adde præclarum Etymologicum vel Gloſſarium *Menagii*, quo vocabula obſoleta & provincialia etiam afferuntur, & ex iis recentium originationes exhibentur; Spero tale quid in Germanico daturum *Eccardum* meum; Sed Technicum illud jam dudum deſidero, & Bibliopolis, nugas potius conſcribillari curantibus, indignor.

VII. Etſi inania ſunt, quæ de fatalibus nominibus jactantur in vulgus, placent tamen, ut felicia Anagrammata rebus conſona, aliæque hujuſmodi obſervationes, quibus ludit ingenium humanum: *Jacoborum* in Scotia infelicium regulam exceptione magna infirmavit ille, qui Anglicum ſceptrum Scotico adjunxit; ſed *Jacobus II.* ad regulam rediit. Gallici Reges a *Johannis* nomine abhorruiſſe videntur, ex quo Rex hujus nominis captus eſt, nec Angli poſt *Joannem* ſine terra ad *Johannem* Regem rediere. In Luſitania *Joannes* Reges non malè rem gerunt. Sed talia omnia ad luſus ingenii refero, qui tamen apud vulgus efficaciam habent. Imperator *Auguſtus*, ni fallor, *Caii Octavii* nomen habuit ante adoptionem, an ideo, ut alii *Caii*, infelix non fuit, quia poſtea omiſit? *Appii Claudii* ſuperbi fuere, ſed neſcio an ſuperbia *Claudio Auguſto* objici poſſit, qui etiam ad cauſſas audiendas & Advocatorum jurgia ſe demittebat.

VIII. Dominus *Eccardus* meus notavit olim in litteris Schelhammerianis ad Dn. *Wagnerum* Helmſtadienſem Mathematicum ſcriptis, multa virum celeberrimum in Teutonicis Etymologiis meditatum. Mererentur ea non perdi, nomina planiarum præ ceteris hanc curam ſibi vindicarunt. Quidam veſter, doctus ut apparet & ingenioſus, Analyticorum ſpecimen per te mihi miſit. An plura ab eo exſpectare licebit? Peto Dn. *Moshemio* qui ad te provocavit, reſponſionem meam adjunctam reddi. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 16. *Octobr.* 1716.

G. G.

G. G. LEIBNITII EPISTOLÆ VI.

AD THEOPHILUM SPIZELIUM, (a)

DE REBUS PHILOLOGICIS,

Ex Bruckeri *miſcellaneis Hiſt. Phil. Criticis.*

EPISTOLA I.

CUm multa ſint, quæ abſterrere poſſint a ſcribendo ad te, obſcuritas mea, negotia autem, & dignitas tua; his tamen omnibus celebrata benignitas præponderavit, ab ampliſſimo etiam Domino *Spenero* confirmata. Avebam aliquando alloqui virum meritiſſimum de publico, & meriturum, & ſpero, quòd præſenti non denegaretur, ab eo nec literas abſentis prohibitum iri. Certamen contra *Atheos* ſuſceptum, nemo eſt, qui non Reipublicæ Chriſtianæ perneceſſarium judicet. Ad hos opprimendos conſpirare, ſic τῦτο συγκριτίζειν omnes omnium Religionum theologi deberent.

Tanto major illorum gloria eſt, qui ex tanto numero prope ſoli prodeunt, & a Reipublicæ Chriſtianæ velut jugulo imminentem gladium depellunt. Ego tametſi non theologus, nihilominus, quando, ut *Tertullianus* ait, adverſus publicos hoſtes omnis homo miles eſt, σχεδίασμα quoddam aliquando mihi excidere paſſus ſum, quod cum illuſtriſſimo Baroni *Boineburgio*, notiſſimo Literarum Mecænati exhibuiſſem per aliquot amicorum manus ad pl. reverendum *Spenerum* pervenit, qui, neſcio quomodo, ſchedulam ἀνεφαλον, καὶ ἀνώνυμον dignam putavit ad te mitti. Tu tuæ purpuræ laneam hanc laciniam aſſuiſti, hoc ſolo commendabilem, quòd a Dn. *Spenero* miſſa, a te edita. Fortaſſe tamen in re prævisa non-nulla paulo accuratiùs munire potuiſſem. Sed nihil admodum refert, quod vobis placuit, aliorum iniqua judicia facilè contemnet. Video in epiſtola tua arcanorum *Bodini* Muſorum mentionem fieri, quorum excerpta per amicum Pariſiis tranſmiſſa te legiſſe ais. Legi aliquando opus integrum, volumen ſanè ingens, ſed plus habens doctrinæ, quàm pietatis. Judæos in illo congreſſu vix non victores facit: nemo pejus cauſam tuetur, quàm Romanæ, Auguſtanæque confeſſionis propugnatores. Proximo poſt Judæum loco, aut æquo cum eo gradu, locatus eſt defenſor religionis cujuſdam merè

(a) V. Vitam *Leibnitii* a *Bruckero* ſcriptam §. VIII. in T. I.

merè naturalis. Cui verè ſuccinit *Octavius* quiſpiam Mahumedanæ legis vindex. Vereor, ne edatur aliquando liber hic magno publico damno. *De re bibliothecaria*, quod cæpiſti aureum opus, uti non poterat incidere in lectiores manus; ita ſine maxima rei literariæ jactura intermitti non poteſt. Præſtabis, ut ſpero, id nobis, quod *Geſnerus* reformatis, Romanenſibus *Poſſevinus*; guſtumque *in arcanis bibliothecarum* dediſti publico palato gratiſſimum. Nam etſi, ut audio, Cl. Vir *Petrus Lambecius* admonuerit, exiguam admodum partem Mſtorum theologicorum Viennenſium, in iis datam, non dubito tamen, quin ſemper integrum ſit, talia ſupplere. Venit aliquando in manus meas catalogus Mſtorum Viennenſium theologicorum uberrimus, ab ipſo quondam bibliothecario *Tegnagelio* confectus. Sed bibliotheca ab eo tempore multis modis aucta eſt, acceſſione præſertim *Fuggerianæ*. Sed nolo te diutius detinere, unum rogo, ſi reſcribere dignaris, de tuis, aliorumque notis forſan tibi moliminibus literariis, aliiſque ſimilibus non paſſim obviis, quorum tibi inexhauſta copia eſt, aliquid me doceas, vel ideo, ut illuſtriſſimo *Boineburgio*, qui talibus non mediocriter delectatur, referre poſſim, qui etiam ſalvere te, ſi quando ad te ſcriberem, juſſit. Celeberrimum *Welſchium* apud vos audio Virum eſſe, toto orbe commercia literaria colentem, utinam vel te parario ad aliquam tanti viri notitiam gradum ſtruere poſſim, niſi impudens tibi videor, quòd tale quid affecto, cùm nondum apud te impetraverim veniam. Quod ſupereſt, vale, novum annum cum multo fratrum agmine lætus ini; faveque: *Dat. Moguntiæ* $\frac{13}{23}$ *Decemb.* 1669.

EPISTOLA II.

Literæ tuæ me affecerunt gaudio, quo debuit teſtimonium tam illuſtre benevolentiæ tanti Viri, a quo plurimum ſibi ornamenti Germania, & habet & ſpondet; hoc ſolo ingratæ, quod indulgentia ſua in non meritum partim pudore, partim implendi judicium de me tuum deſperatione me onerarunt.

Illuſtriſſimus *Boineburgius* lectione literarum tuarum mirificè delectatus eſt; multamque tibi ſalutem per me nuntiari juſſit. *Fichetti* nomen, quamquam illi, ut in viro eo loco a genere, ac virtute collocato, admirabilis, ac vix credenda rei literariæ cognitio eſt, nunc primum ſibi ex te auditum fatebatur, optabatque auctorem illum, atque inſtitutum ejus paulo diſtinctiùs noſſe.

Ad monſtrum atheiſmi debellandum, utinam quicquid eruditorum eſt vires conjungeret, nec pateretur ſerpere latiùs inter ipſos hoc malum, a quo nihil præter anarchiam univerſalem, atque everſionem ſocietatis humanæ, expectari poteſt.

Cl. *Conringius* pec. tr. promiſit *de veritate Religionis Chriſtianæ* ſolito accuratiùs ſtabilienda, emendandiſque illis, quæ in *Grotii* libello, ejuſdem argumen-

argumenti, & ipſo, & *Epiſcopio* dudum monentibus, deſiderari poſſunt. Vidi nuper *Gerhardi van der Muelen* librum *de veritate religionis Chriſtianæ reformatæ*, cujus priora in Chriſtianiſmo firmando, reliqua in religione, quam reformatam vocant, defendenda conſumuntur; ſunt tamen, quibus pretium operæ magnum feciſſe non videtur. In Anglia prodiiſſe accepi *Apologiam generis humani adverſus accuſationem atheiſmi*, cujus Auctor *Fabricius* tueri dicitur, nullam unquam uſpiam gentem prorſus ἄθεον extitiſſe, quod & ego veriſſimum judico.

Cùm verò operæ ſit latiſſimè fuſæ, ſolidè, atque accuratè elidere, quicquid religioni Chriſtianæ objici poteſt, præſertim cùm ea res graviſſimos quoſque theologiæ exegeticæ, hiſtoricæ, ſcholaſticæ, ac polemicæ nodos contineat; rationis eſt, compendia ſectari, donec ſit, qui juſto opere tantam molem debellet. Id eſt prædemonſtrari accuratè debet religionis naturalis veritas, nimirum exiſtentia Entis potentiſſimi, & ſapientiſſimi, id eſt Dei, animæque præterea noſtræ immortalitas. His confectis, cùm rationi congruum ſit, Deum aliquam mortalibus veram religionem aſſeruiſſe, nec veterum ullam cum Chriſtiana rationalitate comparari poſſit, compendioſior erit ad victoriam via. Quamquam, ne quid oſtium a tergo relinquatur, optem exoriri aliquando, qui omnigenæ eruditionis, hiſtoriæque, ac linguarum, tum philoſophiæ quoque ſubſidiis inſtructus, illuſtrata omni Chriſtianæ religionis harmonia, ac pulchritudine, diſcuſſiſque objectionum innumerabilium, contra dogmata, textum, hiſtoriam nebulis plenam, ſine exceptione victoriam reportet. Cui operi utinam tantum tibi temporis, quantum virium eſſet!

Continuandi operis bibliothecarii ſpe facta mirificè nos beaſti; quiſquis tandem ordo placeat, ſuffecerit rem dediſſe. Fateor, aliis temporum, aliis rerum, aliis literarum ſeriem prælatam: tempora *Bellarmino*, ac *Voſſio*, res *Sixto Senenſi*, & *Poſſevino*, ſcriptores *Alegambio*, *Labbeo*, *Jac. a S. Carolo* placuiſſe, *Geſnerum* ſcriptores rebus conjunxiſſe, ſcriptores in Bibliotheca, rerum ordinem in pandectis ſecutum; ſcriptores *Cleſſium*, materias *Draudium* literarum ordine collocaſſe; fortaſſe tamen utcumque rem inſtituere placuerit, cætera indicibus ſupplebuntur, quod & *Labbeum* in *bibliotheca bibliothecarum* feciſſe video. Interea non nego, Chronologicum ordinem illi commodiſſimum, cui vitam auctoris exponere conſilium eſt; rerum illi, qui *Photiano* more nucleum ſcripti cujuſque eruere cogitat. Sed qui nondum ultra nudum indicem progredi conſtituit, illi interim diſponere ſcriptorum nomina literarum ſerie, expeditiſſimum, ac tutiſſimum credo. Nam tempora Auctorum præſertim veterum ineditorum, ſæpiſſimè ignorantur, (jam & *Voſſius* dubii temporis auctores literario ordini commiſit) rerum quoque, quas tractant, vis ac ſcopus, ex titulo non ſatis divinari poteſt; &, ſi compertum habeamus, ambigitur tamen paſſim, quo quodque loco colloces, cùm partitio ſcientiarum admodum apud eruditos variet, & rubricæ mira diverſitate formentur, nihil autem ſit ineptius, quàm præcisè

illi titulo insistere, quem auctor, aut librarius suo operi præfixit, quod tamen a *Draudio* factum video. Ordo scriptorum alphabeticus constans est, ac invariabilis, eique imprimis commodus, qui nondum materiam omnem congestam habet, sed conquirit adhuc undecumque subjecta rerum, bibliothecarum, circumstantiarum, patriarum, occasionum. Indices alphabetici, tabulæque chronologicæ cuncta supplebunt. Grave, si nunc quidem, ut arbitror, nudi tantùm indices dantur, literarium ordinem nemo reprehendet. Nec illustrissimus *Boineburgius* temporum seriem, nisi cùm fastigium operi imponendum, atque illustramenta edenda erant, desiderat: Cl. *Lambecii* historia literaria hactenus quievit, Vindobonensis bibliothecæ præsentiore cura interrupta. Prodiit hujus pars altera quater mole continens primam: eam illustriss. *Boineburgio* misit, multa rerum varietate refertam, atque inter alia indicem Mscriptorum Œnipontanorum complexam. De cætero rei bibliothecariæ pauci admodum incumbere videntur; tanto major gloria cœpti. Inter paucos *Paulus Colomesius* dignum operi apparatum afferre videtur, idque specimine opusculorum ostendit. Hic est ille *Colomesius*, cujus Orientalem Galliam habemus, Germaniam, Italiam, Belgium, Angliam &c. expectamus. *Claudii Clementis* museum instituto *Fichettiano* non absimile videtur, si quid ex *Fichetti* inscriptione conjicere possum. *Andreas Saussaius*, cujus librum de mysticis Galliæ scriptoribus nominas, continuationem etiam libri *Bellarmini* de scriptoribus Ecclesiasticis edidit, sed tam ubere argumento expectatione brevius defunctus est. Aptior huic operæ *Labbeus* videbatur, qui & nobis scriptores *Bellarmino* intactos promisit, sed multitudine rerum obrutus non præstitit.

Illustrissimus *Boineburgius* duo rogat, primum excerptiunculas aliquas de instituto *Fichetti*, deinde catalogum scriptorum *Labbei*, quæ habes: ac si quid de ejus posthumis comperisti, officium officio pensare non negliget. Interea vale, faveque. *Mogunt.* $\frac{10}{20}$. *Feb.* 1670.

P. S. Ausus sum, quasi non satis ipse audax fuissem, literas ad nobilissimum *Welschium* adjungere, rogareque, ut, quando mihi prænomen integrum non succurrit, titulum præscribi facias. De cætero, si literas commendatione tua saltem ab immodestiæ nota excusaveris, obligatissimum me profitebor.

EPISTOLA III.

Literas tuas omnigena doctrina refertissimas cum nobilissimi *Welschii* epistola, & *Fichettianis* excerptis rectè accepi, atque cum illustrissimo *Boineburgio* protinus communicavi, qui *Fichettiano* instituto non parum, tuo autem multo maximè delectatus est. Judicatque nihil a te suscipi utilius posse, quàm si a claris hujus ævi scriptoribus inchoetur, ascensura paulatim ad veteres, tractatio. Nam si dicendum, quod res est, pleroscque veteres apud *Bellarminum*, *Vossium*, *Labbeum*, *Giraldum* recensitos, descrip-

ſcriptoſque habemus, paucis demtis, qui fortè recens è Mſcr. editi, illisque intacti. Medii ævi ſcriptores, fateor, non ita in promtu habentur, ſi tamen *Trithemium*, alioſque id genus adhibeas eccleſiaſticis, ſi *Freheri* directorium hiſtoricis, ut de *Voſſio*, *Miræo*, *Cheſnii* nihil dicam, ſi conferantur Mſcriptorum indices, potiſſimos quoſque habere non uſque adeo difficile erit. Fateor, latere paſſim multos, ſed pleroſque non eſſe tanti, ut ab eorum oblivione magnum generi humano damnum ſit metuendum. At noſtro tempore tot præclaræ meditationes, tot egregia inventa, tot vaſtiſſimi, ac prorſus ſtupendi labores publicè exſtant, ut indigner ſæpe numero ingratitudini ſæculi noſtri erga ſuos illuſtratores. Eſſet igitur optandum magnopere, ut extaret aliquis, qui meritiſſimos de re literaria Viros inde uſque ab inventa typographia recenſeret ordine temporum, annotaretque illud maximè, quid quiſque potiſſimum in rempublicam contulerit. Ita fiet, ut multi, licèt doctiſſimi, ſint initio fortaſſe prætereundi (neque enim ſimul omnes dari poſſunt) qui tamen nominare non poſſunt, quid potiſſimum iis eruditio debeat. Nominandi igitur illi, quibus primæ auctorum veterum eruderationes debentur; qui difficiles in antiquitate, ut chronologia, Geographiaque, nodos primi ſolverunt, quicumque proprias nobis meditationes ſuas, eaſque, ſi non veras, ſaltem ingenioſas reliquere; qui novum aliquod dicendi genus, novam ſectam orſi ſunt, quibus in Medicina, ac Matheſi, & artibus mechanicis utilia reperta debentur, qui hiſtorias non aliunde deſcriptas, ſed earum rerum, quibus interfuere ipſi, earumque memorabilium, ſcripſere: breviter illi, qui, ſi non vixiſſent, cæteris rebus eo, qui ſecutus eſt, ſtatu manentibus, aliquid res literaria detrimenti paſſa eſſet. Hos annotari non eſt res adeo vaſta, utilis tamen, ſed & non nego, recondita, & profunda. Neque enim tanti eſſet de patria eorum, de varia fortuna, de exitu inquiri, quàm de iis meritis, quibus æternùm memorandi ſunt. Ac vereor, ne plerique illi, qui vitas nobis dedere, hoc non ſatis attenderint. Quotuſquiſque eſt enim, qui in vitis *Eraſmi*, *Rhenani*, *Melanchthonis*, *Camerarii* meminerit, quos illi auctores è tenebris primi eruerint? Quis eſt, qui eum JCtum nominet, qui primus juriſprudentiam in artem redigere aggreſſus, qui ferè dixerim *Apelles* fuit? Ubi nominatur, qui primus in re nautica accuratius philoſophatus ſit, oſtenderitque curſum navis, ſi magnetem ſequatur, neceſſariò eſſe ῥομβοειδῆ non κυκλοειδῆ? Ubi eſt catalogus compoſitionum apud Medicos celebriorum, atque uſitatarum, ſuis auctoribus, a quibus ſæpe denominantur, vindicatarum? Quis refert, primum prope eorum, qui matheſin ad phyſicam applicarunt, fuiſſe *Johan. Suiſſet* calculatorem ideo, ſcholaſticis appellatum, primos circuli pſeudo-quadratores fuiſſe *Bovillum*, & *Montium*, & ut ad theologica tranſeam, primum omni-præſentiam carnis Chriſti docuiſſe *Fabium* Stapulenſem, *M. Ant. de Dominis*, & Arminianis primum præluſiſſe *Acontium?* quæque ſunt alia id genus oppidò multa, quæ & ſi ſparſim non nulla habeantur, nullibi tamen collecta ſunt. Ex hoc demum

opere, quod tali complecteretur, vera, ac ſolida hiſtoria literaria eſſet expectanda, qua omnis veræ eruditionis origines, & progreſſus oſtenderentur. Quemadmodum audio *Joſephum Glanvillum* Anglicum nuperrimè de incrementis ſcientiarum, inde uſque ab *Ariſtotele* ductarum ſcripſiſſe. Sed ſufficeret nunc quidem, qui recentes, id eſt inde uſque ab inventa typographia editos, percurreret, eoſque demum, qui aliquid de ſuo ad augendam ſupellectilem publicam contulere, inſtar Monaſteriorum benefactoribus ſuis, quantum in ſe eſt, non ingratorum in necrologia, ut ſic loquar, referrer, ſuaque cuique merita adſcriberet. Huic inſtituto arbitror conferre aliquod poſſe pinacothecas *Nicii*, vitas Germanorum *Adami*, Gallorum per *Sammarthanos*, Orientalizantium per *Colomeſium*, Mathematicorum per *Blancanum*, Medicorum per *Lindium* & *Meibomium* (quamquam *Meibomius* hactenus expectetur), Theologorum per *Biſmarcum*. Huc pertinent ſingulares vitæ, ut *Tychonis* per *Gaſſendum*, *F. Pauli* per *Fulgentium*, *Carteſii* per *Borellum*, *Guſſendi* per *Sorberium*, *Cardani*, *Campanellæ*, *Thuani* per ſe ipſos. Utinam tibi vacet, Vir ampliſſime, tanti momenti inſtituto te accingere, aut ſaltem initio ſcripta extantiora dare. Fracta enim ſemel glacie, non deerunt, ſive tu, ſive alii, qui & veteres addant, & ſuppleant recentiores. Labbeanorum omnium editorum catalogum impreſſum nacti ſumus. *Fichettus* perplacet illuſtriſſimo Baroni *Boineburgio*, & poſt amicam ſalutis per me præfationem, petit ſibi librum aliqua occaſione commodato mitti, inviolatum redditurus. Incluſas ad ampliſſimum *Welſchium* tradi peto. Vale, faveque. *Francofurti* $\frac{7}{17}$ *April.* 1670.

EPISTOLA IV.

Literas tuas ſolenne ſuum obtinentes, id eſt rerum ſcitu dignarum copiam, rectè ab illuſtriſſimo *Boineburgio* accepi: Iſte amicè te ſalutat, ſperatque interea literas ſuas alteras ad te perlatas eſſe: Exceſſum honoris, ignoſce verbo, quo eum in literis affeceris, ac celſitudinem imprimis, deprecatur, idque me tibi ſcribere juſſit: heros tanto major aliis, quanto minor ſibi. Mirè gaviſus eſt nuntio repertorum a te Leipſanorum Philippicorum, miro enim amore proſequitur, quicquid illius Viri amorem, & moderationem ſpirat. Habet clavem in editas *Melanchthonis* epiſtolas manuſcriptas ab ampliſſimo *Thomaſio* noſtro elaboratam, ad illuſtrandam illorum temporum hiſtoriam perutilem.

Particula ephemeridum Romanarum nos docuit prodiiſſe Romæ *Franciſci Ptolomæi* JCti Senenſis *Vetuſtalia*, ſic enim vocat, ſeu vetuſtatis admiranda, quibus docere conatur, pleraque nova reperta, quibus noſtra ſe tempora efferant veteribus, cognita fuiſſe, Americam, pulverem pyrium, teleſcopia, &, ſi Diis placet, etiam typographiam: ex quo ſatis de ſcribentis genio conjicere licet. Item hiſtoriam podagræ, ſolo lactis uſu ſine aliis cibariis curatæ, Auctore *Johanne Baptiſta Magino*. Annectuntur excerpta

cerpta ex literis P. *Franciſci Eſchinardi* S. J. quibus continetur ratio emendandi thermometra; demonſtrare enim ſibi videtur Auctor calorem, frigusque augeri non pro gradibus æqui-diſtantibus in vitro notatis, ſed in triplicata eorum ratione, ita ut numeri vulgò adhibiti ſint radices cubicæ verorum.

Gallicæ ephemerides rareſcunt admodum, aut lenteſcunt. Omnes ſuperioris anni in unum collectæ vix alicujus ex præcedentibus tertiam partem æquant: hoc anno paucas admodum prodiiſſe ſcribitur. Cæterùm cœperant Galli dudum ephemerides ſacras eadem prorſus methodo; annus eſt quod ſchedulam publicè hoc ſignificaturam Pariſiis impreſſam Sualbaci vidi. Sed nunc ſcribitur, rem in nihilum, neſcio qua de cauſa, recidiſſe, auctorem autem rei fuiſſe quemdam P. *Verium* Jeſuitam, Curatorem aliquem, qui ſe appellet *de la Noue*. Deſtinaverant illic referre quicquid ad ſacram eruditionem pertinens aut fieret, aut ſcriberetur, vitas, morteſque ſacras Doctorum, librorum nucleos, acta novorum, ſi qua ſcilicet contingerent, ac judicialiter examinarentur, miraculorum, hæreſium, ſi quæ novæ emergerent, ortus, hæreticorum converſiones, aliaque id genus plura.

Cæterùm ampliſſimo *Welſchio*, cultum meum perpetuum ſignificari etiam atque etiam peto. Quod ſupereſt, vale, faveque. *Mogunt.* $\frac{6}{16}$ *Jun.* 1670.

EPISTOLA V.

Literas tuas ad me plurima humanitatis ſignificatione plenas rectè accepi, ſed & literas ad illuſtriſſ. *Boinebargium* multa fruge feraces legi; cùm verò ex his non ſatis intelligi poſſet, an accepta a te eſſent, quæ nos ad clariſſ. *Wagenſelium* ab illo tibi mittenda deſtinaveramus, quærendum duxi. Erant literæ docti Viri ex Anglia reducis de re litteraria Hollando Britannica; acceſſerant epiſtolæ hactenus ineditæ *Hugonis Grotii* ad immortalem *Schickardum* illum ipſum, cui tu in elogiographia vitam alter *Æſculapius* inſpiraſti. Elogiographia ægrè repereris laborem & jucundiorem, & utiliorem. A noſtro autem ſæculo, & Germaniæ eruditis prudentiſſimè incipis. Nam ſola omnium regionum Germania in præclaris ſuorummet agrorum germinibus agnoſcendis, & ad immortalitatem propagandis ſtupida, & obliviſcitur ipſa ſui, ac ſuorum, niſi ab exteris de propriis opibus admoneatur. Cæteræ gentes non indigent extraneo elogiographo, & Germania ipſa, ſi ſuperiora ſpectes, habet cur in *Melchiore Adami* ſibi placeat, qui tamen opus habet, & ſpicilegio, & continuatore, quorum utrumque nemo te rectiùs, certiuſque præſtiterit. Non ignorabis *Biſmarcum* jam olim orationes funebres, aliaque ad vitas doctorum Virorum, inprimis Theologorum, pertinentia, collegiſſe. Et poterunt ex concionibus in ſupremo magnorum Virorum honoris actu habitis, vitam plerumque comitem habentibus, quarum tibi parata undecumque acquiſitio eſt, multa ad rem pertinentia excerpi. Paſſim etiam operibus doctorum Virorum præ-

fixæ vitæ leguntur. Ampliſſimus *Boeclerus* in eo eſt, ut ſcriptores veteres, Græcè, Latineque extantes, compendiosè percurrat, & in ſingulis uſum, quo quiſque commendare ſe lectori prudenti, & in rerum verſaturo poteſt, exponat. Quod ſi, ut cogitat, ad typographiam uſque inventam produxerit, quouſque tua paulatim elogiographia retrorſum aſcendet, pulchra utriuſque operis conſonantia erit. Pater *Ivo* Pariſinus, Capucinus, grande ſuum opus, quod digeſtum ſapientiæ vocat, Lugduni auctius publicabit. Conciliorum editio altera *Labbei* & *Coſſartii* curâ expolita, jam penè abſoluta. Addet aliquos tomos ineditorum hactenus Conciliorum, & ad ea pertinentium actorum. *Stephanus Baluzius* bibliothecarius *Colberti*, idem ille, qui in ſcriptoribus Eccleſiaſticis Gallicis, hactenus latentibus, protrahendis in lucem occupatur, quorum complures in præfatione ſua ad *Agobardum* promiſit. Ut taceam jam tum *Salvianum*, *Vincentium Lirinenſem*, *Agobardum*, epiſtolas *Amulonis*, *Servati Lupi* quædam ab eo edita eſſe. Eſt quidam *Ruelius* Primislavienſis in Sileſia deſignatus Superintendens, qui edendorum in Germania Conciliorum conſilium cepit, magnanimum certè, aut, ſi ipſe impar eſt, audax. Excuſus eſt titulus operis; promittuntur non canones tantùm, ſed & acta, & literæ, & quicquid monumentorum ad rem pertinentium reperiri poteſt. Sed an Gallos tantùm exſcripturus, an verò ſive materia, ſive methodo, ſive qua alia ratione variaturus ſit, dicere non habeo. Facit ſane Mſcriptorum, ex quibus nonnulla hauſerit, in titulo mentionem, ſed an tanti illa futura ſint, neſcio. Credo tamen non inutilem fore editionem, quia Gallicis minùs ſumtuoſam. Prodromum quemdam his nundinis jam emiſit. In Gallia doctiſſimus Vir *Ægidius Menagius* origines linguæ Græcæ molitur, quibus omnia omnino linguæ vocabula ad trecentas in univerſum radices revocentur. Idem de rei medicæ ſcriptoribus ſyntagma dabit, quo multi hactenus incogniti protrahentur, aut cogniti illuſtrabuntur. Habet & ſub manibus lexicon botanicum, magnam rem præſtiturus, ſi πολύσημα, & controverſa paſſim impoſita a veteribus ſimplicium nomina, ad certas notiones revocaverit.

In Anglia *Joſephus* editur curâ, & auſpiciis doctoris *Felli* Coll. Chriſti decani Oxonienſis, qui & *Petiti* in eum ſcriptorem curas addet. Clarius *Boſius* tamen ea præventione non deterretur, ut nec cujuſdam *Stephani Monachii* Miniſtri Rothomagenſis ſimili cœpto. *Larroquanus* reformatus dicitur egregiam de euchariſtia diſſertationem edidiſſe: eſt opinor idem ille, qui etiam de *Liberio*, & *Photino* commentatiunculam publicavit. *Dallæus*, & *Drelincurtius* fatis conceſſere: hujus oras ſupremas Genevæ excuſas in his nundinis vidi.

Habui nuper literas reſponſorias a doctiſſimo *Oldenburgero* ſocietatis regiæ Secretario, quibus inter alia Germanica quærit, de *Werneri* civis Memmingenſis invento hydroſtatico, quo ille res magnas pollicetur ſiphone, antliaque præſtandas; petitque a me, tum quid viri harum rerum periti ſentiant de eo invento, tum quæ ſit ratio, quis modus, quis ſucceſſus, applau-

applauſuſque. Ego inquirendo comperi Virum Electori Bavaro in aquis mineralibus operarum, foſſarumque inimicis exhauriendis operam ſuam obtuliſſe, atque ibi nunc velut examen ſuſtinere, plura tamen indagare non potui. Quare valde me obſtrinxeris, vir ampliſſime, ſi quid eo de negotio a peritis exquiſitum mihi præſcripſeris. Ampliſſimum *Welſchium* meo nomine quæſo ſalutes, eumque horteris, ut quod unus omnium optimè poteſt, exſtimulet ſui ordinis Viros doctiſſimos non ad colenda tantùm inter ſe literaria commercia, id enim dudum faciunt, ſed & ad ea publico non invidenda, edendaſque ephemerides paulo pleniores, quam primus iſte annus dedit, qua ratione, & gloriæ ipſorum, & ſaluti publicæ conſuletur. Quin alteras meas egregius ille Vir per te acceperit, non dubito. *Beecherus* appendicem libri primi phyſicæ ſubterraneæ edet, ubi in praxi docebit, ſi ipſi credimus, metalla ex ſimplici vitro producere: item Mercurium figere. Pervellem, per ampliſſimum *Welſchium* noſſe, quid de eo viro ſentiant illic periti, tum quis ſit ſucceſſus? Vale, ſaveque.

EPISTOLA VI.

Literas tuas, indelebili ſcribentis charactere ſuaves, & erudientes, rectè accepi. Doleo, non eodem fato uſas, quas ad te illuſtriſſ. *Boineburgius* dedit, quamquam non ſatis intelligam, an non literas ſaltem, etſi ſine acceſſionibus, acceperis: adjunctæ erant, & meæ. *Grotii* ad *Schickardum* literas aliquot denuo deſcriptas mitto: literæ Anglicanæ non ſunt in promtu nunc quidem, mittam tamen, ubi primùm ſe dabunt. Quiſquis ille eſt, qui tibi perſuadere conatur bibliographici operis omiſſionem, ex noſtro certè ſenſu, ut molliſſimè dicam, minimè loquitur. In re immenſa, imò infinita, qualem hanc eſſe nemo diffitetur, nemo etiam urget perfectionem: & labor ſaltem progreſſus pro perfecto habetur. Nec ſunt invidi adeo bibliothecarii, ut ne catalogorum quidem copiam faciant: documento ſint, qui ne edere quidem in publicum veriti ſunt, inter quos eminet nunc Vir cl. *Lambecius*, cujus quarta jam, & quinta pars operis bibliothecarii prælo accingitur. Accedent ſeorſim acta publica Mſpta, variique ſcriptores rerum Germanicarum, nunc primùm ex bibliotheca Cæſarea eruti.

De re tam manifeſtæ utilitatis miror illud: cui bono? vel quæri poſſe: quid? an exiguæ utilitatis eſt bonum patremfamilias inventarium, mercatorem libros negotiales habere? neque aliud eſt bibliographia erudito. Opus elogiographicum tanto expetendum magis, quanto plura magna ingenia noſtro ſæculo tenebris oblivionis ſepeliuntur, quæ, ſi in veteres incidiſſent, nunc inter heroës literarios celebrarentur.

De *Comenii* morte audivi, qui etiamnum dubitarent. *Jean de Labbadie* varia fama ora hominum pervagatur. Hervordiæ quoque cum Theologis Brandenburgicis, ſectarii contagionem, ut ajunt, in vicinia metuentibus, ortæ ei lites, quæ vereor, ne in novam ſoli mutationem deſinant, omnem

nem fructum in planta ſæpe tranſpoſita intercipientem. Prodiit nuperrimè libellus in eum elegans. Sed acer fratrum *des Marets* Eccleſiæ Wallonicæ in Batavis Miniſtrorum, hoc titulo: *Hiſtoire curieuſe de la vie, de la conduite, & des vrais ſentimens du Sieur Jean de Labadie, dont le nom, & la réputation ſont tant de bruit parmi les gens de bien*, à la *Haye* 1670. 12. Si ex vero depingitur, ambitionis, ſuperbiæ, intolerabilitatis, ſeditioſitatis notas effugere vix poteſt. Sed utraque pars audienda eſt judicaturo. Illud diffiteri nemo poteſt, cauſſas, quas ſeparationi prætexuit, non admodum ponderoſas eſſe: noluit ſubſcribere Confeſſionem Eccleſiarum Belgicarum, reprehenſis quibuſdam innocentibus formulis in negotio Trinitatis, quas ne Romanæ quidem Communionis quiſquam ſub cenſuram vocavit; invectus eſt in librum Collegæ ſui (ſaltem Conſynodalis) *Lud. Wolzogenii*, elegantem admodum, & eruditum, quem contra philoſophiam, Scripturæ interpretem edidit, atrociſſimis accuſationibus, quibus colorem reperire non potuit. In ipſam philoſophiam veram, & reſtauratam ita tumultuatur, ut ſatis appareat impetu magis animi, quàm certo judicio ferri. Malitia hæc an zelo quodam parum ſcito fiant, neſcio. Unum maximè placet ex actis ejus, quod collata in commune pecunia ſuorum, pauperibus, ſed laboraturis ſubvenire voluit, quo conſilio niſi alius ſcopus in receſſu fuit, nullum poteſt facilè cogitari chriſtianius: ſed ſatis de *Labadie*. Academiam Jeſu Chriſti, quam edidiſti, ſpero ad has nundinas delatum iri. Memini te quoque aliquid de prudentia veteris Eccleſiæ moliri, niſi hoc cum Academia idem eſt. Si quid de *Wernero* reſciveris, ac mihi ſignificaveris, rem facies mirè gratam. Auctionum indices, ſi per Mercatores, ac nundinas iturientes afferri poſſunt, poterunt per eoſdem domum reportari, quare illuſtr. *Boineburgio* plurimum gratificabere, meo quoque beneficio non parvo efficies. Factus eſt mihi nuper aditus ad commercium literarium cum Bibliothecario Regis Chriſtianiſſimi Mr. *Carcavi*, unde ſpero me habiturum nonnunquam, quæ vobis perſcribere poſſim. Illuſtriſſ. *Boineburgius* amicè te ſalutat. Vale, faveque. *Mogunt.* 7. *April.* 1671.

EPISTO-

EPISTOLÆ MUTUÆ
GODEF. GUILIEL. LEIBNITII
ET
FRID. GUIL. BIERLINGII

S. T. D. & Profeſſoris in Academia Rintelenſi primarii.

Ex Tom. IV. Kortholti excerptæ.

EPISTOLA I.

F. G. BIERLINGII AD G. G. LEIBNITIUM.

I. *Elogium* Leibnitii. II. *De* Petro Baylio.

I. MAgnitudo tuorum in rem litterariam meritorum, quæ orbis eruditus, quaqua verſus patet, ſuſpicit & admiratur, in cauſſa eſt, quod tibi, Vir illuſtris, propiùs innoteſcere, tuoque favori commendari geſtiam. Animum hæſitanti, ac ardua tua negotia interpellare minimè ſuſtinenti addidit collega honoratiſſimus, Dn. *Keſtnerus*, qui non tantùm de tua humanitate, quam ipſe expertus eſt, ſecurum me eſſe juſſit, ſed & litteras ſe ad te curaturum liberaliter promiſit. Adjeci bigam opuſculorum a me in lucem emiſſorum, eaque tibi omnis eruditionis arbitro offero. Excitabit me ad plura meditanda tua benevolentia, ſi in eorum numerum, qui nomen tuum colunt, me recipere dignatus fueris. Gratiſſimum quoque erit, ſi monebis, quæ rectiùs dici aut addi potuiſſent. Ex te diſcere gloriæ & honori mihi ducam.

II. De *Petri Bælii*, viri acutiſſimi, ortu, vitæ curriculo & fatis, diligenter inquiſivi, ſed non adeo multa ſe mihi obtulerunt. Equidem haud me fugiunt controverſiæ, quæ ipſi, cum relicta patria Roterodamum ſe contuliſſet, cum *Petro Jurieo*, ac deinde cum *Jo. Clerico*, *Iſaaco Jaquelotio*, ac *Jacobo Bernardo* interceſſerunt; ſed latent tamen & hic circumſtantiæ, mihi non ſatis perſpectæ. Inprimis dubium eſt, an ſit auctor libelli: *Avis important aux refugiés*, qui tantos motus excitavit. Quam verò in Gallia ſit expertus fortunam, cum Sedani Profeſſor eſſet, aut quæ antea ratio vitæ & ſtudiorum ipſi fuerit, planè ignoro. Sed nolo prolixioribus litteris tibi moleſtus eſſe. Vale igitur, Vir illuſtris, meque tuo favore proſequere. *Rintelii d.* 28. *Sept.* 1709.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De* Petro Baylio. II. *De Pyrrhoniſmo hiſtorico.* III. *De Pædantibus.* IV. *De* Homero *& lectione veterum auctorum.* V. *De* Samuele Pufendorfio. VI. *De* Lockio *&* Bouhurſio. VII. *De doctoribus ſcholaſticis.* VIII. *De* Hugone Grotio. IX. *De Theologiæ Myſticæ uſu.* X. *De* Hobbeſio *& rel.*

I. MUltum tibi debeo, quòd ſimul humaniſſimè ſcribis, & eruditiſſimè ſcripta mittis. Et beneficium amico communi, Excellenti Viro, debeo, notitia tui procurata.

V. Cl. *Petrum Bælium* (de quo quæris) olim apud Comites *de Dhona* in Helvetia aut vicinis locis egiſſe, ex ipſo Comite, nuper Regii Principis Pruſſici magno domeſtico, intellexi. Inde Sedani Profeſſor Philoſophiæ, mox labentibus Reformatorum in Gallia rebus, idem munus Roterodami exercuit, *Jurieo*, opinor, procurante; ſed cujus id poſtea opera amiſit, cùm ſuſpectus non tantùm temeratæ Religionis, ſed & animi non amici in Rempublicam factus eſſet. Librum ad exules Gallos ſemper a ſe amolitus eſt, & ſapuit: ſed magnis ſuſpicionibus gravabatur. Itaque, qui nuperrimè refutationem operis dedit, Cl. *Larreius*, hiſtoriæ Anglicanæ Gallico ſermone ſcriptæ non ſpernendus auctor, in *Bælium* ſcriptorem propendet. Hæc de *Bælio* mihi amico & æſtimato habeo, qui vellem ingenii opes magis ad ſtabiliendas veritates profuturas, quàm captandos plauſus hominum liberiorum adhibuiſſet: minus inde lucri bibliopolæ, ſed plus autori laudis ſolidæ & veræ quietis acceſſiſſet.

II. Pyrrhoniſmi Hiſtorici argumentum tractaſti eleganter & doctè. In circumſtantiis Hiſtoriarum remotarum, & in cauſſis interioribus rerum etiam propinquarum ſæpe hæreri nemo dubitat. Ego tamen cum ſufficientia non ſunt contraria judicia, in meliorem partem propendendum cenſeo. Itaque non admodum fido Gallis Italisve, de *Caroli V.* abdicatione & pœnitentia parum compertè narrantibus, aut Suecis, Lauenburgium de morte *Guſtavi* accuſantibus, nec dubito, falli *Piaſecium*, qui primum *Wallenſteinio* mortem Regis nuntiaſſe ſcripſit: neque enim (ſi bene memini) ſtatim partes mutavit, etſi mox a Suecis ad Electorem Saxoniæ ſit tranſgreſſus adhuc fœderatum. Neque hoc indicium diſſimulaſſet *Pufendorfius*, ſi in Suecicis chartis reperiſſet. Regem, qui oculorum vitio laborabat, unde myopes appellantur, in Croatas pro ſuis habitos incidiſſe, conſtantior fama eſt. Mellivilliani Commentarii, de quibus tanquam nuper demum editis loqueris, jam dudum typis vulgati extabant, cùm ſuam Hiſtoriam reformationis Anglicæ Ill. *Burnetus* ederet; extabant, inquam, ſed Anglico ſermone. Exemplum ſereniſſima Electrix Ampliſſimo *Smidio*, olim ſereniſſimi mei Electoris ſtudiorum magiſtro, poſtea parentis in Sueciam ablegati, Gallicè vertendum ſuppeditavit, quæ verſio in Batavis prodiit. *Campanella* non tam

tam ſcriptis, quàm molitionibus ſuſpectus Hiſpanis fuit, unde etiam ex eo per tormenta quæſitum. Uſus Archivorum diplomatumque judicium poſtulat: nec omnia hic certa nec nihil. Longè tamen *Mabillonii* judicium Germaniano prætulero. Puellam Lotharingam, vulgo Aurelianenſem, ſubornatam non apparet. Enthuſiaſtica, opinor, fuit.

III. Meritò Politicis ſtudia non ſuperficiaria commendas. Pædantes olim nihil aliud, quàm pædagogi, hoc cùm ſæpe ſceptrum ſcholaſticum moroſos faciat, vox in convitium tranſit. Hodie non tantùm eruditi inepti, ſed & alii ſcioli litigioſi pædantes appellantur.

IV. *Homerum* non facilè contemni poſſe, arbitror, nec *Fontenellus* ſatis bonus eſt talium judex. Nolim credas, *Carteſium Hobbium*que parum legiſſe, id de ſe dici patiebantur, ſed ego ſcio, fuiſſe in veteribus exercitatiſſimos, nec recentiorum ignaros. *Carteſius* etiam philoſophiæ ſcholaſticæ operam dederat.

V. *Puſendorfii* Hiſtoriæ magis materia ex tabulariis ſuppeditata, quàm ſcribendi genere laudabuntur. Suecica Hiſtoria meliùs ſcripta eſt, quàm Brandenburgica, utique planè rhapſoda, & præterea (quod tamen lectoribus plerisque non ingratum) proditrix rerum, quas aula ſileri maluiſſet: autorem iræ principis mors opportuna ſubtraxit: utiliſſimus tamen liber eſt, ut omnia quæ ex principum tabulariis excerpta ſunt.

VI. Videris mortem *Jaquelotii* nondum intellexiſſe. *Lockii* liber de intellectu humano mihi parum ſatisfacit. *Bouburſius* mihi contemtu vindicandus, nec verbis a Germanis, ſed rebus refellendus videbatur. Compilatores non minùs Galli, Itali, Hiſpani habent, quàm Germani, & vellem plures ubique haberentur, ſed boni, multa enim utilia colligenda reſtant.

VII. Scholaſticos, agnoſco, abundare ineptiis, ſed aurum eſt in illo cœno, quod bene ſcivit *Grotius*. Politicus hæc, impunè fateor, ignorabit, ſed non qui docere alios rectè volet rem morum & juris.

VIII. *Grotium* malè tractaſſe negotia, calumnia *Auberii* fuit, nec probo *Vaſſoris* judicium, qui putat, viros bonos negotia bene tractare non poſſe. Illud fateor, tyrannis aut ſceleratis tyrannorum adminiſtris tales non convenire.

IX. Veriſſimè dixiſti, veram pietatem non tollere uſum rationis, ſed perficere, non ideo tamen omnem Theologiam Myſticam explodi velim: habet illa ſeſe ad communem ferè ut poëſis ad oratoriam, movet magis, ſed eſt modus in rebus.

X. *Hobbium*, fateor, pauci intelligunt, nec ille tam eſt pro abſoluta poteſtate, quàm putatur, ſed inſufficientia illius principia ſunt. Ad *Cocceianam* juris publici Hiſtoriam etſi pereruditam multa moneri poſſent. *Thaborem* fuiſſe purumputum legiſtam, non dixerim. Scripta aliud oſtendunt, nec dicteriis facilè credo. Idem, quod de eo refers, audivi narrari de *Manzio*, ſed falſò, opinor, de utroque. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 24. *Octobr.* 1709.

EPISTOLA II.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De nece* Guſtavi Adolphi. II. *De Commentariis Melvillianis.* III. *De* Campanella. IV. *De puella Lotharingica.* V. *De præſtantia antiquorum præ modernis.* VI. *De* Lockii *libro de intellectu humano.* VII. *De* Hugone Grotio.

I. EXoptatiſſimæ mihi acciderunt tuæ litteræ, quæ non ſaltem alloquium meum tibi non fuiſſe moleſtum declararunt, ſed & indicia continent tui erga me affectûs planè ſingularia. Gratulor mihi & gaudeo de hac felicitate: magis gaudeo, quòd tot laboribus obrutus exiles chartas a me tranſmiſſas tua lectione dignari, ac, quæ monenda occurrerunt, benevolè mecum communicare volueris. De nece *Guſtavi Adolphi* res valde impedita eſt, unde & ego de hoc negotio nihil certi pronunciare auſus ſum, ſed *Pufendorfii* ſuſpiciones obiter tantùm tetigi, indiceque digito monſtravi. Nec credo auctori vitæ *Joſephi*, capucini, qui monachum hunc & ejus Patronum *Richelium* ſceleris auctores perhibet. Videtur enim mihi iſta capucini vita ad fabulæ Romanenſis quàm veræ hiſtoriæ characterem propiùs accedere, ad eandem fortè claſſem referenda, ad quàm *Artagnani* Commentarii pertinent. Solet obitus magnorum Heroum improviſus, præſertim & violentus, rarò ſincerè narrari, ſed quàm primùm tale quid contigit, traditiones adduntur, & circumſtantiæ fabuloſæ, quæ deinde ad poſteritatem propagatæ fidem accipiunt, viresque acquirunt eundo.

II. *Melvilliani* commentarii quod non nuper demum prodierint, perſpectum habeo. Ipſe poſſideo verſionem Gallicam, Hagæ Comitum a. 1694. typis exſcriptam. Quod verò exiſtimaverim, illos, cùm Ill. *Burnetus* hiſtoriæ ſuæ pertexendæ operam daret, nondum publici juris factos, verba doctiſſimi Præſulis effecerunt, quæ in opere memorato (Part. II. Tom. I. Lib. I. p m. 499. ed. Amſt. 1687. 12.) leguntur. En illa: *Jaques Melvil écrivit en ſa vieilleſſe, la relation de toutes les affaires dans leſquelles il avoit eu part. Cet ouvrage eſt aſſurément l'un des plus beaux, & des plus parfaits que j'aye vûs en ce genre. On en trouve l'original en Ecoſſe écrit de ſa main: Et une perſonne deſcenduë de lui, m'en a communiqué une copie.*

III. *Campanellam* quod attinet, lapſus ſum, fateor. Seduxit me *Arnoldi* Hæreſiologia, in quo libro multa ſanè parum accuratè, in fidem auctoris inquirere nolo, citata reperiuntur. Comperi enim deinde, *Campanellam* tum demum ſuum de Monarchia Hiſpanica libellum compoſuiſſe, cum ex Hiſpanorum vinculis jam eſſet liberatus. Ea igitur, qua ibi tractavit, carceris cauſſa eſſe minimè potuerunt.

IV. Puellam Lotharingicam ſubornatam & Enthuſiaſticam ſimul fuiſſe, quid

quid obſtat, Vir Illuſtris? Talis eligenda erat, quæ ſe numine plenam ſomniabat, utpote ad hanc ſcenam aptior. Fortè tamen rationes habes, quæ me latent, cur poſterius aſſerere malis, quàm prius. Me facilè habebis conſentientem, modo miracula minimè admittantur, ubi nulla ſunt, a quo longè alienum te eſſe, ſatis ſuperque novi.

V. De *Homero* duriùs paululum locutus ſum, non quòd vetuſtiſſimum profanorum Autorum, quorum labores ad nos pervenerunt, contemnam, ſed ad redarguendos illos, qui de eo nimis magnificè ſentiunt, nihilque ab humano ingenio excellentius excogitari potuiſſe, quàm ejus poëmata mordicus tuentur. Scio, quid veteribus debeamus, ſed non mè fugiunt quoque merita recentiorum. Fuerunt diſciplinæ, in quibus illi ſuo tempore apicem attigerunt, nobisque nihil ferè reliquerunt, niſi imitandi gloriam; ſunt & aliæ, in quibus plus ultra progredi licet, & ubi fortè recentioribus palma debetur. Magnis animorum motibus agitata eſt controverſia de præſtantia antiquorum præ modernis inter *Nicolaum Boilæum*, elegantiſſimi ingenii virum, & Satyricorum Gallorum facilè Principem, ac *Carolum Perraltum*, cui ſuccenturiatus *Fontenellius*. Addidit tamen recentiſſimæ operum ſuorum editioni epiſtolam ad Antagoniſtam *Boilæus*, in qua, ſe non alienum a compoſitione litis eſſe, non obſcurè innuit, ac quæſtionis deciſionem talibus terminis circumſcribit, ut mihi quidem planè ſatisfaciat. Vid. *Tom. II. de ſes œuvres diverſes p.* 192. *& ſuiv.*

VI. *Iſaacum Jaquelotium* Berolini diem ſuum haud ita pridem ſubiiſſe, ex actis Erudit. quæ Lipſiæ prodeunt, didici. *Lockii* librum, de Intellectu, ego uſque adhuc in pretio habui. Cur tibi parum ſatisfaciat, ni grave fuerit, ſignifices velim, Vir Illuſtris. Tu enim pro tua perſpicacia varia ſine dubio obſervaſti emendanda, quæ & me & alios fugiunt.

VII. *Auberium* multa de *Grotio* mentitum eſſe, planè perſuaſus ſum, & miror, virum doctiſſimum, *Jac. Frid. Ludovici*, Fridericianæ Profeſſorem, in delineatione hiſtoriæ Jutis naturalis, ejus veſtigia ſecutum. Sed ita uſu venire ſolet, ut magna ingenia, inprimis ſi inveteratis erroribus profligandis manum admoveant, calumniis onerentur. Horret animus, quoties, quæ de *Grotio Calovius* & *Rivetus* ſcribere non erubuerunt, conſidero, mecumque expendo. Addidit nuperrimè novæ egregii libelli de Verit. Rel. Chriſt. editioni epiſtolas nonnullas *Jo. Clericus*, ex quibus conjicere datur, magnum *Grotium* ab Eccleſia Anglicana non fuiſſe alienum. Sed quorſum me abripit dulcedo tecum confabulandi, & ex inſtructiſſimo tuo eruditionis apparatu plura eliciendi, e quibus proficiam, Vir Illuſtris? Ignoſce, quæſo, huic meæ audaciæ, litterarumque prolixitatem, cùm nec opinanti plura, quàm initio deſtinaveram, exciderint, æqui bonique conſule. Ego tuam erga me benevolentiam memori ſemper mente colam, ac nunquam ex animo elabi patiar. Vale, Vir illuſtris, & quod facis fave. *Rintelii III. KL. Nov.* CIↃIↃCCIX.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De* Samuele Pufendorfio & Thuano. II. *De Philoſophia* Carteſii. III. *De uſu Logicæ.* IV. *De Jure naturæ.* V. *De vi agendi in corporibus.* VI. *De ſpiritibus.*

I. GRatias itero pro munere iterato, & libenter legi, quæ lectionibus Hiſtoricis, Philoſophicis, Oratoriis præfaris. Tuis de Hiſtoriarum ſcriptoribus judiciis in plerisque ſubſcribo. Cum *Barneveldio* injuriâ actum, non dubito. *Vaſſorem Richelio* alicubi iniquiorem eſſe, rectè ſtatuis. Cæterum *Pufendorfius* prudentia & rerum uſu longè eſt infra *Thuanum*, ne quid de eruditione dicam, quæ in *Thuano* magna, in *Pufendorfio* mediocris fuit, qui non niſi ſtyli promtitudine, & ingenii quadam acie valebat; neque optimè animatus erat interdum (ut ipſe expertus ſum) quum, *Thuanum* optimum virum fuiſſe, conſtet. Receperat aliquando in ſe curationem negotii cujuſdam mei in Suecia; ſed per amicos didici, contraria omnia ab eo acta fuiſſe. In ejus Hiſtoria id eximium eſt, quod ex Tabulariis fideliter (etſi non maximo judicio) deſcripta eſt. Suecici commentarii meliores ſunt, Brandeburgici præcipitati; & cùm auctor magnum per ſe negotiorum uſum non haberet, nec niſi exſcriptorem agere poſſet; hinc paſſim peccavit, Miniſtrorum relationes ad Dominum ſecutus, quæ ſæpe ex falſis rumoribus collectæ, tempore refelli ſolent. *Pufendorfii* Eriſtica ita comparata ſunt, ut non rarò mala eſſet ipſius cauſa ſolaque audacia, & ſtyli acrimonia ſuſtentaretur, veluti cùm tueri auſus eſt, juſtitiam non naturæ aut æternis veritatibus, ſed Divino arbitrio deberi, quod ſi verum eſſet, (uti ſupralapſarii ſtatuunt) juſtitia Deo eſſentialis non eſſet; ſed ille quod imprudenter effuderat, pertinaciter defendebat.

II. Quod ea attinet, quæ de Philoſophia habes, rectè non negligis *Carteſium*, cujus ego Philoſophiam tanquam veræ veſtibulum habeo, Gallus ante cameram diceret. Interim ferè tantum a *Carteſio*, quantum ab *Ariſtotele*, abeundum cenſeo.

III. Logicam, ſi bene tradatur, uſuique applicetur, minimè ſpernendam aſſentior, imò ſi perfectior haberetur Logica, nihil mortalibus utilius facilè obtingere poſſet. In *Lockio* ſunt quædam particularia non malè expoſita, ſed in ſumma longè aberravit a janua, nec naturam mentis veritatisque intellexit. Si diſcrimen inter veritates neceſſarias, ſeu demonſtratione perceptas, & eas, quæ nobis ſola inductione utcunque innoteſcunt, ſatis conſideraſſet, animadverteſſet, neceſſarias non poſſe comprobari, niſi ex principiis menti inſitis; cùm ſenſus quidem doceant, quid fiat, ſed non quid neceſſariò fiat. Idem non ſatis animadvertit, ideas entis, ſubſtantiæ unius & ejuſdem, veri, boni, aliasque multas menti noſtræ ideo innatas eſſe, quia ipſa innata eſt ſibi, & in ſe ipſa hæc omnia deprehendit. Nempe nihil

nihil eſt in intellectu, quod non fuerit in ſenſu, niſi ipſe intellectus. Multa alia in *Lockium* animadverti poſſent, cùm etiam immaterialem animæ naturam per cuniculos ſubruat. Inclinavit ad Socinianos, (quemadmodum & amicus ejus *Clericus*) quorum paupertina ſemper fuit de Deo & mente Philoſophia.

IV. Optima ſunt, quæ de Ethica mones. Quod jus naturæ attinet rectè obſervas, varia accipi. Hinc paſſim controverſiæ inanes. Etſi autem virtutem nos Ethica doceat, quatenus ad noſtram felicitatem pertinet; non ideo minùs tamen verum eſt, omnem virtutem, quatenus ad alias perſonas refertur, ſub juſtitia univerſali comprehendi. Et in univerſum juſtè agit, qui circa ea, quæ ad alias perſonas referuntur, cum recta ratione verſatur. Itaque legiſlatores prudentes dant operam, ut homines inde ab infantia ad veram virtutem ducantur, ita & ſibi & aliis utiliſſimi erunt. Et quum recta ratio nos doceat, omnia gubernari a perfectiſſima mente; eique obtemperandum eſſe, virtutemque ab ea a nobis exigi, vel hinc manifeſtum eſt, etiam internas actiones ad juris præſcriptum exigendas eſſe. Sed de his nonnulla dixi in præfatione codici juris Gentium præmiſſa, & Epiſtola, quam Dn. *Boehmerus* nuper publicavit. Porrò verò judicas, rebus ſecundùm rectam rationem ordinatis non convenire licentiam matrimoniorum inter fratres & ſorores, atque adeo eam juri naturæ contrariam eo, quo diximus, ſenſu habendam.

V. Bene mones, (ubi de Phyſicis) eſſe aliquam in corporibus vim agendi, interim ea vis ipſi materiæ, id eſt Antitypiæ, tribuenda non eſt, ſed inſitæ ſunt entelechiæ; at non ideo probo, quæ de naturis plaſticis *Cudworthus* & *Clericus* habent, putant enim hi, eſſe naturas, quæ non mechanicè operentur in corporibus; ego verò cenſeo, omnia in natura corporea fieri mechanicè, etſi ipſa mechaniſmi principia ex ſola materia non pendeant. Sed de his aliquoties dixi in Actis eruditorum & alibi.

VI. In ſpiritibus etiam, rectè judicas, non tantùm eſſe intellectum, ſed & conatum, qui eſt appetitui involutus. *Poiretus* ſequutus eſt *Bourignoniæ*, Magiſtræ ſuæ, imaginationes, quæ omnia ſagis maleficis plena putabat. Quædam certò in Phyſica demonſtrari, non eſt dubitandum, veluti circa effectus aëris, radiorum, ſonorum, vis elaſticæ & gravitatis, vis magneticæ; ſed pauca circa hæc Carteſianis debemus. Hæ litteræ dudum conceptæ inter ſchedas latuerant, inde expediendi tarditas, quam, ut excuſes, peto, qua de re etiam Ampliſſ. *Keſtnero* pluribus ſcripſi. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam* 28. *Octobr.* 1710.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA III.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De* Samuele Pufendorfio. II. *De ideis innatis.* III. *De* Carteſio. IV. *De* Clerico. V. *De præfatione* Leibnitii *Codici Juris Gentium Diplomatico præfixa.* VI. *De Baronis* Lahontani *opuſculis.*

I. NOvo me cumulaſti beneficio, dum exquiſitiſſimas tuas obſervationes circa ſchedas, quas ultimis meis adjeceram, benevolè mecum communicare dignatus es. Me non parum ex illis profeciſſe, ingenuè fateor, & gratus agnoſco. *Thuanum Pufendorfio* in multis ſuperiorem re accuratius penſitata ipſemet ſtatuendum arbitror; nec hunc tamen ſuis carere meritis pariter ſum perſuaſus. *Grotio* & *Hobbeſio*, licet in hunc acriter non rarò invehatur, plurima eum debere, ocularis inſpectio docet, facileque adducor, ut credam, niſi hos habuiſſet præeuntes, vix futurum fuiſſe, ut in adeo ſpiſſum volumen evaderet ſyſtema Juris Naturæ & Gentium. Interim perſpicuitate & nativo quodam ingenii acumine lectorem allicit. Vehementiam, qua adverſarios ſuos inſectatur, quos non mitius interdum quàm manu carnificis puniri poſſe contendit, nunquam potui approbare, quamvis & ſi per hos ſtetiſſet, actum eſſet de fama & exiſtimatione *Pufendorfii.* Verùm ita comparatæ ſunt res humanæ, ut rarò magnum ingenium ſine mixtura imbecillitatis reperiatur.

II. Multùm exercuit Philoſophos quæſtio de innatis ideis, quam tamen, modò termini rectè explicentur, haud adeo difficulter componi poſſe exiſtimem.

III. An autem *Carteſii* argumentum, ex idea innata Entis perfectiſſimi hauſtum, ad convincendos Atheos multùm conducat, dubito. Non contemnenda mihi videntur, quæ obmovit Auctor *du Voyage du monde de Deſcartes* p. m. 161. ſuiv.

IV. *Clericum* Socinianiſmi ſuſpectum reddere, multi conati ſunt. Sed ipſe hanc culpam a ſe ſemper amolitus eſt. Ceterum judicium & eruditio viri minimè vulgaris ſcripta ejus mihi reddiderunt commendatiſſima, etſi ejus dogmatibus in univerſum ſubſcribere nolim.

V. Pulcherrimam præfationem, qua veſtibulum Codicis Juris diplomatici exornaſti, Vir illuſtris, olim ex bibliotheca Dn. *Lyſeri*, Ephori Cellenſis, avunculi mei, mutuo acceptam, cum cura legi, relegique. Doleo, adeo pauperem eſſe bibliothecarum in noſtra academia apparatum, ut nemo reperiatur, qui librum utiliſſimum poſſideat. Ego ſcrinia mea eodem augere, etſi plus ſimplici vice conſtituerim, neſcio tamen, qua ratione hactenus ſemper fuerim impeditus.

VI. Quid, quæſo, de Baronis *Labontanii*, quem Hanoveræ eſſe audio, opuſculis

opuſculis judicas, Vir Illuſtris? Cùm initio deſcriptionem morum populorum Canadenſium apud eum legerem, quod illi ſine legibus, ſine magiſtratu & tamen pacatè viverent; cùm deinde inſpicerem dialogum inter *Labontanium* & Barbarum Canadenſem, ubi contra religionem Chriſtianam multa liberiùs proferuntur; parum abfuit, quin conjicerem, confinxiſſe auctorem, inſtar conditoris Hiſtoriæ Sevarambicæ, & nomen & peregrinationes, ſcenæque inſeruiſſe, ut tutiùs latere, & paradoxas ſuas circa ſacra opiniones abſque periculo in publicum efferre poſſet. Sanè, quæ Barbarus proponit, acriter urgentur, & ſatis frigidè diluuntur. Nunc verò hominem in rerum natura eſſe dubitare nequeo, niſi ſcepticum agere velim. Tu, Vir illuſtris, plura de eo me edocebis, quæ ſub fide ſilentii, ſi jubes, ſanctè cuſtodiam. Vale, & mihi ſavere perge. *Rintelii d.* v. *Nov.* 1710.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De* Pufendorfio. II. *De ideis innatis.* III. *De* Anſelmi *&* Carteſii *argumento pro exiſtentia Dei.* IV. *De Baronis* Lahontani *opuſculis & de Americanis.*

I. LAude ſua Pufendorfiana ſcripta minimè defraudanda cenſeo, & hiſtoricorum maximè utilitatem inſignem agnoſco, quum ſint excerpta magnorum Archivorum. Alia ſunt hominis vitia, alia autoris, etſi altera alteris nonnihil influant. Quæ de jure naturæ dedit, eorum multa minor apud me exiſtimatio eſt.

II. Quod ad ideas innatas attinet, ni fallor, rem paucis complexus ſum, ex eo ſcilicet, quod ipſi nobis innati ſumus; & veritates menti inſcriptæ omnes ex hac noſtri perceptione fluunt; etſi non animadverteremus, niſi externa accederent.

III. Quid in argumento *Carteſii* pro exiſtentia Dei ex ideis ſumto boni inſit, aut non inſit, invenies ante annos plus quàm viginti a me explicatum in ſchediaſmate, Actis eruditorum inſerto, *De veritate & ideis.* Res iſta huc redit: *Carteſii* argumentum eſt (olim jam ab *Anſelmo* Archiepiſcopo Cantuarienſi uſurpatum) quicquid ex rei definitione fluat, rectè de ea prædicari, jam in definitione Dei comprehendi exiſtentiam, quia ſit ens perfectiſſimum, adeoque omnes continens perfectiones, inter quas eſt exiſtentia. Ego verò hanc limitationem adjiciendam cenſeo, ut tum demum tutò iis fidi poſſit, quæ ex definitione rei ducimus, quum certum eſt, rem definitam eſſe poſſibilem, nam ſi definitio occultam quandam contradictionem ſeu impoſſibilitatem involveret, poſſent ex ea inferri contradictoria de eodem, atque adeo abſurda. Itaque ſaltem id boni ineſt huic argumento, ut inde conſtet DEUM, ſi modò ſit poſſibilis, exiſtere, quod de nulla alia ſubſtantia affirmari poteſt, & per ſe non ſpernendum eſt, cùm poſſibilitas præſumatur, & aliunde firmetur. Interim

demonſtratio non eſt perfecta, quia aliquid ſupponit tacitè, nempe divinæ naturæ poſſibilitatem. Neque opus erat ambagibus de ente perfectiſſimo, & exiſtentia inter perfectiones computata; ſuffecerat, ſic argumentari: *Ens, ex cujus eſſentia ſequitur exiſtentia, ſi eſt poſſibile, (ſeu ſi habet eſſentiam) exiſtit*; (eſt axioma identicum ſeu indemonſtrabile) *Deus eſt ens, ex cujus eſſentia ſequitur exiſtentia* (eſt definitio): Ergo *Deus, ſi eſt poſſibilis, exiſtit.* Ita vides ſimul, quomodo argumentum reducatur ad ſyllogiſmum quendam primitivum, cujus præmiſſæ ſunt axioma identicum, & definitio; quæ præmiſſæ nullam ampliùs probationem capiunt, ſed perfecta conſtant analyſi veritatis: quæ qualis ſit, in univerſum non ſatis animadverterunt, qui Logicam tractarunt.

IV. Autor itinerarii mundani fictitii *Danielius*, etſi quædam arguta nec planè ſpernenda habeat, in pleraque tamen non ſatis profundè inſpexiſſe videtur. Cùm nunc non ſit ad manum, quid in hoc argumentum dicat, non memini, illud memini, cùm olim eum percurrerem, nervum rei, quem attigi, mihi non attingere viſum. Baro *Labontanus* veriſſimus homo eſt, non fictus, ut *Sador*, Auſtralium incognitorum hoſpes; nec homo tantùm verus eſt, ſed ejus iter quoque verum. Aliquamdiu enim in Americæ ſeptentrionalis parte Gallicana egit, & cum Marchioni *Pontis Cartrini*, rerum maritimarum apud Gallos adminiſtro, ob neſcio quod jus ſuum acriùs defenſum, diſplicuiſſet, America primùm, dein & Gallia exceſſit. Bearnenſis natione eſt, religioni Romanæ addictus, nec ingenio, nec humanarum rerum notitia, addo, nec doctrina caret. Veriſſimum eſt, & ex multis itinerariis peregrinatoribuſque etiam mihi compertum, Americanos illius tractûs ſine omni magiſtratu, & tamen quiete cohabitare; rixas, odia, bella, non, aut vix, niſi inter diverſæ nationis linguæque homines, illic evenire. Id penè dixerim miraculum politicum eſt, *Ariſtoteli* incognitum, *Hobbio* non animadverſum. Ipſi pueri colludentes rarò ad rixas progrediuntur, & ubi nimis tunc incaluere, mox ab æqualibus diſtinentur. Mirus etiam domi pudor, natura illos docente, quæ ab inceſtu deterreant, nec frater præſente ſorore verbum dixerit paulo liberius. Neque illos homines torpor aliquis pacatos facit, nihil enim illis in hoſtem acrius: & vividiſſimus honoris ſenſus ex vindictæ cupiditate, & moriendi conſtantia etiam inter cruciatus apparet. Itaque ſi tanta naturæ dona cum noſtris artibus ſtare poſſent; noſtri homines præ illis nauci forent. Dialogus *Labontani*, etſi non in totum verus, ut facilè intelligis, non tamen in totum fictus eſt. Nam *Johannes Daniel Kraftius*, vir egregius, (*Bechero* ſæpe laudatus, qui multa ab eo hauſerat) quum in iiſdem regionibus vel vicinis potiùs inter Anglorum colonias aliquamdiu egiſſet, non abhorrentia mihi narravit.

Dn. *Labontanus* nunc eſt in comitatu Sereniſſimi Electoris, ad Goerdam profecti, locum Cellenſis ditionis venatui aptum. Dabit adhuc plura typis, ſi per valetudinem licebit, qua non optima utitur. Ego novi virum fami-

familiariùs, &, ut par eſt, æſtimo; ſed & aulæ noſtræ aliiſque aulis ingenium ejus placet. Vellem tamen alicubi *Adario* ſuo, (homini etiam vero ex Huronum gente, & qui in Galliam ante aliquot annos venit, ſed ſua præ noſtris inſtituta probavit) circa religionis capita meliùs ſatisfeciſſet. Si quid ab eo quærere velis, ipſe notitiæ conciliator ero; nec abhorrebit ille a commercio viri docti & moderati. Vale. *Dabam Hanoverae* 10. *Novemb.* 1710.

EPISTOLA IV.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De Americanorum virtutibus.* II. *De torneamentis.* III. *De feudis oblatis* Conradi I. & Henrici Aucupis.

I. QUæ de Barone *Labontanio* me ſcire voluiſti, pergrata mihi acciderunt. Poſſet ex viri obſervationibus conſcribi Diſſertatio de ſtatu naturali *Hobbeſii* per experientiam refutato, quem fortè laborem, ſi tempus & occaſionem nactus fuero, aliquando in me ſuſcipiam. Niſi omnia me fallunt, ſatis rectè rationes ſubduxit *Hobbeſius*, ſi earum gentium, quæ cultiores appellari volunt, conditionem conſideres. Nullus enim dubito, ſi illis fræna laxarentur, legeſque tollerentur cum earum executoribus & magiſtratibus, exorituras ob meum & tuum, ob ſtudium vanæ gloriæ, aliaſque ob rationes infinitas diſcordias, non aliter interdum quàm cæde & ſanguine tranſigendas. Verùm iſti barbari, quæ neſcio an eorum felicitas ſit, an infelicitas, meum & tuum, aliaque malorum irritamenta non agnoſcunt. Tanto melius eſt, ignorare vitia, quàm noſſe virtutes. Id velim, ni moleſtum fuerit, ſciſciteris ex Domino *Labontanio*, an etiam, quod nonnulla itineraria affirmant, reperiantur in America populi Athei, omni de Deo ſenſu, omni religione deſtituti, & quinam illorum mores ſint, quæ vivendi ratio? Noſti, Vir Illuſtris, quanta cura hoc argumentum excuſſerit in meditationibus de Cometa *Petrus Bælius*, ut univerſalem populorum de Deo conſenſum labefactaret.

II. De ſtatu Germaniæ, regnante *Henrico Aucupe*, nonnulla meditor. Habes, ut facilè poſſum conjicere, obſervata rariora huc ſpectantia. Tuam inprimis circa torneamenta ſententiam expeto, Vir Illuſtris. Diſſertationem *Schubarti*, Prof. Ienenſis, non habeo. Vix in animum inducere poſſum, eorum originem *Henrico* deberi, reſtituta ab eo fuiſſe, fortè magis probabile.

III. Quæ de feudis oblatis *Conradi I.* & *Henrici* in ſcenam produxit *Monzambanus*, & acriter defendit *Jo. Petrus Ludewig*, Profeſſor Halenſis, fundamento hiſtorico deſtitui cenſeo. Tu quid ſentis? Vale, Vir illuſtris, mihique fave. *Rintelii d.* 3. *Dec.* 1710.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De Barone* Hontano *& Atheiſmo Americanorum.* II. *De populis, qui ſine magiſtratu ſocietatem colunt.* III. *De* Henrico Aucupe. IV. *De torneamentis.* V. *De feudis oblatis* Conradi I. VI. *De Severambiorum auctore.*

I. BAro *Hontanus* nuper hinc diſceſſit in aliquot ſeptimanas, & Kilonienſibus in nundinis Sereniſſimo Holſatiæ Adminiſtratori adeſſe voluit, cui non minùs quàm noſtris Principibus grata eſt ejus conſuetudo. Abiit, cùm ego hinc abeſſem; itaque ex eo quærere non potui, quid ſentiat de Atheiſmo Americanorum. Quamquam ipſo non interrogato reſpondere poſſim, incolas ſeptentrionales Americæ, quos ille ſolos adiit, ſenſum aliquem habere inviſibilium poteſtatum: nonnullis etiam, præſertim qui Virginiam incolunt, videri, animos defunctorum trans inacceſſum Apalatæanorum montium jugum novam vitam degere. Ceterum ſi Dei nomine ſupremam ſubſtantiam intelligas, vereor, ne plerique veteres recentioreſque populi, ad quos Chriſtianiſmus Mahometaniſmuſque non pervenit, Athei habendi fuerint. Apud veteres pro DIIS habebantur rationales ſubſtantiæ, quæ immortalitate fruerentur.

II. Verum eſt, populos, qui ſine magiſtratu ſocietatem colunt, avaritiæ ſtimuli non urgeri. Quum tamen, ut conſtat, mirificè afficiantur contumeliæ ſenſu, mirum eſt, ambitionem abeſſe. Oportet etiam magnam eſſe moderationem animi, quod nec ob libidinem, quæ beſtias ipſas committit, in odia prorumpunt, neque inter pocula rixantur. De Germanis olim *Tacitus*, crebræ, ut inter temulentos, rixæ; nihil tale in illis, quos per ſummam injuriam feros homines appellamus. Itaque fatendum eſt, ineſſe aliquid illis gentibus, quod niſi certo edocti, jure non crederemus. Et ignoſcendum quidem *Ariſtoteli* & ceteris politicis ſcriptoribus, ſi tale quid uſpiam extare non divinarunt; errorem tamen eorum documento nobis eſſe debere cogitabimus, ne magnas veriſimilitudines pro demonſtrationibus accipiamus.

III. Gaudeo, quòd de illuſtrandis *Henrici Aucupis* rebus cogitas: meretur ille hanc curam, & multæ diſquiſitionis materiam dabit. *Theſeus* certè Saxonicus habetur. Sed dolendum eſt, unum pene *Witikindum* apud Germanos res ejus de propinquo tractaſſe; nam *Ditmarus* paulo jam remotior fuit, uterque brevior juſto.

IV. De torneamentis perplexa eſt diſquiſitio. Dubites, utrum mos ille tam antiquus fuerit, ut ludicro certamine vir virum haſta legeret. Nam in memorabili congreſſu fratrum *Ludovici* Germanici & *Caroli Calvi* contra *Lotharium* natu majorem fratrem confœderatorum apud *Nithardum* deſcribuntur ludi militares, quibus ſe per otium oblectabant cum militiæ Principes; de haſtiludio tamen nihil. Neque etiam, niſi ſeriùs, querelæ Eccleſiaſti-

ſiaſticorum contra inſurrexere. Subjicit tamen aliquid animo noſtro *Witikindus*, quod favere receptæ ſententiæ poſſit, his de *Henrico* Rege verbis: *In exercitiis quoque ludi tanta eminentia ſuperabat omnes, ut terrorem ceteris oſtentaret.* Itaque ampliùs inquirendum cenſeo, & videndum, quis primus auctor iſta *Henrico Aucupi* tribuerit. *Schubarti* diſſertationem de torneamentis non habeo, neque videre memini: rariùs talia, quàm vellem, huc deferuntur. Tibi video majorem torneamentorum antiquitatem veriſimilem videri; cur ita ſentias, diſcere gratum erit. Diſpiciendum putem, nihilne habeant poëtæ veteres aut Mileſiarum fabularum auctores, quod ad haſtatorum concurſus pertineat, quibus poſteriores Romaniſcorum ſcriptores pleni ſunt. Sed hi vixere, ex quo Torneamenta recepta erant. Nomen torneamentis eſſe puto a tornando, id eſt, a flexu equorum in gyrum. Id enim uſurpatum in ludis equeſtribus, etiam cùm haſtati non concurrerent. Inde manſit vocabulum re immutata.

V. Multo ante *Conradi I.* tempora jam Comitatus per Germaniam Galliamque hæreditarii habebantur; Ducatus tamen (exceptis ſubactorum Regulorum) quum militare imperium & peritiæ opinionem conjunctam habere antea viderentur, ſervis & circa *Henrici Aucupis* tempora demum ſpeciem Feudi, ad poſteros tranſituri, induiſſe videntur, *Conrado* adhuc reluctante, *Carolo* autem *Simplice* in Gallia ſuccumbente. *Otto* ipſe pater *Henrici Aucupis* in Diplomatibus & ab æqualibus auctoribus magis Comes quàm Dux appellatur; ut Comitis nomen legale, Ducis non niſi populare eſſe videretur illa tempeſtate. Sed magni Comites quum multos ſimul Comitatus poſſiderent, & Miſſi Regii auctoritate in alios Comites uterentur, & præterea militibus ad tuendos Imperii limites præeſſent, facilè præ aliis eminebant; & tandem pervicerunt, ut poteſtas ad poſteros tranſiret.

VI. Severambiorum auctor mihi ignotus eſt. Credo etiam, *Thomaſium* parum noſſe, quis ille *Det-Allaiſiur*, cui tribuuntur, mihi etiam Auſtralienſes non ſpernendi videntur, quorum auctorem alicubi *Bailius* nominat. *Iſaaco Voſſio* quidem nemo facilè Severambios tribuetit, hominis haud dubiè Galli fœtum, in Gallia excluſum. Ceterum huic *Voſſio* ego judicium non detraxerim, quanto ad Severambios ſcribendos opus erat. Uteroue auctor in paradoxa nimius fuit, ut ingenio indulgeret. Vale. *Dabam Hanoverae, d.* 30. *Jan.* 1711.

EPISTOLA V.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De* Henrico Aucupe. II. *De torneamentis.* III. *De* Iſaaco Voſſio. IV. *De auctore Severambiorum.*

I. ITa eſt, ut mones, non adeo multa extare de *Henrico Aucupe* apud ſcriptores rerum Germanicarum coætaneos. Accedit, quòd Hiſtoria illorum temporum ab hominibus eccleſiaſticis aut monachis in litteras relata fuerit, qui in enarrandis eis, quæ ad ſtatum politicum cognoſcendum faciunt, mirè ſteriles ſunt & negligentes, ut illa interdum ex vocibus quibuſdam obiter & quaſi aliud agendo interſperſis hariolari tantùm & divinando aſſequi cogamur. Contra quæ ad augendam auctoritatem, honores & divitias Cleri pertinent, monaſteriorum fundationes, ficta miracula, liberalitas Principum in Epiſcopos &c. prolixè quidem & ad nauſeam uſque recenſentur, ſed ea omnia parum juvare poſſunt animum cognoſcendarum patriarum antiquitatum cupidum. Ita v. g. de militia veterum Francorum & Germanorum, qualis fuerit ante tempora *Henrici Aucupis*, quid ille mutaverit, non niſi fragmenta ſuperſunt apud hiſtoricos. Nec ſatiant appetitum, quæ affert *Hachenbergius* in Germania media. Notum eſt inſtitutum *Henrici*, quo ordinavit, agrarios milites recenſens, ut octo eorum in agris, nonus verò in urbe moraretur, quem octo iſti ſuſtentarent. An omnes ita in urbem recepti ingenui fuerint? dubium eſt. Affirmat verò *Conringius* de urbibus §. 83.

II. Cum torneamenta ante *Henricum* in uſu fuiſſe conjicerem, reſpexi ad *Nidhardum*, ad quem tu quoque, Vir illuſtris, provocas, qui *Carolum* & *Ludovicum*, *Pii* filios, Wormatiæ ſeculo IX. ludos equeſtres celebraſſe memorat. Nunc verò ex te diſco, differre ludos equeſtres ſeu militares, & haſtiludia ſeu torneamenta. Hæc omnia ulteriorem diſquiſitionem merentur, quam minimè ſubterfugerem, modò obtineri poſſet neceſſarius librorum apparatus, quibus nec publica nec privatæ bibliothecæ heic loci ſatis inſtructæ ſunt.

III. De *Iſaaco Voſſio* in vita *S. Evremonii* p. 58. 59. tale occurrit judicium: »*Voici à peu près quel étoit le caractére d'*Iſaac Voſſius, *que vous* »*m'avez demandé. Il entendoit preſque &c. de toute créance.*

IV. Te quoque, Vir illuſtris, a nonnullis pro auctore Severambiorum venditari, prodidit *Reimannus* in hiſt. litter. Tom. V. p. 59. his verbis: *Andere hingegen haben mich überreden wollen, daſs es dem Weltberühmten* G. G. L. *ſeinem Urſprung zu dancken habe.* Allatus eſt hic liber ad me, poſtquàm priores ad te dederam. Statim verò ſubolui, conjecturam iſtam a ſcopo abire, nec erraſſe me, reſponſoriæ tuæ indicarunt. Fortè plures ſœtus anonymi tibi obtruduntur, qui alium parentem agnoſcunt. Vale, Vir illuſtris, & mihi, prout cœpiſti, favere perge. *Rintelii d.* 17. *Febr.* 1711.

RE-

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De digreſſionibus in* Seldeno *&* Salmaſio. II. *De uſu Aſtronomiæ, Phyſicæ, Algebræ, Poëſeos & Artis Criticæ.* III. *De remotiſſimis gentium originibus, unde judicari queat.* IV. *De natura ſpirituum.* V. *De methodo excerpendi, de* Verulamio, Poireto *&c.* VI. *De Grammaticis atque de auctoribus claſſicis.* VII. *De* Barclaio. VIII. *De* Ciceronis *&* Platonis *dialogis.* IX. *De auctoribus quibuſdam claſſicis.* X. *De eloquentiæ ſtudio.* XI. *De Poëſi recentiorum.* XII. *De Romaniſcis.* XIII. *De uſu Matheſeos.* XIV. *De* Jordano Bruno. XV. *De* Platone. XVI. *De* Seneca *& Stoicis.* XVII. *De Academicorum & Scepticorum placitis.* XVIII. *De Philoſophia Myſtica.* XIX. *De Philoſophia* Carteſii. XX. *De Logica.* XXI. *De Philoſophia naturali.* XXII. *Elogium* Grotii. XXIII. *De* Pufendorfio. XXIV. *De* Bodini *libris de republica.* XXV. *De* Pufendorfii *laboribus hiſtoricis.* XXVI. *De ſtudio genealogico.* XXVII. *De hiſtoriæ litterariæ utilitate.* XXVIII. *De* Kempfero. XXIX. *De* Henrico Aucupe. XXX. *De* Iſaaco Voſſio *&* S. Evremonio.

I. TUa lineamenta Methodi Studiorum accepi, & pro iis gratias ago. Legi non tantùm libenter, ſed & utiliter: diſco enim non pauca de libris recentioribus, quorum in lectione non ſatis ſum verſatus. Præterea conſilio tuo excitandi languentem juvenem ad recta & ſolida curioſitatem valde applaudo. Plerumque, quæ laudas, laude digna cenſeo, interdum tamen hæreo, cùm aliqua reprehendis, veluti digreſſiones in *Seldeno* & *Salmaſio*, (p. 3.) quales utinam multas haberemus.

II. Curioſa quæ appellas, etiam utilia eſſe, ipſe agnoſcis, (p. 4.) ſed utilitatem non geſtant in fronte, & ab eo, quod maximè apparet, denominationem ſumere voluiſti. Aſtronomia ad navigationem & ipſam Geographiam conſtituendam ſummè utilis, imò neceſſaria eſt, Optica ad Aſtronomiam, Algebra ad proferendam vim mentis in interiora, Phyſica ad promovendam Medicinam & artes œconomicas, Poëſis ad movendas mentes. Sed hæc ſufficit in republica a paucis coli; ut pauci excellentes pictores ſufficiunt, cùm multi neceſſarii ſint fabri. Immo nec ei ſpernendi ſunt, qui Codices Manuſcriptos conferunt, & vetera explicant. (p. 13. p. 22.) Habet & iſta Critice ſuas utilitates, quam laudo, etſi faſtum quorundam Criticorum non probem. Juvenes plus ſatis ad varias eruditionis partes ſpernendas proclives ſunt. Hunc morbum nollem ali hiſtoriolis plerumque falſis de Viris eruditis, qualis illa de *Salmaſio*. (p. 22.) Nolim etiam pro deſperatis haberi, quæ difficilia ſunt. (p. 5.)

III. De remotiſſimis gentium originibus aliquod judicium fieri poteſt ex linguarum harmonia, de quo in Miſcellaneis Berolinenſibus dixi. (V. T. IV.)

IV. Naturam ſpirituum multo notiorem eſſe puto, quàm corporum; utinam

utinam tam bene febres noſceremus! De origine mundi & futuri cognitione tecum ſentio.

V. Methodus excerpendi (p. 6.) optima eſt conjicere inſigniora in peculiares ſchedas, ſubinde digerendas. Meritò *Verulamium* magni facimus. Etiam obſcuriora ejus habent aliquid in receſſu. *Petri Poireti* liber, de Eruditione ſolida, mihi parum ſolidus viſus: quæ ſpernit non ſpernenda, ſed ſæpe laudanda interdum tamen moderanda ſunt.

VI. De Grammaticis planè tecum ſentio, pleraque uſu diſcenda, regulæ deinde addendæ ad perfectionem. Tecum etiam ſentio, *Livium* maturiori ætati reſervandum: caſu tamen factum eſt, ut primus eſſet auctorum veterum, quos puellus legi, nec pœnitet. Nec *Lipſium* nec *Bembum* irrideo: nævuli facilè vitari poſſunt. Neque mihi ineptum videtur, præſertim in homine Veneto, Senatum patres conſcriptos Venetias ſimpliciter urbem appellari.

VII. *Barclaii* ſtylum grallis adeo incedere aut tumere, non animadverto: nemo recentiorum feliciùs *Petronium* expreſſit, & ignoſcendi ſunt immiſti aliqui Galliciſmi, quos jam *Scaligerana* in *Euphormione* animadvertunt, in quibus malè impreſſus, *Bardæus* pro *Barclaio*. Sed *Argenis* maturior & caſtigatior eſt, & mihi non mediocriter ſatisfacit. Vellem multa ſic ſcripta haberemus. Imitator in Lacrymis Veritatis, & Continuator longè impares apparuere. *Bevilaquam* nollem cum *Huetio* contendiſſe.

VIII. *Ciceronis* dialogi neſcio an tædioſi vocari mereantur. Libros de Divinatione, nuper verſos Gallicè, ſcio cum admiratione legiſſe magnam Principem, quanto magis Latinum prototypon placere debet! *Platonis* dialogi paulo minùs accommodati ſunt ad genium noſtri ſeculi. Mihi tamen vix quicquam in illis ſpernitur, adeo multa agnoſco conſideratione profundiore digna.

IX. Perſpicuitatem & ſoliditatem miror deſiderari in officiis *Ciceronis*. *Cornelium Nepotem* & *Saluſtium* tecum laudo. In *Julii Cæſaris* Gallicis miram negligentiam animadverto. *Taciti* imitatio difficilior eſt, quàm ut ſuaderi debeat, ſed vellem eſſet, qui exprimere poſſet. Me certè mirificè tenet illud ſententiarum pondus in ſplendore verborum, &, ut ſic dicam, *Pindarus Thucydidi* miſtus. *Gramondus* infelix imitator eſt. *Grotius* magis acceſſit. *Tacitum* ſuſpicionibus nimium indulſiſſe aliquando, non negarim. *Florus* non nihil ab Hiſtorico ad declamatorem vergit.

X. Rectè mones cum *Grotio*, oratoriam artem non eſſe rem tyronum. Utiliter tamen pueri per progymnaſmata exercentur. Ita proficit eloquentia cum doctrina. Equidem Topicorum (p. 35.) aliquem uſum eſſe, agnoſco cum *Placcio*. Et per cauſſarum genera non ineptè *Conringius* etiam de Rebuspublicis diſſeruit. Etiam fuere in Ramiſtis digna non negligi. Memini, me adoleſcentem his adjutum de materia quadam ſcribere, ut legentes amici mirarentur, unde mihi omnes conſiderationes ſuppetiſſent: eas methodus dederat non planè diſſidens a *Ramea*. Rectè methodus

methodus vel diſpoſitiones regulis comparas, (p. 35.) quibus tremula puerorum manus dirigitur. Sed mens noſtra, etiam cùm pueri eſſe deſiimus, ſemper tremula eſſe ſolet, niſi methodo dirigatur. Figuræ Rhetoricæ rectè conceptæ deberent aperire fontes argutæ dictionis, quæ in loco adhibita pulchra eſt, ſed nolim in ſolis alliterationibus conſiſtat: nec paginas ſtylo inſcriptionum (p. 38.) impleri probo.

XI. In poëſi recentiores ad veterum laudes aſſurrexerunt, niſi quod nondum quiſquam vel Gallorum vel Italorum *Virgilii* majeſtatem æquavit. Id potuiſſet *Cornelius*, ſcriptor Gallus, ſi ſtylum a Tragicis ad Epica vertiſſet.

XII. Mihi quoque boni Romaniſci placent; ſed *Arminius Lohenſteinii* non ſatis, etſi ex juvenibus non ſim, quibus eum diſplicere ſcribis. Si *Grotio* Romaniſci (p. 45.) placuere, ex Grotiano ero Grotianiſſimus.

XIII. Matheſeos duplex eſt uſus, unus in vita communi, alter ad perfectionem artis cogitandi, quæ nuſpiam magis, quàm in Matheſi pulchra dat ſpecimina ſui. Itaque qui in altioribus meditationibus proficere volunt, etiam ſubtiliora Matheſeos excolere debent. Sed hoc non niſi ad paucos pertinet, qui ingenii humani pomœria proferre ſtudent.

XIV. *Jordanum Brunum* (p. 50.) non ob librum de Immenſo, quem habeo, ſed alias ſententias combuſtum puto.

XV. De *Plat...e* non ſentio tam contemtim (p. 57.) meditationes ejus mihi & profundæ paſſim & utiles videntur. Et habeo *Ciceronem* non malum judicem mecum ſentientem. Non ita pridem didicimus, plus *Platonem* in receſſu habere, quàm vulgo apparet.

XVI. Etiam *Senecæ* & Stoicis plurimum faveo. (p. 58.) Idem fecit *Carteſius* etiam in morali Philoſophia, & in univerſum ſentio, rectius & utilius diſpici, quid in veteribus probandum & in uſus noſtros transferendum ſit, quàm quid reprehendendum. Nemo unquam clarus fuit, in quo non multa laudem mererentur. Video, hodie juvenes hoc morbo laborare paſſim, ut de majoribus contemtim loquantur; credo ignorantiæ, vel potius negligentiæ excuſandæ cauſſa, ut jure illorum præceptis carere videantur. Itaque conſultum puto, ut prudentia docentium a tam pravo more abducantur. Veriſſima eſt Stoicorum doctrina, affectus eſſe perturbationes, & dandam operam, qua licet, ut ſine perturbatione judicemus. Sed fatendum eſt, perturbationes non ſemper vitari poſſe; & tunc noſtram eſſe debere curam ſecundariam, ut eas moderemur tanquam in tempeſtate. Ideam ſapientis perfecti (p. 108.) ut optimæ reipublicæ proponi, utile eſt, etſi nuſpiam detur in terris.

XVII. Etiam Academicorum & Scepticorum placita multa cum utilitate expendentur ab eo, qui vera Philoſophiæ principia conſtituere volet. Multa enim veriſſimè de ſenſibilium inſubſiſtentia, quæ phænomenis magis, (ſed legitimis) quàm rebus accenſeri merentur. (p. 71.) Non omnis cognitionis fundamentum ſunt ſenſus: veritates neceſſariæ a ſenſibus non docentur.

XVIII. Philoſophia etiam Myſtica, (p. 62.) ut *Platonis* & *Pythagoræ*, habet uſus ſuos, ut Theologia Myſtica apud nos, inſervitque animis fortiùs movendis. Maxima apud me *Pythagoræ* exiſtimatio eſt, & parum abeſt, quin ceteris veteribus Philoſophis potiorem credam, quum & Matheſin & ſcientiam incorporalium propemodum fundarit, invento hecatomba digno, & præclaro illo dogmate, quod omnes animæ ſint inextinctæ. Epiſtolas mutuas *Hippocratis* & *Democriti* (p. 63.) pro ſuppoſititiis habeo, ut alias hujuſmodi.

XIX. *Carteſius* etſi ſuam hypotheſin per jocum appellavit Romaniſcum, (p. 66.) veram tamen credidit; & fatendum eſt, (p. 82.) veram fore, ſi phænomenis ubique reſponderet. *Bailletus* eum nimium extulit, *Danielius* nimium irriſit, uterque non ſatis intellexit. Carteſiana Philoſophia jam minùs floret, quàm ante hos 30. annos: nam ubi experimentis incumbi cœpit, apparuit, plurima in principiis ejus tradita ſtare non poſſe. Et hodie eo res devenit, ut multa in Philoſophia ſint extra dubitationis aleam collocata, quæ antea agitabantur, ſed id paucis exploratum eſt, cùm pauci in interioribus ſint verſati, præſertim illi, qui Eclectici habentur. Itaque non aſſentior, quod ais, nullas in rebus Phyſicis quærendas demonſtrationes, (p. 83.) niſi hoc Politico, quem informas, dictum velis. Huic experimenta ſufficiunt. Si pergit genus humanum, quo cœpit gradu, mirabitur aliquando non expectatas opes.

Poſt aliquot, mea regna videns, mirabor ariſtas. Subſtantias & eſſentias rerum planè a nobis ignorari, haud admitto, & minus adhuc conceptus omnes de rebus ſpiritualibus obſcuros eſſe (p. 72. 73.) aut animæ noſtræ naturam nos latere, (p. 84.) quin *Carteſio* aſſentior, notiora eſſe ſpirituum, (p. 90.) quàm corporum interiora. Materiæ diviſibilitatem in infinitum qui non agnoſcit, vera Philoſophiæ principia conſtituere non poteſt. Non habemus infiniti ex partibus compoſiti ideam, ſed habemus ideam abſoluti; ideam, inquam, non imaginem. Fictio, quòd ſenſibilia ſint ſomnia (p. 74.) uſum habet ad phænomena a rebus diſtinguenda, principiaque & criteria conſtituenda.

XX. Logicis, quos laudas (p. 79.) Logicam Hamburgenſem *Jungii* adderem, Viri ſummi. *Lockius* mihi non ſatisfacit. Logicas Juridicas, id eſt Logicæ ad Juriſprudentiam applicationes, egregias habemus. Syllogiſmum minimè conferre ad inveniendam veritatem, (p. 77.) haud admiſerim, experientia aliud edoctus non minùs quàm ratione.

XXI. Effectus probè cognitus etiam docet, qualis ſit cauſa. (p. 82.) Materiam animo a vi abſtractam, & in ſola extenſione & antitypia collocatam, eſſe ens merè paſſivum, (ſed & incompletum) patet; cui complendo vim a Deo impreſſam, ſeu entelechiam acceſſere nil prohibet imò neceſſe eſt. (p. 83.) Vortices, quales *Carteſius* dedit, ſtare non poſſunt. Spiritus eſſe nullibi, non dixero, cùm nullos creatos eſſe cenſeam, qui non ſint inſtar animæ noſtræ corpore organico præditi. Fateor, in Phyſica ſpeciali

ſpeciali nos adhuc infantes eſſe, ſed non mirum, quum a paucis demum annis eam rectè tractare cœperimus. Ceterum non eſt, cur metuatur, ne nimium naturam intelligamus. Quo magis cognoſcemus, eo minùs abutemur. (p. 85.) Illicitæ artes ferè ab ignaris curantur. Rectè ais contra Carteſianos, (p. 86.) faciliùs noſci fines, quàm cauſſas. Plaſticis naturis (p. 87.) a Mechaniſmo diſtinctis non egemus. Generatio tamen animalium Mechanica (p. 88.) non poſſet locum habere, niſi præcederet præformatio divina in initiis rerum. Amplam bibliothecam (p. 90.) nuſpiam magis utilem judico, quàm in Phyſicis & Medicis, ut aliorum obſervationibus fruamur. Utinam bona earum repertoria haberemus!

XXII. Meo judicio rectè *Grotius* (p. 102.) doctrinam Scholaſticorum de Lege Dei æterna cum principio ſocialitatis conjunxit. Studioſi, a quibus *Grotius* non ſine tædio legitur, malè informati ſunt. Me juvene non erat ſic. Qui *Grotium* ad negotia ſtatus parum aptum fuiſſe crediderunt, decepti ſunt a quibuſdam malevolis. Acta ejus aliud clamant.

XXIII. *Pufendorfius* (p. 105.) in quibuſdam Hobbeſianarum opinionum retentior fuit, quàm par erat. Dum enim illud dogma de neceſſitate unius perſonæ civilis cuncta gubernantis admiſit, noſtram Rempublicam, aliasque multas, pro monſtris habuit. Quæ (p. 111.) habes, valde laudo, ut alia paſſim.

XXIV. *Bodini* libros de Republica (p. 114.) ego quoque magni æſtimo. Rectè (p. 116.) nos magis infortunii, quàm fortunæ fabros eſſe. Verum eſt, *Monzambanum* juſſu *Caroli Ludovici* Electoris ſcriptum. Ego tunc in vicinia agebam. Domini *Cocceii* doctrinam de originibus noſtri Juris publici non ſatis admitto. Nec quod ex *Monzambano* refertur, (p. 121.) extincta familia Carolina, Principes territoria novo electo Regi in feudum obtuliſſe.

XXV. Fatendum, utiliſſimos eſſe *Pufendorfii* labores Hiſtoricos, etſi ſæpe ceſpitaverit, ſchedas unius partis ſequutus, cùm non rara ipſæ miniſtrorum relationes ad dominos erroribus laborent, quos dies detegit. Multa ſunt in *Vaſſore* (p. 134.) laude digna, ſed magis laudandus foret, ſi eſſet in judicando moderatior.

XXVI. In familiarum originibus (p. 137.) diſtinguenda eſſent incerta a minùs certis, ope monumentorum, quod nondum fecere *Spenerus* & *Imhofius*.

XXVII. Utilis eſt Hiſtoria litteraria, (p. 138.) ſed hodie multi in ea nimis occupantur, cum detrimento cognitionis rerum. *Bailletus* diligens fuit & doctus, ſed moroſus nimis, nec ſatis peritus judex, quod *Menagius* bene oſtendit. (p. 144.) *Evremonii* Narrationibus (p. 145.) ſcio non ſemper credendum. *Baylius* apud *Donavios* Comites (p. 149.) egit in prædio ipſorum, dicto *Copet*. Dn. *Larreius* (p. 150.) mihi affirmavit, ſe *Baylium* autorem credere Moniii ad exules Gallos.

XXVIII. Quid facit Dn. *D. Kempferus*? nihilne adhuc edet ſuorum in itineribus obſervatorum? ita in plurimis prævenietur.

XXIX. *Henricum Aucupem* Dn. *Gundlingii* ipſius miſſu habeo: nondum legi, inſpexi tamen, & videtur bene elaboratus, etſi fortaſſe multa adhuc, præſertim in chronologicis, moneri poſſint. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ 7. Julii* 1711.

XXX. P. S. *Iſaacum Voſſium* de rebus pietatis non optimè ſenſiſſe, narratur, etſi *Evremonio* facilè credo, addo maligni præterea animi fuiſſe, ſed neſcio, an *Evremonius* fuerit multo melior, quem aiunt profeſſum Atheum obiiſſe, & ſimiles ſententias *Mazarinæ* inſpiraſſe. Epicureæ doctrinæ magiſtrum agebat publicè, cui omnia in hujus vitæ commodis ſita ſunt. De vinis & juſculis, & ſimilibus philoſophabatur in colloquiis, majora riſu traducebat, ſpeciem honeſti commendabat, quod conſtaret aliter inter homines commodè vivi non poſſe. Mirum non eſt, ſi *Iſaacus Voſſius* linguas plerasque Europæas parum aptè enuntiabat, cùm in iis ſeſe parum exercuiſſet. Hoc ſæpe evenit eruditis, qui ſæpius in legendis libris variarum linguarum, quàm lædendis ſermonibus verſantur. Ceterum ſolet *Evremonius* corrumpere hiſtorias ad riſum captandum. Ita falſiſſimè narravit Hiſtoriam de Hiberno, qui tactu ſanabat. Ego ex *Roberti Boylii* narratione & libro, cui eum Epiſcopis aliquot ſubſcripſerat ipſe *Boylius*, alia omnia didici &c.

EPISTOLA VI.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De demonſtrationibus phyſicis.* II. *De natura ſpirituum & vi corporum dynamica.*

I. NOn ſatis mirari poſſum tuam humanitatem, cujus ſingularia prorſus indicia ultimæ tuæ exhibent. Etenim lineamenta mea, quæ obſervantiæ cauſſa tranſmiſeram, ſcriptum tanti viri cura propemodum indignum, non accuratè ſolummodo a capite ad calcem perlegiſti, ſed & quæ monenda tibi videntur; quæ corrigenda, benevolè communicaſti. Sedulus & attentus ea evolvi, multaque didici, quæ dubitantem confirmant, ac in rectam veritatis ſemitam revocant. Si fortè aliquando contingat, novam opuſculi parari editionem, inferam ſuo loco egregias tuas obſervationes, nec ignorare ſinam lectores, ex quo profeceriim. In plurimis jam antea tecum ſenſi, ſed brevitatis gratia mentem meam diſtinctiùs exponere intermiſi. Ita v. g. *Huetii* ſententia de ſtylo ſublimi (p. 18.) opinione *Boilæi* potior mihi ſemper viſa eſt. Epiſtolas mutuas *Democriti* & *Hippocratis* (p. 63.) & ego pro ſuppoſititiis habeo. In phyſicis per experimenta multa nunc patent, quæ quondam nos fugiebant, multa quoque impoſterum detegentur, ſi ea, qua cœperunt, diligentia, pergent ſeduli rerum naturalium indagatores in Gallia, Anglia, Belgio, Germania. Nondum tamen adduci poſſum, ut credam, dari demonſtrationes de interioribus rerum, aut a priori

priori cognoſci poſſe cauſſas internas formatrices, prout eas (p. 83.) appellavi. In cortice hæremus, ad nucleum penetrare conceſſum minimè eſt. Nec id vel ad generis humani commoda, vel ad eruendas veritates incognitas valde neceſſarium eſſe exiſtimo. Sufficit, ſi cauſſas effectuum externas & viſibiles altiùs indies rimamur, ac ex variis obſervationibus diverſo tempore, diverſisque in locis inſtitutis per inductionem plurima colligimus, quæ antea nos latebant. Tam vaſtam & admirabilem hoc univerſum pandit rerum varietatem, ut totum genus humanum, etſi in nulla alia re occuparetur, nunquam tamen ad perfectam naturæ cognitionem perventurum eſſet.

II. De ſpiritibus quæ tua mens ſit, nondum ſatis adſequi poſſum, Vir illuſtris. Scio, te iſto de argumento profundè meditatum eſſe. Perge igitur præclarè de me mereri, & paucis ſolummodo verbis explica, quid ſtatuas. Docilem me tibi offero diſcipulum, minimeque ingratum. In corporibus videmus externam ſuperficiem, videmus mechanicam particularum diſpoſitionem. Sed quænam ſunt mechaniſmi principia, qualis illa vis in materiam agens, quam rectè dynamicam appellas? Sanè non materialis, ſed ſpiritualis. Patet ea & diſtinctiſſimè cognoſcitur, qualem per effectus ſemet exhibet, non qualis in ſe ſuaque natura eſt. Id enim hactenus obſcurum mihi eſſe, ingenuè adfirmo, etſi concedam, ſentiri ſpiritualia, v. g. aerem, lumen, ventum, &c. Iſtæ enim ſenſiones nil præter effectus ſunt, ac quamvis variæ ſentiantur ſpiritualia, nunquam tamen videntur, imò licèt viderentur, nihil tamen appareret præter ſuperficiem, figuram, motum, uti in corporibus. De corporibus organicis, quibus ſpiritus creatos dicis eſſe præditos, ſuſpicor aliquid, ſed ſubobſcure. An credis dari corpora, Vir illuſtris, quæ non cadunt ſub viſum? Aut an credis ſpiritus ſub vitum cadere? Vehementer efflagito tuas materiæ, corporis, ſpiritûs definitiones, quæ me peritiorem reddent, ſcrupuloſque, quibus premor, eximent. Orationem quam vides adjectam, uti omnia mea offerendam tibi putavi. Vale ex animi ſententia, Vir illuſtris, meamque diſcendi cupiditatem æqui bonique conſule. *Rintelii d.* 18. *Julii* 1711.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De demonſtrationibus phyſicis.* II. *De rebus incorporeis.* III. *De definitionibus materiæ corporis & ſpiritûs.*

I. GRatum eſt intelligere, quòd tibi non omnino diſplicuerint animadverſiunculæ meæ qualeſcunque. Circa Phyſicas demonſtrationes fortaſſe non diſſentimus, & videris mentem meam aliter, quàm vellem, accepiſſe, confundendo perfectam naturæ cognitionem cum demonſtrationibus, quibus quædam ejus phænomena explicantur. Nondum perfectè novimus naturam colorum, & tamen demonſtrativè explicamus iridem. Dantur

in Phyſicis demonſtrationes, verbi gratia circa motum, gravitatem, vim elaſticam, vim magneticam, ſonos, corpora cœleſtia, nonnullos etiam corporis noſtri mechaniſmos; & alia; dum ſcilicet mathematica & metaphyſica cum obſervationibus ſenſibilibus conjunguntur. Etſi autem perfectè noſcere non liceat intima naturæ, quia ſub diviſionibus procedunt in infinitum, ſpes tamen eſt magis penetrari poſſe in interiora, uti jam facere cœpimus, idque maximo fructu rei œconomicæ & medicæ fiet. Sunt quidam in inquirendo gradus. Ex. gr. architectus contentus in terra diſtinguere ſabulum, argillam, ſaxa & ſimilia, non habet opus, ut tam longè procedat, quàm chymicus, qui etiam ſalia, ſulphura, aliaque in terra contenta examinat: at Phyſicus in ipſorum ſalium ſulphurumque conſtitutiones amplius inquirit, & rationes phænomenorum mechanicas inveſtigat. Etſi autem nondum ſatis hic profecerimus, non ideo tamen animus eſt deſpondendus, quum ipſæ ſalium figuræ ducant ad mechaniſmum. Eruimus interdum cauſſas interiores & inviſibiles, ſed non ideo intimas & omnes. Nec ſola inductione, ſed etiam ratiocinatione utimur. Hæc ſi tuis conferes, videbis, ni fallor, ſingulis ſatisfactum. Subjicis tandem, genus humanum nunquam ad perfectam naturæ cognitionem perventurum. Sed quis unquam nos eo perventuros ſomniavit? An ideo nullas habere poſſumus demonſtrationes? Eſt aliquid prodire tenus. Poſſumus ingredi in atrium, etſi in cubiculum aut ſacrarium non admittamur.

II. Quæris de rebus ſpirituum vel potius de incorporeis, aisque, nos videre mechanicam partium diſpoſitionem, ſed non videre mechaniſmi principia. Rectè, ſed cùm videamus & motum, hinc intelligimus cauſſam motûs ſeu vim. Mechaniſmi fons eſt vis primitiva, ſed leges motus, ſecundùm quas ex ea naſcuntur impetus ſeu vires derivativæ, profluunt ex perceptione boni & mali, ſeu ex eo, quod eſt convenientiſſimum. Ita fit, ut efficientes cauſſæ pendeant a finalibus, & ſpiritualia ſint natura priora materialibus, uti etiam nobis ſunt priora cognitione, quia interius animam (nobis intimam) quam corpus perſpicimus, quod etiam *Plato* & *Carteſius* notarunt. Hanc vim ais cognoſci per effectus, non qualis in ſe eſt, reſpondeo ita fore, ſi animam non haberemus, nec cognoſceremus. Habet anima in ſe perceptiones & appetitus, iisque natura ejus continetur. Et ut in corpore intelligimus ἀντιτυπίαν, & figuram generatim; etſi neſciamus, quæ ſint figuræ corporum inſenſibilium; ita in anima intelligimus perceptionem & appetitum; etſi non cognoſcamus diſtinctè inſenſibilia ingredientia perceptionum confuſarum, quibus inſenſibilia corporum exprimuntur. Sentiri, ais, ſpiritualia, exempli gratia aërem, ventum, lumen, non tamen ideo ſatis cognoſci; ſed mihi aër, ventus, lumen, non magis ſpiritualia videntur quàm aqua currens, nec ab ea differunt niſi ſubtilitate. Spiritus, animæ, & in univerſum ſubſtantiæ ſimplices ſeu monades, ſenſibus & imaginatione comprehendi non poſſunt, quia partibus carent. Quæris, an dari credam corpora, quæ non cadunt ſub viſum. Quidni credam?

dam? quin imo de eis non dubitari posse puto. Per microscopia videmus animalcula alias insensibilia, & nervuli horum animalculorum & alia fortè natantia in ipsorum humoribus animalcula videri non possunt. Subtilitas naturæ procedit in infinitum.

III. Denique petis definitiones materiæ, corporis, spiritus. *Materia* est, quod consistit in antitypia, seu quod penetranti resistit; atque ideo nuda materia merè passiva est. *Corpus* autem præter materiam etiam habet vim activam. *Corpus* autem est vel substantia corporea, vel massa ex substantiis corporeis collecta. *Substantiam corpoream* voco, quæ in substantia simplice seu monade (id est anima vel animæ analogo) & unito ei corpore organico consistit. At *massa* est aggregatum substantiarum corporearum, ut caseus interdum ex confluge vermium constat. Porrò *Monas* seu substantia simplex in genere continet perceptionem, & appetitum; estque vel primitiva seu *Deus*, in qua est ultima ratio rerum; vel est derivativa, nempe Monas creata, eaque est vel ratione prædita, *mens*; vel sensu prædita, nempe *anima*, vel inferiore quodam gradu perceptionis & appetitus prædita, seu *animæ analoga*, quæ nudo Monadis nomine contenta est, cum ejus varios gradus non cognoscamus. Omnis autem Monas est inextinguibilis, neque enim substantiæ simplices nisi creando vel annihilando, id est miraculose, oriri aut desinere possunt. Et præterea omnis Monas creata est corpore aliquo organico prædita, secundùm quod percipit, appetitque; etsi per nativitates mortesque variè volvatur, involvatur, transformetur, & in perpetuo fluxu consistat. Porrò Monades in se continent Entelechiam seu vim primitivam, ut sine ipsis materia merè passiva esset; & quævis massa innumerabiles continet monades, etsi enim unumquodque organicum naturæ corpus suam habeat monadem respondentem, continet tamen in partibus alias monades, suis itidem corporibus organicis præditas primario inservientibus, & nihil aliud est tota natura; necesse est enim, omnia aggregata ex substantiis simplicibus resultare, tanquam ex veris elementis. Atomi verò, seu corpora extensa, & tamen infrangibilia, sunt res fictitia, quæ nisi per miraculum explicari non possunt, & ratione carent, nec causas virium motuumque ex illis reddere licet: Et licèt darentur, verè simplicia non forent, eo ipso, quia sunt extensa & partibus prædita. Ita tuis respondi mentemque meam exposui, quantum paucis & per litteras licet. Pro oratione tua perelegante gratias ago maximas. Vale. *Hanoveræ* 12. *Augusti* 1711.

EPI-

EPISTOLA VII.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De definitione materiæ.* II. *De Theodicæa* Leibnitii.

I. PLanè tecum consentio, multa naturæ phænomena demonstrationibus explicari posse, & cùm tu quoque largiri videaris, ad perfectam ejus cognitionem & rerum interiora perveniri non posse, hac de re nulla amplius inter nos erit controversia. Gratias tibi præterea ago maximas, quòd mentem tuam de corpore, materia, spiritu, uberius exponere non dedignatus fueris. Applaudo tuis meditationibus, ex quibus plurimum me profeciſſe, ingenuè fateor. Unicus est, qui adhuc me urget scrupulus, quem pro tua benevolentia facillimè eximes. Definis materiam; quòd consistat in antitypia, seu quod penetranti resistat; quæ ergo penetranti non resistunt, erunt spiritualia; ad quæ tamen lumen referri prohibes, cujus planè nullam concipio resistentiam, sed quod mira potius agilitate & activitate præditum est, contra naturam materiæ, quam merè passivam esse fateris. Sed fortè dices, lumen esse aggregatum seu massam substantiarum corporearum, quæ innumerabiles continet monades, quod concederem, nisi tot corpuscula per infinitum spatium dispersa & in atomos tandem, quas nec ipse admittis, resolvenda difficulter conciperem. Sed nolo tibi ampliùs molestus esse, Vir illustris; quicquid profero, discendi saltim caussa a me proferri, planè velim persuasum habeas.

II. Indicarunt auctores novæ Bibliothecæ, quæ Halæ lucem adspicit, editum a te esse sermone Gallico librum, cujus inscriptio: *Essais de Théodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme, & l'origine du mal*, ac præcipuè in eo destrui hypotheses *Baylii*, quibus ille religionis fundamenta convellere ausus fuit. Non potest non istius scripti lectio ab omnibus veritatis amantibus avidè expeti, unde singulari me beneficio adficeres, si illud mecum communicares. Habet id incommodi nostra academia, ut quæ prodeant noviora vix umquam hic perferantur, sed aliunde non absque sumtibus petenda sint. Quid sentis de *Thomæ Burneti* Theoria telluris? Vale, Vir illustris, mihique favere perge. *Rintelii d. 6. Sept.* 1711.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *Lumen ad spiritualia non referendum.* II. *De Theodicæa.* III. *De* Thomæ Burneti *theoria telluris.*

I. DUm litteras meas lustro, video, me tibi adhuc responsionem debere. Itaque diutius tardare nolui. Retuleras lumen ad spiritualia, negabasque ejus a te resistentiam concipi, quæ mihi est index corporalitatis. Sed

Sed quid quæſo ſunt refractiones & reflexiones, niſi effectus reſiſtentiæ? Talia poſſe eſſe ſpiritualia commentum eſt quorundam novorum autorum craſſiùs philoſophantium. At lumen activum eſt non magis, quàm jactus aquæ; niſi quod eſt ſubtilius & motûs velocioris. Denique objicitur, materiam per ſe non eſſe activam; Quid tum? ſufficit, activam eſſe, ubi ſemel motus ei eſt impreſſus. Nec dubium eſt, ſtatim ut creata eſt, in motum concitatam fuiſſe, & vim ſemel acceptam ſemper retinuiſſe, nulla enim vis perit, ſed tantùm transfertur, diſpergitur, colligitur. Nec magis lumen nos ad atomos confugere cogit, quàm aliud fluidum quodcunque. Nec monades cum atomis confundendæ ſunt. Atomi (quas fingunt) figuras habent, Monades non magis figuram habent, quàm animæ; nec partes ſunt corporum, ſed requiſita.

II. Meum Theodicææ tentamentum hic etiam rarum eſt, & exemplaria mox diſparuere, & mea aliquoties petentibus dare coactus ſum; ut nunc propemodum ipſe caream.

Quid Halenſes de hoc ſcripto judicaverint, nondum vidi: neque enim bibliopola noſter eorum bibliothecam, quod ſciam, habet. Receptum eſt a trium imperii religionum Theologis majore plauſu quàm expectabam. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 14. *Januarii* 1712.

III. *P. S. Thomæ Burneti* Theoria telluris ſacra ingenioſa eſt & docta, nec dubitandum eſt, cruſtam noſtræ telluris ex ruinis conſtare. Hoc igitur rectè in ſumma, ſed in ipſa Hypotheſi, ubi eam propiùs inſpexeris, multa reperies, quæ ſtare poſſe non videntur.

EPISTOLA VIII.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De natura luminis.* II. *De libro de tribus impoſtoribus.*

I. STatim atque tuas accepi, prehendi calamum & ad præſentes exarandas memet compoſui. Nullum enim tempus utilius & melius collocari exiſtimo, quàm quod exercendo tecum, Vir illuſtris, commercio litterario impenditur.

Habes me, ad naturam luminis quod attinet, nunc planè tecum conſentientem. Non ſatis diſtinxeram materiam a vi eidem concreata, materiamque ſubtilem & motus velocioris ad ſpiritualia retuleram. Hæc quomodo ſuperanda ſint, poſtquàm te præeunte didici, nullus ampliùs ſupereſt, qui me urgeat ſcrupulus. Hauſeram priores meditationes ex Illuſtris *Thomaſii* doctrina de ſpiritibus. Hæc in eo ſatis rectè ſe habet, quod aliud principium motûs, præter ſolam diſpoſitionem materiæ mechanicam, admittendum ſtatuat, contra mentem *Carteſii* & aſſeclarum; verùm enim verò, dum aërem, lumen, ventum, materialia utique, ſed vi activa in-

tenſiſſima prædita, & ob materiæ ſubtilitatem velociſſimè mobilia, in claſſem ſpirituum refert, a veritatis tramite non nihil aberrare videtur. Inter entia creata nullum fortè a materia penitus ſeparari poteſt, nihilque datur omnis materiæ expers, præter Ens virtutis infinitæ, DEUM. Neſcio, an demum mentem tuam ſatis rectè adæquutus fuerim, Vir illuſtris. Sicubi adhuc impingam, a te monitus correctionem admittam lubens faciliſque. Nullum de ſcripto tuo recentiſſimo judicium interpoſuerunt Halenſes, ſed ejus editionem inter nova litteraria dumtaxat annunciarunt.

II. Incidit nuper in manus meas libellus Gallicus, continens dialogos de variis argumentis hiſtoricis, litterariis, Theologicis, criticis. Auctor perhibetur *Croſius*, Bibliothecarius Berolinenſis. Dialogus quartus continet Diſſertationem de Atheiſmo & Atheis modernis, in qua rerum è diffuſæ lectionis apparatu congeſtarum delectus cum judicii perſpicacia certat. Accedit Auctor eorum opinioni, quibus vix probabile videtur, extitiſſe unquam decantatiſſimum de tribus impoſtoribus librum. Aſt diſertis verbis adfirmat anonymus collector librorum rariorum in præfatione, quæ ante veſtibulum primi faſciculi comparet, reperiri librum Noribergæ, ejuſque poſſeſſorem quondam fuiſſe *Danielem Wülferum*, oratorem iſtius civitatis ſacrum. Parum intereſt orbis eruditi, aut generis humani, an uſpiam lateat liber ſacerrimus. Interea, quum tantum a multis retro annis ſtrepitum excitaverit, non abs re erit, ex te, quem nihil eorum fugit, quæ ad rem litterariam ſpectant, ſciſcitari, quid de tota hac re tibi cognitum atque perſpectum ſit? Vale, Vir illuſtris, & bono orbis eruditi diu adhuc ſuperſtes res tuas ex animi ſententia age. *Rintelii d.* 17. *Jan.* 1712.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De ſpiritibus.* II. *De* la Crozio. III. *De* Leibnitii *methodo docendæ diſcendæque Juriſprudentiæ.*

I. IGnoſces, quod non ſemper ſtatim reſpondeo, ſcis enim, quam ſim diſtractus.

Videris, optimè ſententiam meam de natura & diſcrimine ſpiritualium & materialium perſpexiſſe. Quicquid partes habet, corporeum eſt. Spiritus intelligentia præditi ſunt, & corpore diſſoluto perſiſtunt; etſi ego quoque eo inclinem, ut credam, ſpiritus creatos, etſi per ſe incorporeos, corpore tamen aliquo ſemper præditos eſſe, neque aut intelligentias aut animas planè ab omni corpore ſeparatas exiſtere.

II. *La Croſius*, unus ex Regiæ bibliothecæ Berolinenſis cuſtodibus, ſeu Bibliothecarius, vir eſt d ctiſſimus, & mihi amicus. Dialogos ejus legi, & multa in illis notavi digna lectu.

Danielem Wülferum ego adoleſcens Noribergæ ſæpe adii, & aliis eo tempore viris doctis Noribergenſibus familiaris fui. Sed nunquam audivi, librum,

librum, de tribus impoſtoribus, in hujus viri manibus fuiſſe. *Claudius Hardy*, vir inſignis, cujus in *Carteſii* epiſtolis mentio eſt, dixit mihi, librum ſibi viſum, impreſſionem fuiſſe qualis Socinianorum librorum eſſe ſolet, qui olim Racoviæ edebatur. Ego quid dicam non habeo. Extitiſſe aliquem, qui librum tam jactatum quæſitumque conſcripſerit, protuſeritque non mirarer.

III. Cùm elegantem tuam de ſtudiis inſtituendis diſſertationem legerem, quam mihi miſeras, recordabar libelli, quem olim adoleſcens edideram de methodo docendæ diſcendæque juriſprudentiæ, cujus pars generalis agit de ſtudiis in univerſum. Prodiit 1665. in 12. Aliquoties admonitus ſum, ut incudi redderem, & ſanè ſunt in eo libello cogitationes quædam, quas ne nunc quidem ſperno. Multa tamen, fateor, dicta ſunt jejunius: nam feſtinatiſſimus labor in diverſorio Francofurtano effundebatur, ut eſſet, quod Electori Moguntino dedicaretur, ad quem aditus mihi factus erat. Et ſanè fecit opuſculum non tantum, ut innoteſcerem magis, ſed & ut probarer inſigni Principi, & in Conſiliarium Reviſionum aſciſcerer. Nunc ſi recudi deberet, multa eſſent corrigenda & ſupplenda, de quibus tuum pariter & Ampliſſimi *Keſtneri* judicium expeto. Habet ille libellum, apud quem videre poteris, ſi non vidiſti.

Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 16. *Martii* 1712.

P. S. Ampliſſimum *Keſtnerum*, rogo, ut a me ſalutes. Reſponſionem meam circa *Chorierium* Delphinatus Hiſtoricum ipſi redditam puto. Nos non niſi antiquam editionem habemus, ſecundæ Tomus alter acceſſit, quam ipſe vidiſſe videtur.

EPISTOLA IX.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De Theodicea.* II. *De nova methodo docendæ diſcendæque Juriſprudentiæ.* III. *De* Bogislao Philippo à Chemnitz.

I. MIrificè humanus atque benignus es, dum brevem in reſpondendo moram apud me excuſas. Scio negotia, quibus implicaris, & quam ardua illa ſint, quàm varia, perſpectum habeo: igitur etſi litteræ tuæ ſemper exoptatæ ad me veniant, nunquam tamen tibi vitio verto, ſi aliquantiſper reſcribere differas, miror potiùs & gratiſſimus agnoſco ſingularem tuam alios juvandi promtitudinem. Etenim quum tam vaſta præditus ſis ſcientia, ut omnes recti veriq.e amantes vel ignaros doceas vel hæſitantes confirmes, contrà nemo reperiatur, qui te docere putat; nullius tamen cultum aſpernaris, ut meo exemplo didici, ſed provocatus non ſolum accuratè & doctè, ſed humaniſſimè quoque reſpondes, longè alienus a faſtu quorundam eruditorum, qui dedecori ſibi ducunt, cum aliis in-

ſra ſe poſitis commercium litterarium exercere. Theodicææ tentamentum legi, immo rerum pulcherrimarum copia captus iterum iterumque legi. Dignus erat, Vir Illuſtris, te vindice nodus, dignus, quem ſuſciperes, labor. Etſi enim fortè mens haud mala fuerit *Bælio* talia ſcribenti, plurimos tamen corrumpere poterat viri acumen & eloquentia, plurimis nocere venenum ſpecioſo verborum apparatu conditum. Sed nunc eſt, cur gratias ei habeamus ob dubia mota, quum ea occaſionem tibi ſuppeditaverint, argumento, quod tot illuſtria ingenia exercuit, manum admovendi.

II. Novam methodum diſcendæ docendæque Juriſprudentiæ mecum communicavit amiciſſimus *Keſtnerus*. Meretur utique libellus, ut denuo conſpectui orbis eruditi ſiſtatur auctus a te atque expolitus. Præſertim pars generalis de ratione ſtudiorum in univerſum ſemina continet meditationum exquiſitiſſimarum, ſed quæ ulteriorem evolutionem poſtulant. Non ſemel optavi, Vir illuſtris, legere hypotheſes tuas de Philoſophia & aliis rebus ad elegantiora ſtudia pertinentibus uno conſpectu breviter & perſpicuè propoſitas. Nulla enim eruditionis pars eſt, in qua tu docere non queas ipſos doctores. Perge igitur, ſi alia negotia id permittunt, de bono publico egregiè mereri, & libellum novis acceſſionibus locupletatum recenſe. In hiſtoricis, ut hoc unicum addam, multa ſuppeditare poſſes de fundamentis, ex quibus æſtimari ponderarique debeant veritates hiſtoricæ ſecundùm diverſos probabilitatis gradus, de media via eligenda inter abruptam contumaciam, & ſervile obſequium, ſeu inter ſatyram & ſcripta apologetica, de divinandis hiſtoricorum inclinationibus. Neminem novi, qui in hac materia vel primas lineas duxerit. Ratio videtur quærenda eſſe in defectu doctrinæ logicæ. Ibi enim de methodo demonſtrandi per veritates certas & axiomata multa, & ſatis egregia: de expendendis & invicem comparandis veroſimilibus re maxima neceſſaria, & cujus in omnibus vitæ negotiis infinitus eſſet uſus, pæne nihil. Quæ de moralibus & fundamentis juris naturæ attuliſti, pulchra ſunt & ſolida.

III. Obiter obſervavi, te p. 88. dubitare de vero nomine *Bogislai* a *Chemnitz*. Integrum ejus nomen eſt *Bogislaus Philippus* a *Chemnitz*. Fuit *Chriſtinæ* Suecicæ Hiſtoriographus, *Martini Chemnitii* junioris, Cancellarii Holſatici, filius, *Martini* senioris, Theologi Brunſvicenſis, ob examen concilii Tridentini & alia ſcripta celeberrimi, nepos. Diſſertationis de ratione ſtatus, quæ ſub ficto *Hippolyti a Lapide* nomine lucem adſpexit, auctor nonnullis habitus fuit, ſed erroneè, etſi nondum ſatis conſtet inter eruditos, quis pro genuino parente iſtius fetus agnoſcendus ſit? Vale, Vir ſumme, mihique favere perge. *Rintelii d.* 26. *Martii*, 1712.

RESPON-

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De Theodicæa.* II. *De nova methodo docendæ diſcendæque Juriſprudentiæ.*

I. PErgratum fuit intelligere, Theodicæam meam tibi quoque non diſplicere. Etiam Geneva Celeberrimus *Turrettinus* ad me ſcripſit, meditationes meas & principia planè ad palatum eſſe ſuum; & theſes typis editas litteris adjecit, in quibus nonnulla operis mei adhibet, & probat.

Quin etiam viri quidam docti ex Jeſuitarum ordine applauſere ita, qui in hoc ipſo argumento in diverſiſſima abire videntur, in hoc libello non adſpernando conſpirant. Unus Cl. *Buddeus* Ienæ diſputationem contra me edidit de origine mali, cujus auctor juvenis, idemque Reſpondens mihi videtur non ſatis expendiſſe rem, de qua agit, & mirum non eſt, eum a me diſſentire, qui paradoxum Theologis noſtris, imò pleriſque omnium partium, improbatum & parum tutum defendere audet: Actionum moralitatem non naturali jure, ſed poſitivo Dei arbitrio conſtare, quod *Pufendorfius* olim, harum rerum parum intelligens judex, tueri voluit.

II. Rem gratam faceres, ſi ſpeciatim notares ad libellum veterem meum, quæ a me addi vel etiam emendari velis. Eſt ille ſcriptus ab adoleſcente & quidem in itinere, ſine ullo apparatu librorum. Et quum multa aliorum ſcripta ab eo tempore prodierint, quæ non ſatis inſpicere aut expendere mihi licuit, per alia diſtracto; eorum indicium, & de illis judicium ſubinde habere optarem. Idem etiam ab Ampliſſimo *Keſtnero* noſtro peto, præſertim in iis, quæ ſunt propria juriſprudentiæ, & multum me obſtringeres, ſi cum ipſo in eam rem conferre velles. Quis eſſet *Chemnitius*, auctor Hiſtoriæ Belli Sueco-Germanici, poſtea didici, ignoratum tunc quum libellum ederem. *Hippoliti* auctorem quidam indicio nominis *Steinbergium* eſſe ſuſpicantur, qui, ex his oris ortus, in Suecia fortunam faventem habuit. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dab. Guelferb. d.* 19. *April.* 1712.

EPISTOLA X.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De methodo Juriſprudentiæ.* II. *De comparatione inter bruta animantia & homines inſtituta.* III. *De promotionibus Academicis.* IV. *De defectu informationis jucundæ in ſcholis.* V. *De arte mnemonica.* VI. *De Hieroglyphicis Ægyptiacis.* VII. *De philoſophia* Carteſii. VIII. *De ſcriptoribus methodicis, arte volandi & rel.* IX. *De ludo latrunculorum.* X. *De probabilitate hiſtorica.* XI. *De obſervationibus recentiorum de mundis innumerabilibus.* XII. *De tribus gradibus Juris naturæ.*

I. VEniam dabis pro ſumma tua humanitate tardiùs, ac obſervantiæ, quam tibi debeo, leges poſtulant, reſpondenti. Acceſſit nuper præter omnem meam ſpem atque expectationem functioni Academicæ altera

quoque, ecclesiastica nempe, cui, nisi voluntati divinæ manifestè voluissem reluctari, me subtrahere vix poteram, sed quæ labores geminavit, ac jam antea non prorsus otiosum novis negotiis implicuit. Eum autem in finem hoc tantummodo indicare volui, ut de rationibus tibi constaret, quæ silentium solito diuturnius mihi, invito quamvis, imperarunt.

Contendis a me, vir summe, ut ad libellum de methodo olim a te editum nonnulla vel addam, vel moneam. (*a*) Anceps hæreo, fateor, & quid agam faciamve, pæne nescio. Si taceo aut excusationes adfero, ad conficienda mandata tua, quæ venerari soleo, & quidem secunda vice iterata, segnis videbor, atque languidus; sin pareo, vix effugere potero notam hominis temerarii, & virium suarum prorsus immemoris, qui ad labores tanti viri, qui dudum supra invidiam constitutus, absque omni fuco & adulatione orbis litterati oraculum communi consensu vocari meruit, aliquid addere audeam. Verùm omnibus tandem maturè expensis, malui parum considerate, quàm parum obsequiosè agere. Mitto igitur observationes quasdam, prout illæ in mentem & calamum venient, quas ut æqui bonique consulas, Vir summe, majorem in modum a te obsecro atque contendo.

II. Ad §. 5. Partis primæ.

Hieronymi Rorarii libellum nunquam vidi, sed multa de eo legi in dictionario *Bælii*. Pertinet quoque ad hoc argumentum *Boilæi* Satyra octava, ubi probat, hominem, etsi ratione præditum, stultiorem esse brutis, ratione carentibus, quam tamen illis tribuit *Rorarius*, mea quidem sententia erroneè. *Boilæum* acriter perstrinxit *Barbeyracius* in notis ad *Pufendorfium T. I. p. 35.* Id facilè concedo, voluntatem hominis cupiditatibus pravis agitati corruptiorem interdum esse, quàm instinctum brutorum quorundam. Non ratò quoque ex instinctu bruta rebus suis melius prospiciunt, futurorum quamvis ignara & incuriosa, quàm homines, quod exemplo formicæ declarat *Salomo*. Huc pertinet quoque fabula Homerica, de *Ulyssis* sociis in bruta mutatis, & pristinam conditionem humanam adspernantibus. Verùm si rationem divinitus concessam in consilium adhibere, & mediis ad veram felicitatem ducentibus uti vult homo, longè post se relinquit reliqua animalia. Habet quoque nonnulla *Jo. Clericus* in Bibl. selecta T. IX. p. 372. quæ eo tendunt, ut demonstret, si rationem concederemus brutis, perfectiorem eam futuram esse, ratione humana.

III. §. 7. De promotionum academicarum usu multa dici possent. Nemini facilè hodie denegari solent honores academici, licèt in examine vix pauca verba ægrè moliatur. Unde nescio, num rebus ita se habentibus istiusmodi honores movere queant animos ad solidam gloriam adspirantes.

IV. Ad §. 20. Defectus informationis jucundæ in scholis ex præcipuis caussis est, quæ adolescentes pigros reddunt, ac optima quoque & alacria inge-

(*a*) *Leibnitii* libellus de methodo jurisprudentiæ in IV. Tomo reperitur.

ingenia corrumpunt. Scilicet præficiuntur pueris homines moroſi, & nulla propemodum peritia, nullo judicio præditi. Pro vili enim officio habetur pueritiam moderari, quum tamen res ſit ſummæ prudentiæ, vitiaque primæ concoctionis non facilè corrigantur in ſecunda. Accedit ſtipendii tenuitas, unde nemo erectioris indolis muneri ſcholaſtico admoveri cupit.

V. Ad §. 23. Artem mnemonicam non omnino ſperno, ſi ſobriè adhibeatur. Id enim ni fiat, ars illa memoriæ altera memoria mihi indigere videtur. Melius quoque eſſe, judico, ſi quis ipſe ſibi ſubſidia mnemonica fingat, cujus rei experimentum non infelix interdum feci, quam ſi ab aliis excogitata adhibeat, iiſque memoriam adſtringat. In linguis addiſcendis termini clappantes utique uſui eſſe poſſunt. Inſerviunt quoque radices & derivata ordine diſpoſita, quod fecit *Cellarius* in libro memoriali latinitatis. Alluſiones ex harmonia linguarum hauſtæ pariter juvant. Vidi ego Lipſiæ apud amicum, quas *Matthias Waſmuthus* exemplari Lexici *Buxtorfiani*, quo uſus fuerat, ſua adſcripſerat manu. Habet quoque ars mnemonica ſuos circulatores & Thraſones, qui multa promittunt, pauca præſtant.

VI. De Hieroglyphicis Ægyptiacis peculiarem ſententiam fovit *Andr. Acoluthus*, quam retuli in Lineamentis cap. V. §. 4. *Kirchero* in Copticis non ſemper poſſe tutò credi, plures ſtatuunt. *Theodorus Petræus*, Holſatus, qui orientem luſtraverat, ſed, cùm ſecundum iter meditaretur, fato functus eſt, promiſit novas obſervationes, quæ interciderunt. Quid tibi videtur de *Andr. Mülleri* clave ſinica, vir ſumme? Inveni in actis litterariis *Struvii* Faſc. VI. p. 47. *Jobi Ludolfi* litteras hac de re ad *Chriſtoph. Arnoldum*. De arte conſuli meretur *Morhofius*, Part. I. Polyhiſt. lib. II. c. VI. & *Paſchius* de inventis nov-antiquis cap. II. §. 33. p. 133. ſeq. Plura habet ille auctor, quæ tibi fortè non diſplicebunt. Meminit & opuſculi tui p. 292.

VII. Ad §. 25. Rectè rejicis *Carteſii* regulam: Quicquid clarè & diſtinctè percipio, illud eſt verum, quæ utique infinitis modis fallit. Nam & chimæram, montem aureum, & alia entia rationis clarè & diſtinctè percipio, quæ tamen non ſunt vera. Sed rem facies lectoribus gratiſſimam, ſi, quæ breviter hic innuis, prolixiùs illuſtrabis.

VIII. Ad §. 26. Scriptores methodicos enumerat *Morhofius* l. c. T. I. l. II. c. 7. & *Paſchius* cap. II.

Ad §. 29. De arte volandi jocoſa, ſed non injucunda, habet *Fontenellius* ſub finem dialogi II. de pluralitate mundorum. Confer *Paſchium* l. c. p. 636. Omiſſa videtur ars gladiatoria, de qua aliquando vidi librum in fol. majori, pulcherrimis figuris exornatum, in quo ars hæc ſecundùm principia mathematica traditur. Auctor, ni fallor, vocatur *Girard Thibault*.

IX. Ad §. 30. De ludo latrunculorum haud inepta collegit *Thomas Crenius* de compar. erud. p. m. 57. ſeq. *Paſchius* l. c. p. 760. ſeq. Singularem opinionem Judæorum, *Salomonem* ejus inventorem perhibentium, pro-

prodidit *Wagenſeilius* de civit. Norib. p. 168. Adeundus quoque *Bælius* ſub articulis *Boi* & *Gioachino Greco*.

X. Ad §. 32. Adde, ſi lubet, nonnullas meditationes de fide & probabilitate hiſtorica, ejuſque natura, gradibus, & ſpeciebus. *Eiſenhardtus* & *Thomaſius*, ille in tractatu de fide hiſtorica, hic in diſſertatione de fide juridica, hoc de argumento inter ſe pugnarunt. Ad §. 33. ſeqq. De ſcriptoribus Metaphyſicis, Logicis, Phyſicis, Ethicis, Politicis prolixè egit *Reimannus* in hiſt. litt. Tom. III. IV. V. Ad §. 35. Pande, quæſo, demonſtrationes exiſtentiæ & immortalitatis animæ.

XI. Ad §. 38. Obſervationes recentiorum de mundis innumerabilibus tu quoque probas, Vir ſumme, in Theodicæa (*b*) Antiquioribus tamen etiam aliquid hac de re perſpectum fuiſſe, minimè te fugit, etſi *Auguſtinus* iſtud dogma hæreſibus adſcripſerit. Habet notatu digna *Fabricius* in Bibliotheca Græca lib. I. c. XX. §. 8. ſeq. p. m. 131. ſeq. Quæ a §. 39. uſque ad finem partis primæ diſſeris, egregia ſunt. Non diffiteor, ingens me percepiſſe gaudium, quum viderem, in iis, quæ hic monuiſti, inveniri nonnulla, in Lineamentis a me obſervata. Utinam legiſſem opuſculum tuum, antequàm iſti ſchediaſmati elaborando me accingerem. Ad §. 35. Partis ſecundæ. Scriptores recentiores Hiſtoriæ civilis & eccleſiaſticæ indicabunt auctores in Lineamentis cap. IX. §. 7. a me citati.

XII. Ad §. 72. ſeqq. Valde arrident, quæ de tribus gradibus J. N. mones, nec valde abeunt ab hypotheſi *Thomaſiana* de juſto, decoro, & honeſto, in fundamentis J. N. & G. explicata. Siſte, obſecro, prolixiori commentario illuſtrata verba cedro digna: *Hinc coincidit utilitas humani generis, immo decor & harmonia mundi cum voluntate divina.* Latet hic connexio præceptorum J. N. cum utilitate humana, quæ utique contra indifferentiam actionum in ſe, a *Pufendorfio* aſſertam, defendi debet, niſi admittere velimus, Deum leges naturæ nobis dediſſe ex mero arbitrio, ſecundùm vulgatum illud: Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas, quod num cum natura creaturarum rationalium, immo cum natura Dei, qui eſt ratio infinita, ſatis congruant, viderint alii. Sed nolo ulteriùs tibi obſtrepere. Habes, quas deſideraſti, ſordidas lacinias pretioſo tuo panno adſutas, quæ, quo pauciores ſunt, eo faciliorem merebuntur excuſationem. Servet te Deus, Vir illuſtris, ut diu adhuc prodeſſe queas orbi litterato. Vale mihique fave. *Rintelii d.* 15. *Junii* 1712.

(*b*) Vid. Tom. I. p. 117. *& ſeq.*

RESPON-

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De* Hieronymo Rorario. II. *De arte mnemonica.* III. *De MSc. Copticis.* IV. *De arte gladiatoria.* V. *De ludo latrunculorum.* VI. *De veterum de mundis innumerabilibus ſententia & rel.* VII. *De primo ſyſtematis metaphyſici auctore.* VIII. *De moralitate actionum humanarum objectiva.*

I. GRatulor ex animo munus novum & honorificum, Deumque precor, ut tibi diu reipublicæ ſacræ & litterariæ prodeſſe concedat. Gratias ago, quòd quædam ad libellum meum veterem notaſti. Vellem annotationibus miſcuiſſes animadverſiones, neque enim dubito, quin ſint, quæ tibi animadverſione digna videantur, mihi enim ipſi talia complura occurrunt. *Hieronymi Rorarii* librum legi adoleſcens, viſus mihi eſt magis eleganter, quàm accuratè ſcriptus.

II. Eſt apud nos, qui mnemonicam illam artem, cujus paſſim ſpecimina occurrunt, non infeliciter exercet. Cœcus eſt, eoque minùs imaginatio ejus diſtrahitur. Mihi in exercitio hujus artis præcipua difficultas in eo eſſe videtur, ut connexionem quandam ſubitò invenias inter locum & quod in eo eſt locandum, ea enim connexio admonere locati debet.

III. MSta quædam Coptica, quæ *Theodori Petreii* fuere, extant in Bibliotheca Regia Berolinenſi.

IV. *Gerardi Thibaultii* librum ingentem, de arte gladiatoria, ipſe olim inſpexi, viſus eſt mihi magis ſpeciem quandam mathematicæ doctrinæ per figuras affectaſſe, quàm ſolida principia tradidiſſe. Scilicet ſæpe artificibus methodus deeſt, qua ſua ritè exponant.

V. In miſcellaneis Berolinenſibus alicubi docui, ludum latrunculorum veterum planè diverſum fuiſſe a ludo Schachia hodierno.

VI. Vellem, Dn. *Reimannus* ſuam Hiſtoriam litterariam (in qua ſanè multa lectio) non reſtrinxiſſet ad Germanos. Quandam meam exiſtentiæ divinæ demonſtrationem paucis lineis expreſſam reperies in Theodicæa, part. I. §. 7. Mundos innumerabiles *Leucippus* & *Democritus* ſtatuerunt, & *Jordanus Brunus* libro de infinito tum Latino tum Italico, qui ſunt diverſi, ſed ambos habeo.

VII. Vellem noſſe, quis primus nobis Metaphyſicam in artem redactam dederit. *Ariſtoteles* enim non niſi materiam comparavit, & commentatores ejus ſcholaſtici nullum ſyſtema condiderunt. Interim fateor, ſcientiam metaphyſicam ſcholarum non magni eſſe momenti. Non bene ſcio, quomodo Dn. *Chriſtianus Thomaſius* diſtinguat juſtum, honeſtum, decorum, neque enim in recentiorum ſcriptis ſatis verſatus ſum. Itaque rogo, ut ſi quando vacat, explices.

VIII. Præclarè notaſti, leges naturæ ex recta ratione fluere, & ideo a Deo ratas haberi. Et miratus ſum, nuper Dn. *Buddeum* in diſſertatione

contra libellum meum, mirabile illud paradoxum tueri voluiſſe, quaſi a mero divino arbitrio proficiſcantur. Sciendum enim eſt, in Deo, ut in omni intelligente, actiones voluntatis eſſe naturâ poſteriores actionibus intellectûs, & perceptiones boni ſive veri ſive falſi efficere ut velimùs. At in perfecto ſapiente, nempe Deo, nulla eſt voluntas niſi veri boni. Dn. *Thomaſius* ipſe in hac re, ut audio, deſerto *Pufendorfio*, ad meliora rediit. *Pufendorfius* ſpecioſis ſuis verbis, re inanibus, multos decepit. Miror autem, Dn. *Buddeum*, quum ſit Theologus, dogma defendere, quod ipſi Reformati (paucis exceptis ſupralapſariis) improbant; & vereor, ne eam ob rem Theologorum offenſum incurrat. Sed videtur ipſe a *Poireto* deceptus, ut politici quidam a *Pufendorfio*. Ego ſæpe miratus ſum, talia in mentem cujuſquam venire poſſe. Ampliſſimus *Keſtnerus* veſter nonnihil *Pufendorfianis* præoccupatus mihi objicit, ſi Deus æternas rationes ſequitur, aliquid datum iri prius Deo. Sed reſpondendum eſt, rationes æternas eſſe in divino intellectu, nec ideo quicquam eſſe prius Deo, ſed tantummodo divinam intellectionem eſſe naturâ priorem divina volitione. Quod ſi plura monere voles, atque etiam indicare, quæ fortè minùs probas, rem ſemper gratam & gratiarum actione dignam facies. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 20. *Junii* 1712.

EPISTOLA XI.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *Quomodo* Chriſtianus Thomaſius *juſtum, decorum & honeſtum diſtinguat?* II. *An dentur actiones in ſe & ſua natura honeſtæ & turpes?* III. *De hiſtoria Luneburgica* Leibnitii.

I. SCire cupis, quomodo Dn. *Thomaſius* diſtinguat juſtum, decorum, & honeſtum. En principia ejus, in compendium redacta, prout illa expoſuit in fundamentis juris naturæ & gentium. Duo inveniri ſtatuit hominum genera, inſipientes atque ſapientes, & hos rurſus diverſorum eſſe graduum, perfectè ſapientem verò non dari. Pergit, duplicem normam hic oriri, coactivam ſcilicet, quam vocat normam imperii, & directivam vel perſuaſivam, quam vocat normam conſilii. Extremè ſtultos, qui nec inter ſe, nec cum ſapientioribus pacem colunt, imperio in ordinem redigendos eſſe: apud eos, qui ſapere incipiunt, prudenter temperandum eſſe imperium & conſilium: qui vero aliquos in ſapientia progreſſus fecere, nullo prorſus imperio opus habere, ſed conſilio regi poſſe. Primum & univerſale juris naturæ, ſeu omnis doctrinæ moralis, ita enim hanc vocem accipit, principium eſſe: Facienda, quæ vitam hominum reddunt & maximè diuturnam, & felicitſſimam: & evitanda, quæ vitam reddunt infelicem, & mortem accelerant. Felicitatem conſiſtere in pace hominis interna

& ex-

& externa. Externam conſervari per regulas juſti, promoveri per regulas decori: internam acquiri per regulas honeſti. Fluere exinde principium regularum juſti: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, duobus verbis: Neminem læde; principium regularum decori: Quod tibi vis fieri, alteri facies, ſcilicet, præſtabis aliis officia humanitatis, beneficia, & alia, ad quæ jure cogi nequis; principium regularum honeſti: Quod vis, ut alii ſibi faciant, tu tibi facies, id eſt, reprimes paſſiones excedentes, deficientes excitabis, & ita affectus, quantum fieri poteſt, ad æquilibrium reduces.

II. Ad quæſtionem: An dentur actiones in ſe & ſua natura honeſtæ vel turpes? ita reſpondet l. c. Lib. I. C. V. §. 51. 52. Dn. *Thomaſius*: Si Deus concipitur, ut legislator deſpoticus, hominem extrinſece ad pœnam obligans, & honeſtas ac turpitudo ſumitur pro ſynonima juſtitiæ & injuſtitiæ, falſum eſt, dari actus per ſe, ſua natura, ac antecedenter ad voluntatem divinam honeſtas ac turpes. At ſi Deus concipitur ut pater, conſiliarius, doctor, & honeſtas ac turpitudo denotat magis bonitatem aut malitiam ſeu vitium in genere, quàm in ſpecie juſtitiam & injuſtitiam, verum eſt, actus, de quibus jus naturæ tam latè quàm ſtrictè dictum agit, eſſe per ſe & natura ſua morali, intuitu totius humani generis, malos ac bonos. Hactenus verba *Thomaſii*.

III. Quid ſperandum de tua Hiſtoria Luneburgica, Vir ſumme? an implebis exſpectationem eruditorum, & exemplar nobis dabis Hiſtoriæ omnibus numeris abſolutæ, quod alii ſequantur ac imitentur? Dn. *Keſtnerus* noſter obſervanter te ſalvere jubet, rogatque, ne ipſius in reſpondendo tarditatem feras ægriùs. Obſtitiſſe alia negotia, quo minus officio ſuo ex voto ſatisfacere adhuc potuerit. Deus te ſoſpitem ſervet atque incolumem! *Rintelii d.* 27. *Julii* 1712.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De differentia, quam* Thomaſius *inter juſtum, decorum & honeſtum conſtituit.* II. *De primo juris naturæ principio.* III. *De juſto, honeſto & decoro.* IV. *De legibus divinis.*

I. GRatias ago, quòd mihi ſententiam Ampl. *Thomaſii* exponere voluiſti, in qua multum boni invenio, quædam tamen annotanda habeo. Probo diſcrimen inter inſipientes, & varios eorum gradus, qui in ſapientia profecere. Concedo, inſipientes cogi debere imperio; atque id eſt, quod *Ariſtoteles* voluit, quum quoſdam dixit naturæ ſervos. Addo etiam, quanto quis minus habet ſapientiæ, tanto magis opus habere imperio cogentis. Sed quod addit vir egregius, ut refers, *qui aliquos in ſapientia progreſſus facere, nullo prorſus imperio opus habere, ſed ſolo conſilio regi poſſe*, id quidem admittere non auſim. Oportet magnam eſſe ſapientiam, cui omnia iutò

fidas. Pauciſſimi ſunt tales ſapientes, & ſi qui ſunt, non cognoſcuntur. Puto igitur tutiſſimum eſſe, efficere, ut quàm minimum liceat, impunè peccare. Cæterum hæc non ad quæſtionem juris, ſed utilitatis pertinent, nec in hoc agitur, quid ſit juſtum aut rectum, ſed qua ratione optimè obtineri poſſit executio decreti, quod dictat, quid ſit rectum.

II. Ait porrò: *primum & univerſale juris naturæ ſeu omnis doctrinæ moralis* (ita enim hanc vocem accepit) *principium eſſe, facienda, quæ vitam hominum reddunt & maximè diuturnam & feliciſſimam.* Evitanda, quæ vitam reddunt infelicem & mortem accelerant. Hoc primum principium ego non admitto, quia omnia reſtringit ad hanc vitam brevem & mox finiendam, nulla ratione habita vitæ æternæ. Poſita enim Divina providentia, & animæ humanæ immortalitate, (quæ utique naturali ratione cognoſci poſſunt, atque adeo jus naturæ fundant) fieri poteſt, ut præſenti vitæ ejuſque commodis ſapiens ob æterna bona renunciare poſſit debeatque: Sed &, ſepoſita immortalitate, interdum mors vitæ huic præferenda videbitur ſapienti; facilè equidem corrigemus hoc principium, ſi dicamus generatim, quærendam vitam felicem, evitandam infelicem: tunc verò explicandum erit uberiùs, in quo vera felicitas conſiſtat. Itaque pergo tecum: *felicitatem*, ait ille, *conſiſtere in pace hominis externa & interna. Externam conſervari per regulas juſti, promoveri per regulas decori, internam acquiri per regulas honeſti.* Hic vellem expoſitum ſatis diſcrimen inter pacis *conſervationem & promotionem.* Certum eſt, apud multos plus nocere violationem decori, quàm juſti; metuunt enim homines violantem regulas juſti, ſed ſpernunt violantem regulas decori, & faciliùs offendunt eum, quem ſpernunt, quàm quem timent. Putem etiam, obſervationem regularum juſti & decori neceſſariam eſſe ad pacem internam. Qui regulas decori violat, ſolet ſibi ipſi diſplicere & pudore affici. Qui regulas juſti violat, non rarò ſentit conſcientiæ malæ laniatus & ictus; ſi quid ſcilicet ſupereſt illi pietatis. Ut taceam pœnæ præſentis metum ſive a læſo ſive a magiſtratu.

III. Explicantur deinde diſcrimina juſti, decori, honeſti, ſanè ingeniosè. *Juſti* regula eſſe dicitur: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ſeu *neminem læde. Decori* regula: *quod tibi vis fieri, alteri facito.* Denique *honeſti* regula: *quod vis, ut alii ſibi faciant, hoc tu fac tibi.* Hæc ſanè non ſpernenda eſt explicatio trium regularum juris: neminem læde, ſuum cuique tribue, honeſtè vive. De quibus etiam in mea methodo & in præfatione Codicis Diplomatici egi. Subeſt tamen & hic aliquid difficultatis. Nam per ſecundam regulam dicuntur intelligi officia, ad quæ quis jure agi nequit. Sed hoc verba ejus non ferunt. Nam ſæpe jure coguntur homines non tantùm, ut aliquid non faciant, ſed etiam, ut aliquid faciant. Ut taceam, in utraque regula plurimum eſſe difficultatis. Multa enim volumus non rectè, an ergo hoc rectè ab aliis exigemus? Alia ergo regula opus foret, quæ explicaret etiam, quid velle oporteat. Præterea tanta eſt diſſimilitudo & inæqualitas inter homines, ut non ſemper ab aliis rectè exigamus,

gamus, quod illi rectè exigunt a nobis. Atque ideo nec ſemper mihi debeo, quod alii ſibi debent. Itaque licet aliquid his regulis inſit præclari, tamen fundamenta juſti, decori, honeſti, non exhauriunt; nec mea voluntas ſpontanea ſatis tuta eſt menſura debitæ alienæ.

IV. Cæterum quod ſubjicitur, ſi Deus concipiatur velut legiſlator, hominem ad pœnam obligans, falſum eſſe, dari actus antecedenter ad voluntatem Divinam honeſtos & turpes; id etiam habet aliquid difficultatis, Deus concipi poteſt ut legiſlator; ſed non ut legiſlator deſpoticus: quum leges, quas fert juri naturæ conſentaneas, & ipſa rerum natura ſummæ ſapientiæ conformes agnoſcantur. Et quædam peccata talia ſunt, ut Deum ipſa ſua ſapientia moveat ad puniendum; verbi gratia, blaſphemia, aliaque ſcelera multa. In his ergo Deus ſimul eſt doctor & legiſlator; nam non poteſt non docere, quod rectum eſt, dum lumen rationis in nobis accendit; & non poteſt non pœnam deſtinare ei, quod pravum eſt, dum omnia perfectiſſimè gubernat. Sanè præſertim per futuram vitam peccata omnia talia ſunt, ut puniant ſemet ipſa, & omnia benefacta talia ſunt, ut præmio afficiant ſemet ipſa; ſepoſitis licèt pœnis aut præmiis aliis, quas quæve Deus inſtar legiſlatoris humani dictare concipitur; manet tamen Deus nihilominus legiſlator, non tantùm per leges gratiæ, ſed etiam leges naturæ, quas tanta ſapientia tulit, ut improbus ſit heautontimorumenos. Neque refert, an quis puniat, per decretum novum, an per primum. Ex. gr. Si quis Princeps foveas fodi curaſſet aqua plenas, in quas caderent fures ferarum, eaque ratione omnem in eos proceſſum criminalem prævertiſſet; poſſet non minùs, imò magis certiusque eos puniſſe cenſeri, quàm ſi edixiſſet, fures detectos & captos in tales foveas præcipitari debere, & ſententiam in ſingulos novam ferri curaret. *Dabam Hanov. d.* 20. *Octobr.* 1712.

EPISTOLA XII.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De diſciplina ſapientum.* II. *De immortalitate animæ humanæ.* III. *De legibus divinis.*

I. LEgi cum voluptate, quæ circa ſententiam Illuſtris *Thomaſii* de diſcrimine & fontibus juſti, decori, honeſti, monere Tibi placuit. Sunt in illa, fateor, non nulla, quæ uberiorem expoſitionem poſtulare videntur, quàm fortè dabit Vir celeberrimus, ſi manum expoliendo juri naturæ, & in ordinem redigendis, quæ ſparſim edidit, atque ſubinde correxit & mutavit, denuo ipſum admovere contingat. Qui aliquos in ſapientia progreſſus fecerunt, nulla prorſus imperio opus habere, ſed ſolo conſilio regi poſſe non admittit. Addis: oportet magnam eſſe ſapientiam, cui tutò omnia fidas. Pauciſſimi ſunt tales ſapientes, & ſi qui ſunt, non cognoſcuntur.

Ita eſt, Vir illuſtris; verum tamen hos pauciſſimos imperio non opus habere, quamdiu in ſapientia perſiſtunt, nec ad contrarios mores, quod utique fieri poteſt, convertuntur, cum *Thomaſio* crediderim: Obſervant illi leges, ſed non coactè, vel ex imperio, ſed ſponte, urgente ratione & conſcientia. Juſto legem non eſſe poſitam, ad coactionem ſcilicet quod attinet, ipſe *Paulus* aſſerit.

II. Immortalitatem animæ humanæ naturali ratione cognoſci poſſe, *Thomaſius* non admittit. Statuit potiùs, doctrinam hanc ex ſola ſcriptura petendam tamquam articulus fidei, adeoque non pertinere ad philoſophiam. Non confundendum eſſe lumen rationis, quod vim ad felicitatem hujus vitæ monſtrat, cum lumine revelationis. Intelligit verò per immortalitatem animæ exiſtentiam ſubſtantialem ſeparatam. Plura habet in Cautelis circa præcognita Juriſprud. cap. XII. §. 75. 76.

III. Quæ ſub finem epiſtolæ mones, Deum concipi poſſe ut legiſlatorem, ſed non ut legiſlatorem deſpoticum, quam pater, doctor &c. etiam ſint legiſlatores, quamvis non deſpotici; peccata punire ſemet ipſa, quum omnis improbus ſit heautontimorumenos, benefacta præmio ſemet ipſa afficere, uti planè egregia ſunt, ita *Thomaſii* ſententiæ congruere opinor. Ego ſanè nihil ad monendos hominum ad virtutem & avocandos a vitiis animos efficacius arbitror, quàm ſi ipſis oſtendatur connexio ſeu harmonia factorum & eventuum. Unde cadere neceſſe eſt ſententiam *Pufendorfianam*, omnes actiones in ſe & ſua natura eſſe indifferentes. Tetigi non nulla huc ſpectantia in Lineamentis meis p. 112. ubi ſciagraphiam ſyſtematis ethici adumbravi. Hanc quum prolixiùs elaborare in animo habeam, rem faceres mihi gratiſſimam, Vir illuſtris, ſi quædam ſuppeditares, quæ meas hac de re meditationes juvare poſſent. Sperare hoc jubet tua humanitas, tot ſpeciminibus mihi cognita. Vale, & bono orbis eruditi diu ſoſpes & incolumis vive. *Rintelii d.* 11. *Jan.* 1713.

RESPONSIO LEIBNITII.

De immortalitate animæ.

OPtandi magis quàm ſperandi ſunt ſapientes, qui ſolo conſilio rectæ rationis ſemper reguntur. Hæc ad ideam optimæ reipublicæ pertinent, quam effingimus, ut, quantum fas eſt, accedamus. In viris Celeberrimis *Samuele Pufendorfio*, *Chriſtiano Thomaſio* & ſequacibus hoc maximè improbo, quòd immortalitatem animæ, pœnasque & præmia trans vitam præſentem ſola revelatione cognoſci arbitrantur. *Pythagorei* & *Platonici* rectiùs ſapiebant. Ego in epiſtola ad *Boehmerum* de Pufendorfiano officiorum libello data, notavi, hoc Theologiæ naturalis fundamentum etiam cuivis de populo manifeſtum eſſe, qui divinam providentiam ejusque conſequentias agnoſcit; ſepoſitis licèt metaphyſicis argumentis, quæ invicta habemus.

habemus. Imperfectiſſima eſt doctrina de moribus, juſtitia, officiis, quæ ſolis hujus vitæ bonis nititur, ut in eadem epiſtola oſtendi. Inutilis eſt providentiæ doctrina, ſublata animæ immortalitate, nec plus efficit ad obligandos homines, quàm Dii Epicureorum, providentia carentes. Itaque ſi Deus nobis non indidit principia, unde immortalitatem noſceremus, inanis eſt Theologia naturalis, nec quicquam contra atheiſmum practicum valet; & licebat hominibus eſſe atheos ante revelationem, neque enim in hac vita ſe vindicat divinitas. Non eſt neceſſe ad animæ immortalitatem tuendam, ut ſit ſubſtantia ſeparata, poteſt enim ſemper induta manere ſubtili corpore, quale ego etiam angelis tribuo. Quod ſupereſt, vale & fave. 1713.

EPISTOLA XIII.

BIERLINGII AD LEIBNITIUM.

I. *De immortalitate animæ.* II. *De origine mali.*

I. UTique ad continendos homines in officio multum confert doctrina de animæ immortalitate pœnisque & præmiis poſt hanc vitam expectandis, quamvis negari nequeat, *Epicurum* & ſequaces, ad honeſtatem externam & civilem quod attinet, non omni laude indignos eſſe, uti vel *Pomponii* Attici exemplum oſtendit. Credo autem, *Pufendorfium* & *Thomaſium* eam ob cauſſam ſola hujus vitæ felicitate circumſcripſiſſe Philoſophiam moralem, ne rationem & revelationem, non contraria quidem, ſed diſtincta tamen principia, miſcerent. Non verò negat immortalitatem animæ, qui eam ex ratione demonſtrari non poſſe contendit, uti myſterium Trinitatis, incarnationis, nemo Chriſtianorum negat, omnes licèt concedant, hoc ex ratione haud innoteſcere.

II. In hac vita ſe non vindicat divinitas, ais, Vir illuſtris. Credo, te id cum reſtrictione intellectum cupere, in hac vita ſcilicet non ſemper ſe vindicare divinitatem. Inde vexata quæſtio Ethnicorum: cur bonis malè, malis bene ſit, cùm detur providentia? quàm *Claudiani* reſponſio: tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant, non ſatis ſolvit. Nec rem exhaurit *Boethii* liber de conſolatione Philoſophica. Habemus verò exemplum *Davidis*, alia quoque, ex quibus patet, ſcelera a divinitate in hac quoque vita vindicari, quamvis id non ſemper obſervemus ob rationis noſtræ imbecillitatem, quæ providentiæ ordinem & modum non ſatis capit. Rogavi nuper, ut ad Lineamentorum meorum §. XI. Cap. VIII. nonnulla moneres. Sed obſtiterunt abſque dubio alia negotia. Vale, Vir illuſtris, mihique fave. *Rintelii d.* 20. *Aprilis* 1713.

RES-

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De moneta quadam* Philippi, *Principis Brunſwicenſis.* II. *De libro de beneficiis a* Thomaſio *edito.*

I. QUod mei benevolè meminiſti, gratias habeo. Vellem diutius præſentia tua frui licuiſſet.

Moneta, cujus mentionem feciſti apud Reverendiſſ. Abbatem *Molanum*, extat valore Vallenſis, & quadrantis a Vallenſe. Omnes oſtendunt effigiem Principis cum Epigrapho: V. G. G. PHILIP. HERTZOG. ZU. BRAUN. V. LUN. Ab adverſa parte ſunt inſignia Grubenhagiis tunc uſurpata, & circumſcriptum: GOT. GIBT. GOT. NIMBT. ſola magnitudine differunt, niſi quod videor mihi poſt ultimam vocem NIMBT, (quæ in minimo imperfecta eſt, ſolo poſito NI.) in prioribus binis legere 95. in minimo 96. puto eſſe indices anni ſuppreſſis numeris 15. Conſtat, Principem hunc An. 1596. defunctum lineam clauſiſſe. Et ſymbolo crediderim ad metalla Clauſthalenſia reſpexiſſe, vix enim alibi extantior eſt viciſſitudo munerum divinorum.

II. Significaverat, neſcio quis, inſigni viro *Chriſtiano Thomaſio* librum de Beneficiis, quem ipſi hodie debemus, jam extare. Ille a me, quam ab illis, qui ſe vidiſſe dicebant, quærere maluit. Reſpondi, quod res erat, mihi ignotum eſſe; ſed nemo noſtrum omnia vidit. Itaque nobis impoſita eſt neceſſitas retractionis, non utique pudenda. Rogo autem ut minutiora de libro Coloniæ edito mihi narrare velis: Veluti quâ formâ prodierit, quot paginis, vel plagulis conſtet, quis typographus, quis annus, qualis integer titulus in fronte, an aliquid de editore compareat, præfatio aliqua adjecta ſit, & alia hujuſmodi. Et vellem libellum in tecto loco collocari ne pereat, habet enim manuſcripti codicis raritatem: Puto nunc agere apud vos Ill. *Baronem de Sleinitz* legatum a Monarcha Ruſſorum ad congreſſum Brunſvicenſem, cui filium ſuum, non exiguæ ſpei adoleſcentem, in veſtram academiam mittere conſtitutum, ni fallor, nuper tibi dicebam. Quod ſi adhuc adeſt, rogo, ut illi obſequia mea deferas. Incertus enim ſum, an huc ſit rediturus poſt aulam digreſſam. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ d.* 12. *Octobris* 1716.

G. G. LEIB-

G. G. LEIBNITII NOTATA QUÆDAM

Circa vitam & doctrinam CARTESII.

Carteſius diu Flexiæ in collegio Jeſuitarum ſtudiis operam dedit, juvenisque emendandæ philoſophiæ conſilium cepit poſt ſomnia quædam & illud *Auſonii* diu expenſum: *quod vitæ ſectabor iter?* ita loquuntur ipſius ſchedæ manuſcriptæ.

Anno 1620. die 11. Novembr. notavit in ſchedis ſuis, ea die ſe cœpiſſe intelligere fundamentum inventi mirabilis, quid illud ſit, videor mihi conjicere; ipſe in ſcriptis ſuis non expoſuit, quemadmodum nec publicavit methodum ſuam, ſed tantùm de ea ſcribere ejusque ſpecimina dare voluit, ut ipſe obſervat. Itaque valde falluntur, qui his, quæ edidit, nimis contenti ſunt, methodumque ejus ſe habere arbitrantur.

Lipſtorpius narrat, *Carteſium* in Germania cum *Faulhabero* inſigni Mathematico & inprimis in numerorum doctrina verſato contuliſſe & hunc admiratione juvenis fuiſſe captum.

Quando *Carteſius* in Sueciam venerat, Regina magis antiquitatis & hiſtoriæ quàm philoſophiæ ſtudio capiebatur: ita *Carteſius* ad horas antelucanas remiſſus, ex inſueto officio in morbum incidit. Audivi ex V. Cl. *J. H. Boeclero*, qui eodem tempore in Suecia fuit, pleuriticum interiiſſe, quod ipſe ſuas quaſdam rationes ſecutus ſanguinis miſſionem ſpreviſſet aut diſtuliſſet.

Fuit in *Carteſio* major librorum uſus quàm ipſe videri volebat: hoc ſtylus & res ipſæ docent. Præclarè in rem ſuam vertit aliorum cogitata, quod vellem non diſſimulaſſet, eaque res ipſi in Suecia cum eruditis concertationes peperit.

Dogmata ejus metaphyſica, velut circa ideas à ſenſibus remotas, & animæ diſtinctionem à corpore, & fluxam per ſe rerum materialium fidem, prorſus platonica ſunt. Argumentum pro exiſtentia Dei, ex eo, quod ens perfectiſſimum, vel quo majus intelligi non poteſt, exiſtentiam includit, fuit *Anſelmi* & in libro contra inſipientem inſcripto inter ejus extat opera, paſſimque à Scholaſticis examinatur. In doctrina de continuo, pleno & loco *Ariſtotelem* noſter ſecutus eſt, Stoicosque in re morali penitus expreſſit, floriferis ut apes in ſaltibus omnia libans. In explicatione rerum phyſicarum mechanica *Leucippum* & *Democritum* præeuntes habuit, qui & vortices ipſos jam docuerant. *Jordanus Brunus* eaſdem ferè de magnitudine univerſi ideas habuiſſe dicitur, quemadmodum & notavit V. cl. *Stephanus Spleiſſius*, ut de *Gilberto* nihil dicam, cujus magneticæ conſiderationes tum per ſe tum ad ſyſtema univerſi applicatæ, *Carteſio* plurimum profuere.

Explicationem gravitatis per materiæ ſolidioris rejectionem in tangente, (quod in Phyſica Cart. prope pulcherrimum eſt,) didicit ex *Keplero*, qui ſimilitudine palearum motu aquæ in vaſe gyrantis ad centrum contruſarum rem explicuit primus. Actionem lucis in diſtans ſimilitudine baculi preſſi jam veteres adumbravere. Circa Iridem à *M. Antonio de Dominis* non parum lucis accepit.

Keplerum fuiſſe primum ſuum in dioptricis magiſtrum, & in eo argumento omnes ante ſe mortales longo intervallo antegreſſum, fatetur *Carteſius* in Epiſtolis familiaribus; nam in ſcriptis, quæ ipſe edidit, longè abeſt à tali confeſſione aut laude, tametſi illa ratio, qua radiorum directionem explicat ex compoſitione nimirum duplicis conatus perpendicularis ad ſuperficiem & ad eandem paralleli, diſertè apud *Keplerum* extet, qui eodem ut *Carteſius* modo æqualitatem angulorum incidentiæ & reflexionis hinc deducit. Idque gratam mentionem ideò merebatur, quod omnis prope *Carteſii* ratiocinatio huic innititur principio. Legem refractionis primum inveniſſe *Willebrordum Snellium*, *Iſaacus Voſſius* patefecit, quanquam non ideò negare auſim, *Carteſium* in eadem incidere potuiſſe de ſuo.

Negavit in epiſtolis, *Vietam* ſibi lectum, ſed *Thomæ Harrioti* Angli libros analyticos poſthumos anno 1631. editos vidiſſe, multi vix dubitant; uſque adeò magnus eſt eorum conſenſus cum calculo Geometriæ Carteſianæ. Sanè *Harriotus* æquationem jam nihilo æqualem poſuit, & hinc derivavit, quomodo oriatur æquatio ex multiplicatione radicum in ſe invicem, & quomodo radiorum auctione, diminutione, multiplicatione aut diviſione variari æquatio poſſit, & quomodo proinde natura & conſtitutio æquationum & radicum cognoſci poſſit ex terminorum habitudine. Itaque narrat celeberrimus *Walliſius*, *Robervallium*, qui miratus erat, unde *Carteſio* in mentem veniſſet, palmarium illud, æquationem ponere æqualem nihilo ad inſtar unius quantitatis, oſtenſo ſibi à Domino *de Cavendiſch* libro *Harrioti* exclamaſſe: *il l'a vu*, *il l'a vu*, vidit, vidit. Reductionem quadrato-quadraticæ æquationis ad cubicam ſuperiore jam ſeculo invenit *Ludovicus Ferrarius*, cujus vitam reliquit *Cardanus* ejus familiaris.

Denique fuit *Carteſius*, ut à viris doctis dudum notatum eſt, & ex epiſtolis nimium apparet, immodicus contemtor aliorum & famæ cupiditate ab artificiis non abſtinens, quæ parum generoſa videri poſſunt.

Atque hæc profectò non dico animo obtrectandi viro, quem mirificè æſtimo, ſed eo conſilio, ut ſuum cuique tribuatur, nec unus omnium laudes abſorbeat; juſtiſſimum enim eſt, ut inventoribus ſuus honos conſtet, nec ſublatis virtutum præmiis præclara faciendi ſtudium refrigeſcat. Et vellem ego propoſitionum aut dogmatum, quæ majoris momenti ſunt, autores ſemper memorari exemplo Mathematicorum, qui *Pythagoræ*, *Platonis*, & *Archimedis*, & *Euclidis*, & *Apollonii*, & *Nicomedis*, & *Dinoſtrati*, & tot aliorum merita ſingulatim perpetua mentione recognoſcunt.

Optarim etiam, viros inſignes ſpem inanem arripiendæ tyrannidis in im-

imperio philoſophico deponere, & ſectæ condendæ ambitionem exuere; unde inepta partium ſtudia & bella literaria vaniſſima naſci ſolent magno ſcientiæ & pretioſi temporis detrimento. Non diſtinguuntur apud Geometras *Euclidei*, *Archimedei* aut *Apolliniani*. Omnium eadem ſecta eſt, ſequi aperientem ſe undecunque veritatem. Neque unquam quiſquam orietur, qui totum ſibi vindicabit patrimonium eruditionis, aut qui genus humanum ingenio ſuperabit, & omnes præſtinguet ſtellas exortus ut ætherius ſol. Legamus *Carteſium*, laudemus etiam, immò admiremur; ſed non ideò reliquos negligamus, apud quos multa & magna extant, quæ *Carteſius* non animadvertit.

Nihil magis profectui ſcientiarum obſtat, quàm nimium & ſervile in philoſophia ſtudium τῶν παραφραζόντων, neque aliam magis ob cauſam fieri arbitror, quod raro aliquid egregium & novum à meris Carteſianis profertur, non magis quàm à meris Ariſtoteleis, non ingenii ſanè defectu, ſed vitio ſectæ. Quemadmodum enim imaginatio una melodia nimis occupata ægrè ad aliam canendam convertitur, & qui tritam alteri viam inſiſtit, rarò in nova incidit: ita qui uni autori inſuevere, mancipia ſunt doctoris ſui quaſi uſu capta, ægreque animum ad aliquid novi & diverſi attollunt, cùm tamen conſtet, non aliâ re magis incrementum accepiſſe ſcientias, quàm varietate itinerum, quæ in veritate inveſtiganda diverſi iniere.

Subjiciam nonnulla, quæ mihi inter cogitata *Carteſio* ipſi debita inprimis laudanda videntur. In Geometricis ut hinc ordiar, rectè docuit (poſt *Soverum* tamen Germanum obiter hoc perſtringentem) aliam longè eſſe conchoëidis & ſimilium æquatione explicabilium quàm ſpiralis naturam, & malè à veteribus lineas altiorum æquationum excludi. Primus etiam animadvertit negativas radices non modò, ſed & imaginarias ſeu impoſſibiles utiliter conſiderari & æquationes ſolvere; adeoque in univerſum tot eſſe radices, quot dimenſiones æquationis. Comparatio æquationum licet ab aliis non nihil uſurpata, ab ipſo tamen promota eſt egregiè. Pulchrè quoque notavit in tangentium problematibus & ſimilibus duas eſſe radices æquales. Proprietates, quas invenit Hyperboles, Ellipſeos & ovalium altiorum ad uſum catoptricum & dioptricum, theoriæ gratia egregiæ ſunt. In Metaphyſicis argumenta Scepticorum ad bonum uſum præclarè traduxit. In Phyſicis agnovit materiæ partes aliquas actu ſubdividi ſine fine, item motum ſeu loci mutationem eſſe aliquid in ſe relativum. Debetur ipſi vorticum à veteribus cœptorum diſtinctior explicatio, & ad Philoſophiam *Gilberti* magneticam applicatio; Tentamentum præclarum circa æſtum maris; Explicatio iridis aliorumque Emphaticorum, & ſpecimen elegans ratiocinandi circa geneſin ſalis. Et in multis aliis etiam ubi non aſſentior, ipſum philoſophandi filum mirificè placet: & ſanè vix pagina apud ipſum occurrit, unde non utile aliquid & novum diſci poſſit, itaque in his referendis ſum parcior.

Denique addam aliqua, quæ non nihil offendunt. Jactavit ſub initium Geometriæ ſuæ, univerſa problemata ad radices æquationum certi cujuſdam gradus à ſe reducta eſſe, adeoque in poteſtate haberi. Negavit poſſibilitatem dimenſionis curvarum, quæ tamen poſtea deprehenſa. Lineas tranſcendentes (ut voco) excluſit à Geometria. Linearum problematibus ſolvendis idonearum gradus malè conſtituit notante *Fermatio*. Refractionum naturam perversè explicuit ſimilitudine globuli in tapete vim perdentis, ut defenderet plus aërem reſiſtere quàm aquam. Quantitatem motûs malè pro quantitate potentiæ motricis accepit & ideo ſervandam putavit. Materiam cum extenſione confundit; Unionem ſeu firmitatem à quiete derivavit, quæ à motu eſt; elementa ſua, globulos inprimis, quos vocant, ſecundi elementi & particulas ſtriatas aliaque ſimilia gratis & fruſtra confinxit. Vortices cievit immenſa celeritate diſtantiis proportionali. Porrò brutis ſenſum negat; fictorum potiùs quàm verorum animalium geneſin explicat. Et ut ad graviora veniam, rejecit argumentum divinitatis à providentia & dignis ſapiente finibus rerum, & pro rationibus captu facilioribus metaphyſica ſola ſubſtituit. Dubitationem ad ipſas primas aſſertiones maximè manifeſtas, neſcio quo conſilio produxit, quaſi nihil certò ſciri poſſit, niſi ſuppoſita Dei exiſtentia, quod ipſum credidiſſe nemo credet; aut quaſi veritas ipſa pendeat ab arbitrio DEI, ita ut voluntate ejus conſtitutum ſit, trianguli tres angulos eſſe duobus rectis æquales. Inſinuaſſe videtur, unum in rebus actorem eſſe DEUM, quo abuſus *Spinoſa*, unam tantùm ſubſtantiam in rebus eſſe voluit, ipſum ſcilicet Deum hoc eſt (ipſi) naturam univerſi, cujus cæteræ res ſint modi materiæ. Statuit etiam *Carteſius*, materiam omnes ſucceſſivè formas accipere; ita ut nihil tam abſonum fingi poſſit, quin tandem aliquando aut alicubi in univerſo contingat, quod eſt haud dubiè per conſequentiam omnem ſapientiæ & pulchritudinis rationem (ne dicam providentiam) tollere; quanquam ipſi hanc conſequentiam non imputem, nec ab ipſo animadverſam ſperem. Aliaque hujuſmodi, quæ puto, defendi non poſſe, & nonnihil *Spinoſæ* præluſiſſe.

Sed iſta tamen omnia minimè impediunt, quin *Carteſium* inter maximos viros cenſeamus, qui generis humani opes auxere atque etiam inter errandum proſunt. Itaque *Pythagoram*, *Democritum*, *Platonem*, *Ariſtotelem*, *Copernicum*, *Galilæum*, *Baconum* & *Carteſium* (quibus *Joachimum Jungium* adderem, ſi ſcripta ejus extarent,) alioſque, qui ſibi homines immortalibus meritis obſtrinxere, tamdiu colet poſteritas, quamdiu memoria hiſtoriis, & virtuti veneratio erit.

G. G. LEIB-

Digitized by Google

G. G. LEIBNITII EPISTOLÆ III.

AD D. TENTZELIUM;

Ex ejuſdem Tentzelii *libro Germanico idiomate ſcripto, ſub titulo* Monatlichen Unterredungen *extractæ, & Latinè redditæ.*

EPISTOLA I.

De Nodotii *fragmento* Petronii 1693.

NEſcio an ad te pervenerit nova editio *Petronii*, quæ in Batavis prodiit: Eam mihi monſtravit illuſtris vir *Ezech. Spanhemius*, cùm nuper apud nos eſſet, mecumque planè ſentit, nova illa diuque promiſſa in Gallia ſupplementa hiatuum veteris *Petronii* nihil habere Petronianum. Inſcriptio eſt: *Petronii Arbitri Satyricon cum fragmentis Albæ Græcæ recuperatis anno* 1688, *nunc demum integrum. Roterodami typis Regneri Leers* 1693. 12. Typographo præſanti ſi credimus, » fragmentis hiſce po» titus eſt primus omnium doctiſſimus quidam vir, ſed negotiis militari» bus occupatiſſimus. Hunc maluiſſe premere quàm edere non emendata » nuda. Tandem victum precibus eruditorum dediſſe, ut prodirent; ita » ut quod novum eſt, ex MS. ſuppletum, Italico charactere a reliquo » diſtingueretur: « Hiſtoriam inventi codicis narrat editor *Franciſcus Nodotius* in literis ad *Franciſcum Carpentarium*, Academiæ Gallicæ tunc moderatorem, » Cum primum, inquit, accepiſſem a Dynaſtâ Germano, (hunc nominari non inutile erat ad fidem faciendam) » nobilem Gallum Domi» num *du Pin*, qui jam ab ipſis belli Turcici initiis, in Imperatoris exer» citu meruerat, (mirum ni is quærentes deſtituat) » ea penes ſe habere » fragmenta, nihil non egi ut mihi illum conciliarem. Reſcripſiſſe hu» maniſſimè: Manuſcripto Codice ſe donatum ab Apoſtata Græco, apud » quem in Albæ Græcæ expugnatione hoſpitii causâ diverterat, (quanquam id parum videatur veriſimile, Apoſtatam Græcum captâ urbe Belgradi hoſpitium præbere potuiſſe) » Patrem Græci fuiſſe virum apprimè erudi» tum (ut ſolent, ſcilicet, præſertim in literis Latinis) » Codicem literis » lectu difficillimis exaratum Amanuenſi notis Italicis dediſſe tranſcriben» dum. (Literatum ergo imprimis hunc Amanuenſem fuiſſe oportet: ſed videtur hic quæri excuſatio, ſi quid forte reprehendant viri docti; quan-

quam ſatis ac plus ſatis fluant omnia, modo rectè fluerent, neque enim reſtitutori aqua hæret, ut lectu difficillimo codice uſu venturum videri poſſet) » communicaturum cum *Nodotio*, ſi ſe ad Francofurti hyematurum » accederet. Sed cùm viris militaribus (ex quorum numero *Nodotius*) non » ſolerent facilè dari commeatus, uſum ſe mercatore Francofurdiano, ho» mine ſolerte, nec literarum experte, qui pecuniâ redemerit ab Ama» nuenſi. (Oportet ergo & Amanuenſem Francofurti hyemaſſe: quod ut facilè credamus, malo tamen omine jam ipſe diſparet Dominus *de Scenâ*, aut circumductus videtur per Amanuenſem, quod non erat neceſſarium, ſi pollicitationibus Domini credimus. Verum illud imprimis fidem ſuperat, Viennæ, Francofurti aliiſve in locis Germaniæ, ubi vel Dominus vel eruditus ille Amanuenſis egerant, nemini quidquam auditum de re in literis tam nova inter tot curioſiſſimos talium indagatores. Et ſi corruptus pecuniâ, Amanuenſis Domini theſaurum prodidit, quod nunc miſero publicè objicitur, mirum, cur non lucri cupiditate in plures diffuderit exempla, præſertim cùm eo tantùm interpolationes veteris *Petronii* non magnas deſcribi oporteret.)

Poſtremò » non putat Criticos hic auſuros, quod *Valeſius* & *Wagenſei» lius* in Tragurienſe fragmentum, nam Petroniana, inquit, dictio plane» que ſibi conſtans falſi protinus argueret. « (Rectè, *non auſuros*; quid enim audere opus eſt in re manifeſtâ; vix alia dictio magis diſſidens a Petronianâ.) Data eſt Epiſtola quarto Idus Octobris 1690. Sequitur *Franciſci Carpentarii* reſponſio, Lutetiæ data 9. Novemb. quâ theſaurum repertum *Nodotio* gratulatur: adjectum & epigramma de *Petronio* reſtituto, quod *Santolio* Canonico S. Victoris Poetæ elegantiſſimo adſcribitur.

Cæterum ut ipſe agnoſcas ex ungue leonem, initium aſcribam. *Jam dudum quæ mihi acciderunt, vobis ita narrare pollicitus ſum, ut hodiè promiſſis ſtare decreverim: nobis ad ſcientias non ſolùm explicandas, ſed etiam ad hilaria colloquia, fabulis jucundioribus animanda, opportunè congregatis.*

Fabricius Vejento *de Religionis erroribus jam nunc ingeniosè locutus eſt, & detexit quo doloſo vaticinandi furore ſacerdotes myſteria, illis ſæpè ignota, audaciter publicant: ſed* (ſequuntur quæ hactenus habentur) *num alio genere furiarum declamatores inquietantur?* &c. &c.

Quid judicas quæſo, de hac promulſide? an *Petronium* in hoc *Petronio* invenies? Eſt in vero *Petronio* elegantiſſimus candor, rotunda velocitas, fortunata verborum audacia. Hic languor & frigus: Nec inventi connexioniſque ratio admodum conſtat, tum galliciſmi paſſim, quin & quæ in rationem dicendi peccent. Quis enim ferat: *jamdudum ita ſum narrare pollicitus, ut hodiè ſtare promiſſis decreverim?* Et quæ hæc mixtura eſt, *ſimul ad ſcientias explicandas* (id ſcilicet curabat *Petronius*) *& ad fabulas convenisse?* Et longum ſyrma periodus trahit *Petronio* inſuetum: *Fabricius Vejento*, monſtrum nominis. *Dixit de religionis erroribus*: Hoc magis conveniebat congreſſui Philoſophorum, ut in dialogis *Ciceronis*. *Petronius* ne moriturus quidem ſeria tractavit. *Jam nunc ingenuosè locutus eſt.*

Quàm

Quàm parum ex *Petronii* ingenio dictum? *Fabricius* dixit, *quo doloſo vaticinante furore ſacerdotes myſteria illis ſæpè ignota publicant.* Quis non malet *quam doloſo*, quàm *quo doloſo*? & *ipſis* pro illis. Jam bis in tam paucis ſyntaxis laxior. *Narrare quæ mihi acciderunt, detexit quo furore publicant. Acciderint* potiùs expectes & *publicent*, tametſi & illa ferri poſſint. Quid verò vult ſibi illud: *Sacerdotes vaticinandi furore, myſteria publicare ſibi ignota?* myſterium pro re ignota mortalibus, Chriſtianum eſſet recens, non Petronianum. Myſteria non erant ignota Sacerdotibus, nam ritus erant occulti non ut hodiè arcana divinitatis. Nec ſacerdotes Eleuſinia ſacra efferebant in vulgus. Vates autem non myſteria ſed futura canebant. Saltem par erat, ut expedita tranſitio eſſet a perſonato *Petronio* ad verum, ſed quid tertius, quam a vaticiniis ſacerdotum ire ad declamatores, & quaſi dudum præparata materie ſtatim in declamantium verba effundi. Nihil certius eſt, quàm præceſſiſſe, quæ magis cohærent. Præterea narrare fabulam promiſerat, nunc ex abrupto declamat: Et quod ridiculum eſt, quæ dicit in hoc confabulantium cœtu mox apparet alibi dixiſſe. Oblitus enim inſtituti interpolator. Hæc (inquit poſt illa veri *Petronii* verba: *poſtquam Ægyptiorum audaciâ tam magnæ artis compendiarium invenit*) » olim declamabam, cùm *Agamemnon* nobis ſe admovit, & oculo cu» rioſo inſpiciens quem conciones tam diligentiùs audiebant, non paſſus » eſt me diutius declamare in porticu &c. « Nuſpiam antè *Agamemnon* & ut hoc condones, nihil antè de porticu & concione.

Longum foret, cætera ſupplementa ſollicitare, adeò ſponte labaſcunt: nec aliud quàm *Petronii* nequitiam agnoſcas, quanquam & hanc parum Romanam. Poſtremò *Petronium* credas Evangeliſtas legiſſe, apud quem *vulnerati plagas* (ſic loquitur) *oleo & vino medentur.* Hoc Samaritanus fecit in agro, cùm alia deeſſent, *Petroniani* in urbe imitantur. Sed hæc ſufficere poſſunt in re perſpicuâ, ubi *Valeſii* aut *Wagenſeilii*, nec dicam *Spanhemii* doctrinâ opus non eſt, ut vera ab adulterinis internoſcantur. Tragurianum fragmentum ſtetit, & vindices invenit. Hic puto controverſiæ locum non fore.

EPISTOLA II.

P. P. Noriſii *&* Harduini *controverſia, circa numiſma quoddam: De Jeſuitis: De D.* Auzout: Mabillonii *& Abb.* de la Trappe *controverſia: De Concilio Tridentino: De Alchymiâ: De quibuſdam numiſmatibus: Nova litteraria.*

QUòd mentionem de meis epiſtolis humaniſſimè feceris, imo & quædam earum loca inter tua utilia colloquia retuleris, gratioſiſſimo animo accepi.

Mihi ſcripſit quidam amicus *P. Noriſium* Auguſt. ſua Romæ manſione mini-

minimè contentum esse, quod vix crediderim, potissimè cum majoribus negotiis occupatus, & aliquoties ad Congregationes honorificè convocatus sit, tantum abest ut fastidium afferat ut è contrà gloriæ faveat.

Non nullas equidem cum quibusdam Jesuitis controversias sustinuit, sed multi sunt inter eos qui eum magni pendent, & fertur *P. Segneri* eum ab initio apud summum Pontificem celebravisse.

Ejus de numismate lis quasi composita est, videturque Patrem *Harduinum* meritissimè dixisse legi debere *Cæsaria* nec *Somavia*, & immeritò numisma illud *Domitiano* tribuisse, cùm in alio numismate omnimodo simili, ubi nomen urbis lectu multò difficilius est, *Neronis* nomen inciſum inveniatur.

Si Jesuitæ inter se, imò & ejusdem religionis tot inimicos sustulerint, id eorum summo merito tribuendum. Nec malum erat, *Benedicti Ariæ Montani* consilium, homines ut ab iis sibi caverent monendo: Quamquam existimaverim, sæpissimè eorum famam lædi, & opiniones quæ in eorum mentem nunquam venerunt, iis commodari, qualis fuit *Titus Outer* qui multas de iis ineptias promulgavit, verbi gratia eorum Præpositos Generales audacter omnia munera civilia & militaria in Angliâ distribuisse, aliaque ejus generis somnia: Nihil dicam de ineptiis quibus continetur libellus cui titulus, *L'Empereur & l'Empire trahis*. Certissimum quoque est multos honestissimos viros apud eos existere; revera quoque quosdam effrænatos esse, qui quoquo pretio, & quidem modis indecoris utentes, eorum ordini inserviunt, sed hoc malum commune est, eoque magis apud Jesuitas notatum, quia præ cæteris magis observantur.

D. Abbas *Nazari* libri cui titulus *de i giornali de i Letterati di Roma* author, quædam opera clariss. *Auzout* posthuma edidit, præcipuè ejus in *Vitruvium* notas. D. *Auzout* erat Gallus, & Academiæ Regiæ scientiarum membrum, cujus fundationi multam operam præstitit. Peritissimus erat Geometra, & Astronomus; plurimas Romæ occasiones ædificia & monumenta antiqua explorandi nactus est, è quibus optimas, & utilissimas notitias ad explicandum *Vitruvium* excerpsit; Dubitaverim verò an meliùs in suis operibus posthumis, quàm ipse fecisset explanatæ fuerint.

Mihi certum sit P. *Mabillonii* adversus Abbatem *De la Trappe* responsionem luci datam fuisse; pro ambobus rationem pugnare existimo; videtur enim Abbas verba facere de iis qui Anachoretarum, & solitariorum more vivere volunt, ut indicat etymologia vocis *Monachus*, cùm è contra Ordinum hodiernorum institutum longè differat, iisque permittat ut Deum colendo, hominibus, imprimis eorum scientiæ ope prodesse possint.

Abbas *Pirot* Sorbonæ Syndicus ad me ipse misit suum manuscriptum altissima eruditione refectum, quo probare vult Concilium Tridentinum in Galliis receptum fuisse tanquam Œcumenicum respectu fidei. Non possem hâc de materiâ responsionem diffusam, & per singula capita facere, sed quædam dubia illi proponenda habeo, imprimis, Prælatos Sancto Dionysio

Dionyſio convocatos pro *Henrici IV.* inſtitutione, libenter ei profeſſionem *Pii IV.* Papæ præſcripſiſſe, omittendo verba quæ in duobus locis Concilii Tridentini mentionem faciunt.

Tandem *Lactantius de mortibus perſecutorum* apud Batavos luci datus fuit, ejus editionem curavit D. *Baudri.*

D. *Audin* indicatus eſt ut dimidio muneris pro inſpectione Bibliothecæ Leydenſis fungeretur.

Non dedignatus eſt Poloniæ Rex, me per Patrem *Valtam* qui quædam ejus juſſu negotia Romæ gerebat, certum facere, notas meas de linguis regionum ad Nord-Eſt ſitarum, obſervatu dignas eſſe. Pater *Verbiet* non fuit *Monitor Imperatoris Sinarum*, ſed quantum ſcire poſſum fuit *Præſes Tribunalis mathematici.*

Certè ante annum 1190. obiit *Wernetus* vel *Irnerius* quandoquidem *Morana Friderico I.* coævus, & qui ante illum annum ſupremam diem explevit, de *Werneti* obitu mentionem faciat.

Summo ſanè ingenio erat *Becherus* & multa noſcebat, ſed minus ex proprio quàm ex artiſtarum peritorum penu eliciebat, unde factum fuerit, ut in unoquoque libro quem ſcripſit, nova principia chemica poſuerit. Ignorabam hactenus, nec mihi in mentem venerat, quoſdam fuiſſe qui eum pro Alchimiſta habuerint; ejus dicta non ſemper ſunt theſes: Ego autem de chemiæ prodigiis, ac de Theologiæ miraculis idem ſentio, & exiſtimo nos eis non libentius fidem dare debere, nec levius rejicere; Quamquam, gratia Deo, vera prodigia Theologica multò certiora ſint, & majoris momenti quàm Chemica. Si enim aliquis artem, toti orbi ignotam, aurum & argentum conficiendi inveniret, illud inventum authori nocivum potiùs, quàm utile foret, & ipſe periculum vitæ ſubiret. Et quidem ſi ars iſta communis evaderet, præjudicium indè reſultans certius foret; aurum enim & argentum de ſuo pretio ſummoperè deperderetur, ideoque mercaturæ opes vel omninò perirent, vel ſaltem ſummoperè minuerentur.

Occupatus reverâ ſum hodiernis diebus in colligendis materiis quæ quondam inſervierunt compilandæ Domus *Brunſvico-Luneburgenſis* hiſtoriæ, ſed ſæpiſſimè alienis negotiis juſſu Principis diſtrahor, nec non commercio litterario quod libenter exerceo a quo ægrè deſiſterem.

Ab aliquot annis juſſu Ducis Hanoveræ iter in altiorem Germaniam & Italiam habui; antequam Hanoveram adiiſſem Gallias perluſtraveram.

Quædam de tribus numiſmatibus menſe Octobri notabo. Primum eſt cui titulus *Roſenobel*, vel *Eduardus Nobel* (Vid. indicem capitum Libri de Arithmeticâ *Nobelii*): ſecundum nominatur *Julius Loſer*, quæ moneta a verbo Germanico *einloſen*, *redimere* nomen accepit, narrante mihi quodam amico, cui pater octogenarius Brunſvicenſis incola tradiderat, cùm quo avus ſuus plurimis occaſionibus de naturâ & ſpecie iſtius monetæ, eodem ſenſu quo indico, verba facere ſolebat. Cùm autem nullum dubium re-

lationi incolæ Brunſvicenſis, qui tempore Ducis *Julii* vivebat, objiciendum ſit, immeritò increpatus fuit Dux quod *Loſer* hanc momentoſam monetam nominaverit.

Tertium tandem eſt parvum numiſma argenteum puſtulatum, ab aliquot diebus, anni ſecularis academiæ Erfurtenſis occaſione cuſum, quod duodecim *groſſis* Gothæ venit: In utraque parte leguntur inſcriptiones: In priore *Academiæ Erfurtenſi CCC. annos florenti ſacrum*; in aversâ *Rectore Nicolas de Gouverneur Abbate S. Petri Reverendiſſimo Anno Jubilæo M. DC. XCII.* Et in oris: *In Aug. An. M. DC. XCII. Rectore Ludovico Mullero Arnſtadienſi.*

In appendice menſis Novembris, notas in Decadem Doctoris *Wedelii* luci daturus ſum. Sed cùm hujus menſis ephemeris multò cæteris ampliaverit propter indices, notas meas in annum proximum remittam, ut & Diſcurſum de *Periſolii* geographiâ, cujus mentionem fecit *Bernardus* in ſuâ quam hic adjungo ad *Ludolfum* Epiſtolâ, qua hunc annum circumſcribam, ut ei finem honorificum imponam tanti viri opere, & novis ſcriptis de rebus hiſtoricis & botanicis illuſtrem.

EPISTOLA III.

De vanâ Aymari *arte rhabdomanticâ. 1694.*

AD Gallicam de virgulâ divinatoria epiſtolam ad te miſſam hæc addo, ab eo tempore a me audita ex ore Sereniſſimæ Duciſſæ, Viduæ *Johannis Federici* quondam inclyti Principis, quæ nuper ex Galliâ ad nos venit, & *Jacobum Aymarum* Rhabdomanticæ artis magiſtrum ipſa in palatium ſuum vocari juſſit, & vanas ejus artes eſſe examinando comperit. Idem fecit magnâ curioſitate, etiam ipsâ partim præſente Sereniſſimus Princeps Condeus, qui ſororem ipſius in matrimonio habet. Is *Aymarum* Lugduno accerſiverat indaginis causâ: Excuſſum multis modis homuncionem, & deprehenſum, tandem ad confeſſionem fraudis adegere; quam ſibi ignoſci petiit ſupplex, & graviora metuens, cauſatus non tam propriâ audaciâ, quàm alienâ credulitate hominum falli volentium, & velut obtrudentium ſibi, quæ alioqui nec jactare auſus fuiſſet, ſe ſe in hæc impulſum eo tandem perveniſſe, unde pedem commodè non potuerit referre. Facilè condonavit homini magnanimus Princeps: ſed erant qui ſuaderent diſſimulari comperta, & conſervari famam hominis, vel artis, utili dolo, quod conſtaret, furibus aliiſque malis hominibus, magnum metum fuiſſe injectum, & ob famam adventantis alicubi rerum furtivarum pretia fuiſſe relata: ſed Duciſſæ pariter noſtræ, ac Principis egregii ſententia fuit potiorem habendam rationem veritatis. Mea interfuit publicari, nam propè pertinaciæ accuſabar ab amicis, quaſi nollem manus dare poſt tot gravium virorum oculata teſtimonia. Ego verò prævaricator eſſe in causâ naturæ, cujus amore, quæ

quæ narrabantur, abhorrebant. Et ſcripſi nuper *Paraſio* utilius, & examine dignius, mihi videri problema morale, vel logicum, quomodo tot viri inſignes Lugduni in fraudem ducti fuerint, quàm illud pſeudophyſicum, quod tractavit *Vallemontius*, meliori materiâ dignus, quomodo *virga corylacea* tot miracula operetur? Nam moralis illa quæſtio excuſſa pro dignitate multorum errorum popularium origines ſæpè ſpecioſas aperiret. Hæc autem, cùm magnæ & judicioſiſſimæ Principis auctoritate nitantur, meâ fide arte publicari non repugnaverim, ut hoc tam recenti ſpecimine cautius mercari diſcamus in credendis mirabilibus narrationibus. Nam niſi Princeps *Condeus* cognoſcendæ rei tantùm ſtudii, imò & ſumtus impendiſſet, laboraremus adhuc, & conflictaremur cum quibuſdam ingeniis, quibus gratius eſt per mira falli, quàm nudæ veritatis ſimplicitati acquieſcere.

EPISTOLA AD D. ELERUM

Reipublicæ Gedanenſis Secretarium.

Ex Kortholti Tom. III.

I. *De* Jacobo Papino. II. *De bona Logica ſufficiente controverſiarum judice.* III. *Nova litteraria.*

I. Litteræ tuæ cum *Jacobi Papini* libello (*a*) mihi redditæ ſunt ſat citò, quia ſat bene. Itaque gratias tibi debeo, quòd non tantùm mittere, ſed & ſcribere voluiſti. Bene habet quòd ipſo Cl. *Papino* jam extincto accepi, non quòd grata mihi mors ejus ſit, ſed quòd inutili labore examinandi opuſculi levatus ſum, de quo nihil admodum dicere potuiſſem magnopere gratum viro. Argumenta, quibus utitur, ſunt merè Pyrrhonica, & valent ad omnia reddenda incerta in rebus humanis: & pari jure neque in Hiſtoria, neque in ſcientiis quicquam certi conſequi poſſemus, ubi diſſentiunt auctores.

II. Ego puto, bonam Logicam eſſe ſufficientem judicem controverſiarum, ubicunque data ſunt hominibus dijudicandi fundamenta. Verùm ſunt quædam, ubi neceſſe eſt ἐπέχειν; & ubicunque neceſſe eſt, ibi etiam licet. Atque hoc ipſum per Logicam conſequi poſſumus, neque ego aliam hic poſtulo, quàm vulgarem illam, cujus præcepta *Ariſtoteles* dedit. Sed quoties inter plura, argumentis non ſophiſticis nec tamen demonſtrativis

(*a*) La Tolerance des Proteſtans &c. par M. *Papin*, ci-devant Prêtre de l'Egliſe Anglicane, & enſuite réüni à l'Egliſe Catholique. De la ſeconde édition de ce livre. v. Journal Literaire, Tom. I. pag. 361.

fulta, dijudicandum eſt, quodnam ſit veriſimilius? fateor, indigere nos Logica nova de gradibus veriſimilitudinis, cujus præcepta nondum exſtant, ſed quædam tamen femina nuſpiam melius habentur quàm apud Juriſconſultos.

III. Quas communicaſti mecum benevolè obſervationes Aſtronomicas, ad Lipſienſes miſeram, ut actis inſererentur, ſed jam antea factum deprehendi. Reſpublica veſtra florentiſſima habet, quod in tantis Poloniæ calamitatibus ſibi de quiete gratuletur: ſed apud Polonos dabit Deus his quoque finem. Et ſpero Magni Ruſſorum Monarchæ ſalutarem in ea re interventum fore. Gaudeo ampliſſimum *Hekerum* tecum tueri Prutenicum in re Aſtronomica decus. Neſcio an apud vos agat Domina vidua *Kirchia*, cujus meritum meritò magni fecere, qui hoc intelligunt: aiunt filium laudabiliter patriſſare. Pruſſia ſemper abundavit egregiis ingeniis, & mihi gratum erit intelligere, qui nunc floreant, & qui flores fructuſque minentur. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 10. *Maii* 1716.

EPISTOLÆ DUÆ.

AD JO. CHRISTIANUM LANGIUM,

Summum Antiſtitem Idſtenienſem.

EPISTOLA I.

I. *De eo quod nimium eſt in hiſtoria litteraria.* II. *De opere Encyclopediæ* Alſtedii. III. *De Logica demonſtrativa.*

I. MIrificè illis pro modulo meo favere ſoleo, qui ardore ſingulari ad bonum publicum promovendum feruntur, præſertim circa *augmentum notitiarum humanarum*; in quo verus humani generis Theſaurus conſiſtit. Quorum in numero quum te quoque eſſe videam, potes me computare inter adjutores tuos. Scriptum breve Germanicum, quod tranſmiſiſti, (a) (pro quo gratias ago) ad eos potiſſimum pertinet, qui præpoſtero pietatis ſtudio veras utileſque doctrinas contemnunt; quia non intelligunt, quanti ſit momenti ad gloriam Dei & caritatem Chriſtianam. Ceterum quod rem ipſam attinet; nolim nos diu nimis immorari *Hiſtoriæ Litterariæ*; quum, (qualis vulgo haberi ſolet) comparo pyxidibus pharmaco-

(a) Reſpicit *Leibnitius* ad primam partem libri vernaculi, cujus index: Ausführliche Vorſtellung von einer zu aller rechtſchaffenen Gelehrtheit gereichenden Anſtalt, u. ſ. w. qui poſtmodum plenior prodiit 1720. in 4. Idſtenii.

macopolarum, & hominem illa potiſſimum contentum pharmacopolæ, magis pyxides, quàm medicamentorum illis contentorum compoſitiones, noſcenti.

II. Itaque vellem ut aliquot eruditorum & bene animatorum ſtudio componeretur *Opus Encyclopædiæ*, qualem olim tentavit *Alſtedius*; ſed quæ nunc tota refundenda eſt; ob innumera maximi momenti, quæ ab eo tempore acceſſere. Cuilibet parti adjungenda eſſet brevis narratio, quæ originem ejus doctrinæ, ortus, progreſſus, & auctores unde uberiora peti poſſent, contineret. Tua mihi ad tale opus velut introductoria videatur, & quæ Encyclopædiam elaboraturis adjumento eſſe poſſint: ſed opus eſt deſcendi in ſpecialiora. Quæ Societati Regiæ Berolinenſi miſiſti, non tantùm ob abſentiam non vidi, ſed etiam nihil de iis fando accepi.

III. *Quadratum* tuum *Logicum* vidi, & placuit. Excogitaram olim juvenis nonnulla hujuſmodi, ut linearum ducto oſtendi poſſet conſequentia, vel ἀσυλλογιςία. Demonſtravi etiam quamlibet quatuor figurarum (tot enim revera ſunt) habere ſex modos concludentes. Tota Logicarum conſequentiarum doctrina non minus demonſtrativa eſt, quàm Arithmetica aut Geometria; idque Juvenis olim multis modis ſum expertus. Et in eo continetur, ut ſic dicam, *Algebra Univerſalis*. Nam vulgaris Algebra eſt Doctrina de Quantitate in genere, ſeu de numero indefinito: ſed vera Characteriſtica quandam, ut ſic dicam, Analyſin præbet, quæ ad omnem rationem accuratam pertinet. Et ſortaſſe, ſi Deus mihi vitam prorogat, aliquod ejus ſpecimen aliquando dare licebit. Quod ſupereſt, vale & fave, & Dn. *Liebknechtium*, alioſque, qui mihi favent, ſaluta. *Hanoveræ die 5. Junii 1716.*

EPISTOLA II.

I. *De condenda Scientiarum ſocietate.* II. *De* Ittigiis.

I. ALteras a te litteras ſanè gratiſſimas accepi, & valde probo, quòd porrò oſtendis ſtudium de publico bene merendi. Putem tamen nihil eſſe præcipitandum; ſed pedetentim eundum ad ſolidam laudem, veroſque fructus. Itaque vereor, ut *ſcheda impreſſa*, quam ad me miſiſti, hoc rerum habitu proſit; imò vereor, ne noceat. Plerique enim non ſpectant conſilii bonitatem in futurum; ſed volunt, quòd ſtatim teneant manu. Nec ſuaſerim ut certa amittas manibus, dum ambigua expetuntur. Apud Reges Principeſque & eorum adminiſtros rei pecuniariæ curatores nihil facilè obtineas; niſi aliquid ſpecioſum oſtendas, aut cujus præſens uſus appareat. *Magnus Imperator* præclara agitat conſilia cõndendæ *ſcientiarum ſocietatis*, & ſcripto etiam *Decreto* mihi rei curatio commiſſa eſt. Et ſpero, ubi nonnihil reſpiraverit aula ab incredibili ſumtu, qui in bellum præſens poſcitur, rationem initum iri novæ fundationis, quæ viris egregiis

viam aperiet, ad præclara deſtinata in rem conferenda. Itaque mihi, amiciſque dico: *Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.* Eo enim res loco eſt, ut poſt maximam victoriam, aut pax optata ſit ſecutura, aut bellum ſemet pro bona parte alat. Interea ſuadeo, ut in ſtudio decurrendo pergas, & de ſpeciminibus cogites, quibus etiam incredulis aſſenſus facilius extorqueatur; qua in re ſi conſilio, vel opera adjutor eſſe poſſem, non deero.

II. *Jo. Ittigium* Profeſſ. Phyſices colui puer. Filii ejus *Thomas*, & *Godefridus Nicolaus*, etſi ætate priores, mihi in ſchola contubernales, & amici fuere. Sororem eorum Matrem tuam me vidiſſe arbitror. Patrem tuum, ejus maritum, non nominaſti. Libellum tuum Societati Regiæ Berolin. dedicatum, ad me non perveniſſe haud miror; quum in Aula Cæſarea tunc longè ſemotus egerim. Protheoriam tuam eruditionis univerſæ me legiſſe non memini. Quod ſupereſt, vale, & bene rem gere. *Hanov. d. 9. Sept. 1716.*

EPISTOLÆ DUÆ.

AD SIMONEM LOEFLERUM,

SS. Theol. Licentiatum & Eccleſiaſten Lipſienſem.

Ex Kortholti Tom. IV.

EPISTOLA I.

I. *Nova quædam litteraria.* II. *De* Erneſti, *Haſſiæ Landgrafii, libro Germanico,* Diſcret-Catholiſcher. III. *De* Arnaldi *Theologia morali Jeſuitarum.*

Affinis Honoratiſſime,

I. REi litterariæ apud vos ſtatum ſcire deſidero. *Schurzfleiſchius* quidam Wittebergæ Parnaſſum mirè turbaſſe dicitur. Fratrum *Adriani* & *Petri de Walenburg*, quorum ille eſt Colonienſis, hic Moguntinus Suffraganeus, opera polemica conjunctim imprimi intelligo. Sunt mihi cum poſteriore colloquia non rara. *Erbermannus* quoque nunc in Collegio Jeſuitico Moguntino agit, Fulda nuper huc translatus, ſed in hoc minuit præſentia famam.

II. *Erneſtus*, Haſſiæ Landgrafius, ille ipſe mutata religione celebris, librum Germanicum ſatis ſpiſſum edidit, titulo: *Diſcret-Catholiſcher*, in quo utriuſque partis vitia æquali & Romanæ Curiæ inviſiſſima libertate per-

perſtrinxit. Liber ille in manibus paucorum verſatur, neque enim habere poſſunt, niſi quibus ille donaverit.

III. Doctoris cujuſdam Sorbonici (id eſt *Antonii Arnaldi*) prodiit ſuperiore anno in Gallia *Theologia Moralis Jeſuitarum*, opus recens, ex ipſis eorum ſcriptoribus collectum, quo illi in magnam invidiam paſſim adducuntur. Si Lipſiam devenerit, habebit Cl. *Stegerus* noſter pro laudabili more ſuo novam vertendi excerpendive materiam. Quæ ſuper *Novi Teſtamenti verſione Gallica Janſeniſtica* excitatæ ſunt nuper in Gallia lites, non ignoratis, opinor. Ceterum hæc ideo ſcripſi, ut ad vicem reddendam te provocarem &c. *Francof.* $\frac{10}{20}$ *April.* 1669.

EPISTOLA II.

I. *De* Lyſeri *nova ſcholarum reformatione Durlaci rejecta.* II. *De* Spanhemii *hiſtoria* Jobi. III. *De fratrum* Walenburgiorum *operibus.* IV. *De litibus Calixtinis.* V. *Nova litteraria deſiderat.* VI. *Notitias & Catalogos MStorum in Saxonia latitantium cum amico communicandos optat.*

I. *Lyſerum* noſtratem audio paſſim diſcurrere. Fuit Durlaci, & in aula propoſuit novam quandam ſcholarum reformationem & meliorem, quàm quæ paſſim obtinet, rationem inſtituendæ juventutis; cui rei perficiendæ deſignationem obtulit cujuſdam collegii methodiſtarum inſtituendi, eique Principem Protectorem optabat. Reſponſum eſt: E Principis dignitate eſſe exercitibus potiùs, quàm exercitiis ſcholaſticis præeſſe. Exiit igitur Durlaco indignabundus, &, ut Conſiliarius illinc aliquis per jocum ſcripſit, pulverem calceamentorum excutiens in ingratas terras.

II. In re litteraria, ſacra præſertim, pauca his locis nova. Heidelbergæ *Spanhemius* junior molitur hiſtoriam *Jobi*, cujus ſummam ipſe mihi retulit, in acidulis Swalbacenſibus agenti. *Jobum* putat vixiſſe in Arabia felice, *Moſe* longè poſteriorem; adverſaria colloquii illius Arabiæ conſignata, videri ſibi tempore *Davidis* aut *Salomonis* veniſſe in manus Iſraelitarum, & circa eadem tempora Ebraice reddita eſſe, neque enim ovum ovo eſſe ſimilius, quàm *Salomonis* & *Jobi* ſtylum, demtis hujus Arabiſmis. Addidit, ſibi in animo eſſe, de pleriſque libris hiſtoricis N. T. criticen exercere.

III. *Walenburgianorum* fratrum alter obiit prope Moguntiam in thermis Wisbadenſibus, *Adrianus*, Suffraganeus Colonienſis. Reſtat *Petrus*, Suffraganeus Moguntinus, ſed eum ad Colonienſes abiturire ajunt fratri ſucceſſurum. *Petrus* longè altero eruditione ſuperior; &, quæ illi ediderunt, ferè omnia ſunt *Petri*. *Adrianus* tantùm operam dedit, ut Coloniæ imprimerentur. Opera *Walenburgiorum* generalia in folio ſimul collecta nunc tandem prodiere. Præceſſit eorum compendium, in 12mo in Belgio editum, hoc titulo: *Fratrum Walenburgiorum tractatus generales contracti.* Ego aliquando eum libellum, quia exiguus eſt, itineris alicujus comitem mihi elege-

elegeram, adſcripſeramque notas perpetuas ſuccinctas marginales refutatorias. In iis multis modis detexi ridiculas illas ineptias ſpecioſæ, ſed in vulgus tantùm, methodi Veronianæ. Et quia illi paſſim ad JCtos provocant, hos ſe judices controverſiarum deſiderare profitentur, terminis etiam Juridicis in libris de præſcriptione, de teſtibus, de inſtrumentis, de judice controverſiarum fidei utuntur, oſtenſum eſt, quam ſint illa omnia inania & a vera juris ratione aliena. Has notulas, quia compendio omnium *Walenburgianorum* refutationem continent, fortè aliquando cum ipſis tractatibus generalibus contractis, diſſimulato tamen meo nomine, imprimi patiar.

IV. Apud Vos Calixtinas lites recrudeſcere audio, cujus culpa, non dixerim. Illud tamen diſſimulare non poſſum, mirificè de his ſciſſionibus exultare Pontificios, & mihi ab eorum fannis crebro aures dolere. Scriptum mihi eſt Helmſtadio, in vicinia Brunſvicenſi parochum quendam ruralem, hominem ſimplicem & bonum, ſed zelo domus Dei mirificè ſcilicet accenſum, publicè ſic concionatum: O auditores optimi, ne dubitetis ad ultimam mundi ſenectam nos perveniſſe. Diabolus enim non ceſſat, novas ab inferis hæreſes eructare. Ecce enim, quid audio, prodiit, proh dolor! & quidem in vicinio nobis Helmſtadio nebulo aliquis ſectarius diris pullus, qui *Syncretus* appellatur. Vix credetis, auditores, quam pernicioſa & nefanda doceat. Habet jam multos adhærentes, quos appellant Syncretiſtas. O bone Deus! in quæ tempora nos reſervaſti! Deus citò conterat ſatanam ſub pedibus noſtris. Ita eſt ſcilicet, novos hæreticos fingimus, veteribus non debellatis.

V. Quis ſit ſtatus rei apud vos litterariæ, quæ memorabilia prodierint, ſcire deſidero; quid item moliantur Viri veſtrates eruditi; Reineſiana quo poſt deplorabilem *Brummeri* mortem ſint loco. Quid Mathematici veſtri *Titelius*, *Kuhnius*, *Iblius*, aut novi invenerint, aut veteris interpolaverint.

VI. Habeo amicum magna Hiſtoriæ Germanicæ medii ævi cognitione pollentem, quo in genere paucos ei in Germania pares puto. Is pleraque in Bibliothecis ſuperioris Germaniæ latentia MSta antiquitatum Germanicarum in numerato habet; nunc deſiderat notitias ſaltem & catalogos adipiſci MStorum in Saxonia noſtra latitantium, qualia extant haud dubie multa in Bibliothecis publicis Academicis, cathedralibus, cœnobialibus. Multa mihi haud vulgaria communicavit & communicaturus eſt, ideoque virum contrario officio obligare quæro. Quare ſi in hoc genere in perquirendis talibus per te alioſque ſive Lipſiæ, ſive Martisburgi, Halæ, Miſenæve operam poſueris, non illum tantùm, ſed & me tibi dudum obſtrictiſſimum magnopere obligabis. *Ittigius*, *Franckenſteinius*, *Thomaſius*, *Nericus*, *Zimmermannus*, *Schlegelius*, aliique Viri docti facilè hac in parte ſubſidio venire poſſunt. Quod ſupereſt, vale. *Francofurti*, 25. *Sept.* 1669.

EPISTO-

EPISTOLÆ XXI.

AD FRIDERICUM SIMONEM LOEFLERUM.

Ex Kortholti Tom. IV.

EPISTOLA I.

Leibnitius *teſtimonia Pontificiorum deſiderat, hos in condemnando multo noſtris eſſe laxiores.*

Cognate Chariſſime,

FUit mihi nuper Epiſtolica concertatio cum Pontificio quodam, Viro docto, & cùm viderem illarum partium homines gloriari, quaſi Proteſtantes non audeant condemnare Pontificios, contra vero a Pontificiis condemnentur, ego ipſi oppoſui, non niſi contumaces damnari, imò Pontificios eſſe multo noſtris laxiores, nam & infideles ab iis ſalvari, quemadmodum ſæpe ipſis a noſtris fuerit objectum. Vellem autem tua opera teſtimonia Pontificiorum ſcriptorum habere, & quidem quod Autores graves & probati inter ipſos doceant propoſitiones ſequentes. I. quòd ex Pontificiorum ſententia hæretici materiales, qui ſcilicet contumaces non ſunt, non damnentur. II. quòd ſecundùm Pontificios hæreticus materialis, vel alius extra Eccleſiæ ipſorum communionem conſtitutus, poſſit abſolutionem & ſalutem conſequi, etiam ſine ſacramento pœnitentiæ, modò exerceat veram contritionem, profectam ſcilicet non ex ſolo metu pœnæ, ſed ex vero amore Dei ſuper omnia, in quo ſcilicet ipſi contritionem ab attritione diſtinguunt. III. quòd Pontificii quidam autores hoc etiam extendant ad ipſos infideles materiales, qui ſcilicet occaſione fidem in Chriſtum diſcendi aliiſque proficiendi requiſitis caruerunt. Unde quidam apud ipſos *Ariſtotelem* & alios Philoſophos ex ſolis naturæ lumine revelatis ſalvari potuiſſe docuerunt, quod noſtri ipſis tanquam *Pelagianum* exprobraverunt. *Hanov. 9. Febr.* MDCXCII.

EPISTOLA II.

Lites de Boehmianis ſententiis inanes judicantur.

LItes de Boehmianis ſententiis inanes eſſe cenſeo, & *Boehmium* nec ſibi, nedum aliis intellectum. Rectè igitur Dn. *Hinckelmannus* urget *Boehmii* ſectatores, ut mentem verbis communibus explicent; prorſus quemadmodum

dum *Weigelius* olim Ienæ me juvene Peripateticos Scholaſticos premebat, ut popularibus verbis ſenſa animi exprimerent. Quæ vera eſt ratio nugas e latebris in lucem protrahendi. *Han.* 13. *Jan.* MDCXCIII.

EPISTOLA III.

I. *De controverſia* Leibnitii *cum* Peliſſonio. II. *De* Horbio.

I. QUod de ſcripto meo Gallicè edito quæris, ita habet. *Peliſſonius*, Vir celebris, quædam contra Proteſtantes ediderat; ego juſſu Sereniſſimæ Dominæ pauculas ſchedas implevi animadverſionibus modeſtis, quibus ille reſpondit humaniſſimè, & a me replicatum, & ab ipſo duplicatum. Inter alia oſtendi, malè Pontificios noſtris Eccleſiis indifferentiſmum objicere, cùm ex ipſorum principiis omnis generis infideles, nedum hæretici materiales, modo Deum vero affectu ament, colantque, etiamſi revelata vel neſciant vel non credant, ad ſalutem æternam admittantur. Quod argumentum contra ipſos miratus ſum a noſtris Theologis non crebriùs fortiusque urgeri.

II. Cum pl. Rdo. *Horbio* fuit mihi olim commercium litterarium, quando ambo juvenes eramus. Nunc viſus mihi eſt mutaſſe judicium de rebus & quæ non tantum utilia, ſed etiam pene neceſſaria cenſeo, pro ſuperfluis damnare. *Han.* 31. *Jan.* MDCXCIII.

EPISTOLA IV.

I. Loeflero *in Belgium profecturo commendationes promittit.* II. Miegius *laudatur.* III. *Notitiam eorum, quæ ex Iungianis periere aut etiamnum ſuperſunt*, Leibnitius *petit.*

I. REctè facturum te puto, ſi in Belgium excurras, nec tibi qualibuscunque meis commendationibus deero. Cum Brema tranſibis, faciam tibi additum ad Dn. *Meierum*, filium, doctiſſimum inter Reformatos Theologum, qui & hiſtoriam reformationis molitur, & in Belgio novit eruditos.

II. Excurret præterea poſt Paſcha in Belgium Dn. *Miegius*, Profeſſor Rintelenſis, juvenis quidem, ſed qui annos doctrina ſupplet. Hujus ſi uteris conſuetudine, multa noſces alioqui obvia non futura. Ego ero pararius. Reformatus eſt, fateor, ſed prudentis eſt, etiam iis uti ſcire, quorum ſententiæ non per omnia conveniunt tuis.

III. Memoriam etiam tibi, quoniam Hamburgi commoraris, de Iungianis refricare volo. Adi quæſo & ſaluta meo nomine Nobiliſſimum *Webizerum*, ſic enim, (ſi bene memini) nomen eſt, qui eſt, ni fallor, inter *Iungiani* teſtamenti curatores, & ab eo pete notitiam eorum, quæ ex *Iungianis* periere aut etiamnum ſuperſunt. Simul ſignifica, gaudere me, ſi

valet

valet ex ſententia, ut ſpero, dolere autem de jactura *Iungianorum*. Offer illi præterea exemplum tituli operis, quod edo. Terna tibi mitto, unum in uſum tuum, alterum ut offeras *Webizero*, quem dixi, tertium *Placcio* doctiſſimo viro & mihi amico, quem rogo, ut itidem a me ſalutes officioſiſſimè. Utrumque per te rogo, ut ſi qua diplomata aut ſimilia digna curioſitate publica mihi communicare velint poſſintve de ſua vel amicorum penu, me beneficium agniturum. *Han. 6. Mart.* MDCXCIII.

EPISTOLA V.

I. *De* Antonio Matthæo, *JCto.* II. *De* Gisb. Cupero. III. Loeflero, *quæ videt & audit, annotare ſuadet.* IV. *De* Leuwenhoeckio.

I. EST, ut opinor, Lugduni Batavorum doctiſſimus JCtus, *Antonius Matthæus*. Is de nobilitate, de jure gladii, Chronicon Egmondanum & alia præclara dedit, quibus media hiſtoria plurimum illuſtratur, qua ego quoque maximè opus habeo. Hunc, quæſo, a me quàm officioſiſſimè ſalutes, ſignificeſque, quanti præclara ejus opera æſtimem. Fortaſſe poterit aliqua conferre Vir egregius ad inſtitutum meum. Et per ipſum fortaſſe parari poterit notitia alicujus viri apud Batavos in publicis negotiis inſigniter verſati, qui Actorum publicorum ſymbolum conferre poſſit.

II. Eſt & alius Vir in Batavis inſignis & multæ auctoritatis itemque in litteris celeberrimus, *Gisb. Cuperus*, cujus ſumma eſt antiquitatis omnis peritia; extantque ejus *Harpocrates* aliaque excellentis doctrinæ plena ſcripta. Hunc ſi detur adire eademque apud eum agere meo nomine, quæ apud *Antonium Matthæum*, pulchrè facies; ſed non poſſum indicare, nunc in quo Belgii fœderati loco agat.

III. Ante omnia ſuadeo, ut ſemper notes, quæ audiſti vidiſtive, eamque in rem pugillares tecum deferas, unde veſperi in chartam transferre tumultuaria annotata poſſis.

IV. *Leuwenhoekium* Delphis adibis, & a me ſalutabis etſi ignoto. Licuit mihi olim ejus favore videre præclara microſcopica ſpectacula; quæ, ne negligas, hortor. *Hanov.* $\frac{1}{11}$ *Maii ejuſdem anni.*

EPISTOLA VI.

I. *De munere theologico* Baiero *aut* Schmidio *conferendo Helmſtadii cogitatur.* II. Schmidium *de hoc munere expiſcandum optat.* III. *De* Sagittarii *MSptis hiſtoriam Germaniæ illuſtrantibus.* IV. *Res Brunſvico-Luneburgicas illuſtrare* Leibnitius *molitur.*

I. NUnc venit aliquid in mentem, quod a te peto, ſi commodè curare potes. Noſtræ aulæ cogitant de viris doctis Helmſtadium accerſendis, qui cathedris in Theologica facultate vacantibus præficiantur. De

Baiero & *Schmidio*, insignibus Viris, inter alios cogitatum est. *Baieri* causſa scripsi ad celeberrimum *Weigelium*, amicum veterem; rescripsit obscurius. Iterumque interroganti mihi non satisfecit. Interea nuntiatum est, *Baierum* ad Salinas Saxonum vocari novam Academiam ornaturum. Quin & rumor supervenit, de *Schmidio* illuc transferendo cogitari. Itaque *Baierum* nobis præreptum puto; de *Schmidio* nec dum despero.

II. Quod si ergo nondum apud vos pro certo habeatur, etiam cum *Schmidio* transactum esse, peto, ut ipse (dissimulata tamen causſa) Ienam te quàm maturrime conferas, & Virum præclarum meo nomine compellans salutansque exquiras, quid animi sit ipsi. Nam si res integra est, fortasse ita institui poterunt omnia, ut non illibentius Helmstadium quàm Halam sit iturus. Itaque effice, quæso, ut Vir pl. Rev. mentem suam quàm lucidissimè exponat, ut, quod apud nostros rerum administros in deliberationem venit, auctoritate Dominorum perfici possit. Utile autem erit, nosse circiter, quo ille salario futurus sit contentus. Et fortasse effici potest, ut *Heigelii* exemplo cum Theologia etiam Mathesin doceat, sed & subinde alia commoda accedere possunt.

III. Unum adhuc rogo, ut quæras, quorsum devenerint *Sagittarii* MSta. Nam scriptum est quidem *Schmidio* reliquisse, sed vereor, ne de illis accipiendum hoc sit, quæ pertinent ad Historiam Ecclesiasticam perficiendam. Mihi verò maximè illa sunt curæ, quæ pertinent ad Historiam Germaniæ. Nam ex iis, quæ edidit, constat, Virum doctissimum habuisse non pauca Chronica & monumenta inedita, variique generis subsidia undecunque conquisita, quin & non exiguum apparatum collegisse ad Historiam Brunsvicensem ornandam; quod ipse mihi aliquando per litteras significavit. Quæso igitur occasione data de Sagittarianis illis inquire studiosius, sed quasi tua ductus propria curiositate, ne quid de me traluceat. Quod si sciamus, quo sint loco, aut cujus momenti, cogitandum erit, an aliqua ratione obtineri prece pretiove possint, quæ maximè in rem nostram futura videbuntur.

IV. Nobis enim curæ est, conquirere, quæ res Brunsvico-Luneburgicas vicinasque illustrare possunt. Quod superest, vale, & ama avunculum tui amantissimum. *Han.* 5. *Jul.* MDCXCIV.

EPISTOLA VII.

Antitrinitarii cujusdam Anglici libri recensio.

FOrtasse didicisti ex novellis publicis, Antitrinitarium quendam audaci consilio libelli sui exemplaria Parlamenti Anglici membris misisse. Ex his unum ad nos pervenit, unde excerpta tibi mitto, sed mihi ex nundinis Lipsiensibus aliquando remittenda. Venit enim in mentem, tibi exercitationem Theologicam meditanti, posse refutationem ejus præbere materiam

riam novitate ipſa plauſibilem. Duæ ſunt partes. Prior inſcripta eſt: Quæſtiones de Deo. Reſponſiones erant concinnatæ ipſis Scripturæ verbis, ſed ego annotavi tantùm loca, quia verba textuum quivis ſupplere poteſt. Pars poſterior inſcribitur: Refutatio Trinitatis. Autor non eſt Socinianus, ſed refutat Socinianos. *Arii* dogmata potiùs ſequitur, qui Chriſtum faciebat primam creaturam, cujus errorem reſuſcitavit noſtro tempore *Chriſtophorus Sandius*. Habet iſte hoc peculiare, quòd damnat adorationem Chriſti, quam tamen Sociniani aliique Anti-Trinitarii admittunt. Itaque iſte proximè accedit ad Mahumetanos. Talis fuit olim in Tranſylvania quidam *Franciſcus Davidis*, cujus cum *Socino* diſputatio de adoratione Chriſti extat inter ſcripta *Socini*. *Han.* 7. *Mart.* MDCXCIV.

EPISTOLA VIII.

I. *De Comitis* de Rocheſter *vita*. II. *De* Schelgvigii *itinerario Pietiſtico*. III. *De ſcripto* Beauſobrii *contra facultatem theologicam Lipſienſem*.

I. VItam *Rocheſter* Comitis legi Anglicè, verſionem Germanicam nondum inſpexi. Angli quidam mihi aſſeverarunt, converſionem ejus dubitationibus non nullis obnoxiam eſſe.

II. Amicus, qui Lubeca tranſiit, mihi aſſeveravit, itinerarium Pietiſticum D. *Schelgvigii* ipſi D. *Pfeiffero* diſplicere. Et fateor, mali exempli eſſe, omnigenas narratiunculas publico obtrudere, & ſuſurris & rumoribus famæ atque exiſtimationi honeſtorum virorum gravem eſſe. Probationibus opus eſt non relationibus relatorum.

III. Vidi nuper, quæ concionator Reformatus Berolinenſis Gallus, ni fallor, dictus *Beauſobre*, contra veſtram Facultatem Theologicam ſcripſit paullo mordacius, ut mihi videtur, quàm erat neceſſe. Etſi veſtri mihi in judicio ſuo de tranſitu Principis Saxoniæ ad Reformatos limites exceſſiſſe videantur. *Guelferb.* 12. *Jan.* MDCXCVI.

EPISTOLA IX.

Utrum hæreſis ſit crimen.

EPiſtola Dn. *Rotthii* non malè ſcripta viſa eſt, ſi quædam acriora fuiſſent omiſſa. Vellem eruditos ita ſaltem ſcribere in ſe invicem, uti colloquuntur inter ſe Viri ad humanitatem perpoliti. Quod quæſtionem attinet: utrum hæreſis ſit crimen? puto facilè rem conſtitui poſſe. Sententiam ipſam per ſe etiam peſſimam, quatenus involuntaria eſt, non eſſe crimen, facilè concedi poteſt. Sed voluntarium neglectum eorum, quæ requiruntur ad indagandam veritatem, circa res, quas ſcire debemus, peccatum eſſe, & pro rei gravitate etiam crimen, dubitari nequit. Et hoc

eſt, quod in hæreticis formalibus pertinaciam appellant. Ceterum error periculoſus etiam cum prorſus eſt involuntarius, omniſque criminis expers, coerceri tamen jure poteſt, ne noceat, prorſus ut furioſum ligamus licet innocentem. *Han.* 10. *Maii* MDCXCVIII.

EPISTOLA X.

I. *De* Linckeri *judicio contra* Leibnitium. II. *Judicium de litibus* Ittigium *inter &* Rechenbergium. III. *De* Bottichero *chryſopoeta.*

I. LEgi, quæ Dn. *Linckerus*, JCtus Ienenſis, & in me & in alios dictatorie pronunciavit; ſed ille judiciis ſuis parum judicioſis veritati magis nocuit, quàm ſibi.

II. Quæſtio inter *Ittigium* & *Rechenbergium*, viros doctos & claros, magno, ut intelligo, animorum motu agitata, poterat tractari moderatiùs; & valde mihi placent epiſtolæ ſanè eruditè & prudenter ſcriptæ, neſcio cujus *Euſebii Pacatiani*, qui in ſumma *Ittigii* ſententiam probat, adverſarios tamen excuſat. Equidem indubitatum eſt, quandocunque vera pœnitentia animum cepit, remitti peccata. Id quæritur, an habeantur ſigna quædam, ex quibus certò judicari poſſit, Deum indurato impœnitenti non ampliùs pœnitendi gratiam conceſſurum. Sed cùm neque ratione, neque Scripturæ ſacræ autoritate quicquam tale confici poſſit, fruſtra & male docetur, ſi modò docetur. Neque enim fundamento caret hæc doctrina, ſed & damno poteſt eſſe gravi, cùm homines tentationibus ſcrupuloſis obnoxios ad deſperationem adigere, & temerarios alieni ſervi judices in turbidas cenſuras atque anathematiſmos armare poſſit. Illud ad ædificationem ſufficit, poſſe homines in illud malitiæ faſtigium pervenire, ut exigua emendationis atque ſalutis ſpes ſuperſit. Ceterum in hac vita nemo putandus eſt, aut in bono aut in malo ſatis confirmatus, ut ſollicitudo illinc, hinc ſpes abſit omnis.

III. Valde velim diſcere, ſitne Dreſdæ aut alibi, & quomodo habeatur *Botticherus* juvenis, qui poſito artis pharmaceuticæ tyrocinio Berolino diſceſſit, editis ut ferunt, ſpeciminibus magnæ artis chryſopoeticæ. An quamdiu in Regis Poloniæ poteſtate eſt, ſpecimina dederit nova? Varia referuntur. Ego propior ſum neganti ob litteras a magno Viro ex aula Regis Poloniæ ad me ſcriptas. Sed tibi non difficile credo erit, diſcere ac me docere, non tam quid factum ſit, quàm quid factum putent Viri prudentes. Medicos claros *Pauliadem* & *Zapfium* aiunt curam hominis gerere, ac dare operam, ut & eo veritatem reſciſcant; illum autem negare, ſibi eo, quo eſt loco, integrum eſſe, elaborare opus, quod magno ſupercilio philoſophicum *Vulcanii* homines appellant. Ego ἰπίχω. Nam difficulter adducor, ut admittam factum adeo inſolens, neque tamen argumenta habeo impoſſibilitatis. Vale & me ama. *Dab. Brunſvigæ*, 14. *Febr.* MDCCII.

EPISTO-

EPISTOLA XI.

I. *De* Leibnitii *icone ære expreſſa.* II. *De* Thomaſii *litibus cum Pietiſtis.*

I. BInis a te literis reſponſum me debere, video. Prioribus meminiſti iconis cujuſdam meæ ære expreſſæ. Eam me ignaro ſed juſſu Smæ Electricis, cùm Berolini eſſet, fieri curavit Dn. *Lupius*, Bibliopola. Ibi tum in homine erratum, tum in verſibus ſubjunctis, qui ob nimias nec cuiquam agnoſcendas laudes ferri non poſſunt. Itaque & nomen emendari & verſus aboleri datum eſt in mandatis.

II. Dn. D. *Thomaſio* in aula Berolinenſi Regia nocuit lis cum iis, quos Pietiſtas vocant, juſſuſque intra ſua pomœria ſe continere. Sed puto, eum nunc iterum aulæ ſtudium probaſſe. Rectè tamen faciet, ſi litibus cum Theologis, quantum licet, abſtineat. *Hanov.* 10. *Apr.* MDCCIV.

EPISTOLA XII.

I. *Lexicon a* Buddeo *cœptum perſolvere recuſat* Leibnitius. II. *Melius de lexico reali terminorum technicorum judicat.*

I. BErolino Hanoveram redux ſtatim ad te do litteras, & ſignifico, MStum a Dnis *Hottingeris* remiſſum ritè ad me perveniſſe cum epiſtola; id quod Dn. *Pippingio* cum officioſa a me ſalute nunciabis, & pro curato faſciculo litteriſque gratias ages. Si Tigurum ſubinde ſcribit, audebo rogare, ut reſponſum quoque meum tranſmittat. Dn. *Fritſchius* credo non difficulter inveniet alium, qui telam a Dn. D. *Buddeo* cœptam pertexendi otium habeat.

II. Quanquam, ut verum fatear, ego tot *Morerii* interpolationibus non valde faveam; & utiliorem operam poni judicem in Lexico aliquo reali, in quo Germanice exhibeantur termini technici omnium artium, ut in *Fureteriano* Gallico eſt factum. *Hanov.* 13. *Nov.* MDCCV.

EPISTOLA XIII.

I. *De exercitu magno in terris Saxonicis alito.* II. *De* Kortholto, *medico regio.* III. *De* Reuterholmio, *Secretario regio.*

I. FAcilè intelligo ex litteris tuis & narratione aliorum, duram vobis provinciam obtigiſſe, cùm regio dudum exhauſta magnum exercitum alere cogatur. Deo tamen gratiæ agendæ ſunt, quod non per tumultum & vim, ſed lege atque ordine res agitur, juſſu Regis magni & pii & juſtitiæ amantis. Hæc igitur mala ferenda ſunt, ut incendia, ut inundationes, aliaque publica flagella.

II. Ego

II. Ego quod quàm citiſſimè poſſum præſtem, has do litteras ad Dn. D. *Kortholtum*, magni quondam Theologi filium, Medicum Regium apud Ill. *Reinſchildium* nunc agentem, & ut ex ipſius Dn. *Kortholti* litteris ante menſes aliquot è Polonia ad me datis intellexi, eum arbitror nunc in Regis comitatu eſſe, quoniam & Dn. Generalis *Reinſchildius* cum Rege in Saxoniam venit. Huic viro mihi olim Berolini amico, incluſas iſtas ad eum litteras tradens, habebis opinor amicum & faventem.

III. *Reuterholmium* Regium Secretarium, qui ante biennium cum Generali *Hornio* captivus in Saxonia fuit, olim autem Hanoveræ apud Regis ſui legatum egit, audio iter feciſſe in Sueciam, ſed mox iterum in aula regia expectari. Is ubi aderit, non minus tibi, opinor, in mei gratiam favebit. *Hanov.* 4. *Octob.* MDCCVI.

EPISTOLA XIV.

De ſchediaſmate muſico in Eruditorum Acta inſerendo.

BIs ſcripſi Dn. Lic. *Menckenio*, reſponſumque non tuli. Itaque rogo, ut ſi, quando vacat, eum adeas, quæraſque, an receperit meas, tum quas miſi compluribus ante nundinas ſeptimanis adjecto ſchediaſmate brevi mathematico, tum etiam, quas proximis nundinis attulit Dn. *Foerſterus*. Præterea Vir in matheſi egregius idemque Smi. Ducis Onolsbacenſis Secretarius intimus miſit ad me ſchediaſma Muſicum cum figuris in Acta, ſi videbitur, inſerendum. Itaque de eo quoque rogo, inquiras, an commodum videatur, ut non diſcurſus tantùm, ſed & figuræ, quæ tabulam non parvam implebunt, locum inveniant. *Hanov.* 31. *Octob.* MDCCVI.

EPISTOLA XV.

I. *De P.* Longi *manuſcripto*, Mayero *miſſo*. II. *De* Wolfio, *profeſſore Mathematum Halæ conſtituto.*

I. SI Rmus Dn. *Mayerus* Lipſiæ adhuc verſatur, rogo, ut eum meo nomine adeas, & quàm officioſiſſimè ſalutes, ſimulque ſignifices, R. P. *Longum*, ordinis Oratorii, Manuſcriptum ſuum litteris non unis ad me miſſis, repetere, me quidem Rmo *Mayero* non ita pridem nec ſemel ea de re ſcripſiſſe, ſed ad noviſſimas reſponſum nullum tuliſſe, itaque a te rogaſſe, ut hunc magnum Virum adire petereque velles maturam libri remiſſionem, quamvis fortaſſe per concatenata negotia deſideriis *Longi* ſatisfacere ulla ex parte non licuiſſet.

II. Dn. *Wolfius* hic aliquoties apud me fuit. Litteras Regias obtinuit, quibus Profeſſoris Mathematici dignitas ei confertur. Nondum de Salario res conſtituta eſt, ſpero tamen, non malè proceſſuram, quum pendeat ab ordinibus provinciæ, qui univerſitati favent, quod per ipſam reditus non mediocriter ſunt aucti. *Berol.* 16. *Decemb.* MDCCVI.

EPISTO-

EPISTOLA XVI.

Menckenii *mortem dolet* Leibnitius.

NOn mediocriter dolore ex morte ampliſſimi & eruditiſſimi *Menckenii* affectus ſum; quamvis autem jam per amicum occaſione fortè data teſtatus ſim apud egregium virum ejus filium, paternarum laudum hæredem, quam ſentiam hanc, non communem tantùm rei litterariæ, ſed privatim etiam meam jacturam, te tamen rogo, ut peculiari aditu non condoleas tantùm, ſed & conſolantis officium meo nomine peragas, horterisque V. cl. ut conſideret excellentem illum Virum, quem lugemus, ſemper per gloriam victurum, abiiſſe matura ætate, plenum meritorum, & lampada tradentem filio, dignè parentis via functuro, cui ego non inferiores ſucceſſus ex animo precor. *Berol.* 15. *Febr.* MDCCVII.

EPISTOLA XVII.

De ſcriptis eriſticis Hobbium *inter &* Bramhallum, *Epiſcopum, de libero arbitrio & neceſſitate.*

VEnit in mentem, te, ſi commodum eſt, interprete, a Dn. *Fritſchio*, quem *Hobbii* opera Latinè edere intelligo, quærere, an habeat, quæ inter ipſum & *Bramhallum*, Epiſcopum, de libero arbitrio & neceſſitate agitata & tantùm hactenus Anglicè edita. Diverſas editiones vidi, ſed habeo omnium pleniſſimam. In aliis enim initialia tantum ſcripta utriuſque habentur; ſed noviſſima illa ad duplicationem uſque procedit. Si habet utiturque, bene eſt; ſin minus, poſſum ſuppeditare deſideranti. Conſtat paginis 348. in forma, ut vocant, quarta. Feſtos dies tibi tuisque chariſſimis lætos opto. Vale, & me ama. *Han.* 18. *Dec.* MDCCIX.

EPISTOLA XVIII.

De Hobbii *libro de libertate & neceſſitate cum* Fritſchio, Hobbii *opera Latinâ edituro, communicando.*

QUia Dn. *Fritſchius* librum *Hobbii* de libertate & neceſſitate paucis demtis habet, ſufficit, ut indicet pagellas, quæ deſunt, ita deſcribi commodè poterunt, ut totum librum tranſmitti neceſſe non ſit. Ceteros *Hobbianos* libros Anglicano ſermone ſcriptos, quos deſiderat, non habeo, partem etiam nunquam vidi. Dn. *Fritſchius* in Belgio vel certè in Anglia ipſa facile inveniet hominem legum peritum, (*a Lawyer*) qui dialogum *Hobbii* Latinè reddere poſſit. *Han.* 17. *Mart.* MDCCX.

EPISTOLA XIX.

I. *De* Wagneri *ſtudio aſtronomico.* II. *De* Joh. Gottl. Krauſio. III. Lunigii *conſilium ea, quæ ad res imperii & Comitia Ratisbonenſia pertinent, colligendi probatur.*

I. *Wagneri* veſtri ingenium & diligentia perplacet. An etiam verarum, qua parte diſtantiarum a ſole proportiones exhibet; itemque latitudines planetarum ſeu angulum, quo planum cujuſque eclipticæ ſeu telluris motæ interſecat. Fortaſſe poſſum ei ſuggerere ſuo tempore facientia ad machinationes aſtronomicas, quæ non tantum curioſitati, ſed & uſui ſatisfaciant.

II. Dn. *Jo. Gottl. Krauſius* ad me ſcripſit, ſeque actorum Germanicorum cum aliis amicis autorem profitetur, cui reſpondeo, placet methodus ejus & doctrina.

III. Sed & Dn. *Lunigii* conſilium colligendi, quæ ad res imperii & comitia Ratisbonenſia pertinent, perplacet, & velim noſſe, quo res ſit loco. Fœdus unionis (quam vocabant) Halæ Suevorum initæ putabam paſſim extare, & vel ab hoſtibus fuiſſe editam, cùm multa hujus generis ſparſim extent; ſed certi aliquid affirmare non poſſum. At videbo aliquando, ſi modo vacabit, an aliunde erui poſſit. *Han. 2. Oct.* MDCCX.

EPISTOLA XX.

I. *De Margarita Antoniana* Gomezii Pereiræ. II. *De* Diophanto Fermatii. III. *De matheſi bicipiti & nova* Caramuelis.

I. Fac, quæſo, ut reſciſcas, ad quemnam a Dn. *Gleditſchio* Sen. pervenerit Margarita Antoniana *Gomezii Pereiræ*; ita enim fortaſſe vel redimi mihi, vel commodato ſaltem impetrari poterit.

II. *Diophantum Fermatii* cum opere alio Fermatianorum poſthumo in unum volumen compactum rogo, ut ab eodem *Gleditſchio* Sen. redimas mihi, vel ſex thaleris vel paullo minore pretio, ſi quid remittit.

III. De matheſi bicipiti & nova *Caramuelis*, pro quibus decem thaleros poſtulat, non bene adhuc conſtituere poſſum, quia nondum vidi, & vereor, ne inanes ſubtilitates contineat, quod *Caramueli* haud rarum eſt. *Guelfer.* 11. *Jun.* MDCCXI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXI.

I. Leibnitius *Vienna reverſus nullum incommodum paſſus eſt.* II. *De novo eruditorum diario Toloſæ inſtituendo.*

I. REverſus Vienna Deo bene volente, ante ſeptimanas aliquot Lipſia tranſii, ſed moram trahere & tecum colloqui non licuit. Volui tamen ad te has dare litteras, ne neſcius ſis, me ſic ſatis bene valere, nullumque ab itinere incommodum paſſum fuiſſe, neque de ſucceſſu ejus queri poſſe.

II. Toloſanus quidam Vir doctus ad me miſit, quæ adjuncta vides. Novum ibi diarii genus moliuntur ex rebus eruditis & ad rempublicam pertinentibus miſſum. Litteris ergo ad me datis deſcriptio inſtituti adjuncta eſt. Itaque rogo, ut communices tum ampliſſimo *Menckenio*, tum aliis, qui Lipſiæ menſtrua opera proferunt. Erit fortaſſe aliquis inter hos, cui cum operis curatoribus communicationem inſtituere placeat, quam petunt. Certè non inutile erit conſilii, mentionem fieri in menſtruis, quæ publicantur. Qui volet rectâ Pariſios mittere litteras, poterit modo, quem præſcribunt. Spero, D. *Menckenium* recepiſſe, quæ ex Italia ipſi deſtinata per me Lipſiæ amico reddenda ſunt relicta. Nam ob brevitatem temporis, dum feſtino, ipſe hoc officio perfungi non potui, rem tamen per litteras ſignificavi. Litteras Toloſanas cum addita notitia mihi remitti peto, more ſolito. 20. *Oct.* MDCCXIV.

EPISTOLÆ XI.

AD JO. ALBERTUM FABRICIUM,

S. Theolog. Doctorem & Profeſſorem Hamburgenſem celeberr.

Ex Kortholti Tom. I.

EPISTOLA I.

I. *De* Anaſtaſio Michaële Macedone *juvene Græco*, & II. Longi *Bibliotheca Scripturæ Sacræ.*

I. UT has ad te darem literas fecit juvenis Græcus, Medicinæ & bonarum artium ſtudioſus, *Anaſtaſius Michaelis Macedo.* Quum nuper apud Halas Saxoniæ verſaretur, orationem publicè pronunciavit a ſe conſcriptam ſermone patrio, qua Regi Pruſſorum nurum gratulatus eſt. Typis excuſam hic obtulit, nec ingratam fuiſſe ſenſit. Ex eo Francofurti ad Oderam egit, ſed cùm aër & victus harum regionum valetudini ejus officiant, ad Batavos Anglosque iter molitur. Ego petentem tibi commendo, veterem Græciam ornanti, nec aſpernanti novam, in qua habere notos aliquando utile eſſe poterit.

II. Pars Bibliothecæ Græcæ a te edita mirè erexit expectationem noſtram. Audio etiam, te plurimum notaſſe circa interpretes Scripturæ Sacræ, quibus frui poſſet *Longus*, Vir optimus ex Oratorio Pariſino, quem Bibliothecam Scripturæ Sacræ moliri non ignoras. Editionum recenſionem præire jubebit, huic ſi conferre aliquid voles, poteris enim, haud dubiè, & me, & illum, & Rempublicam tibi obſtringes. Amplisſimus *Meierus* diu manuſcriptam *Longi* collectionem habuit, & animadverſionum ſpem fecit, ſed quam diſtractiſſimus non implet. Noſſe tuo beneficio deſidero quid factum ſit Gudianis Codicibus? Vale ac fave. *Dabam Berolini* 28. *April.* 1707.

EPI-

EPISTOLA II.

I. Fabricii *Bibliotheca Græca laudatur.* II. *De corpuſculo* κειμηλίων φιλοσοφικῶν. III. *Litteris Reginæ* Chriſtinæ, & Sophiæ Charlottæ, *Reginæ Boruſſiæ.* IV. Huyſſenii *de arte diplomatica ſcripta.* V. Longi *Bibliotheca Scripturæ ſacræ.* VI. *De manuſcriptis* Gudianis. VII. *De iconibus numorum* Morellianis.

I. Literas tuas, rem per ſe gratiſſimam, cum inſigni munere accepi; utrumque vellem demereri poſſe. Interea multas gratias ago, & qualecunque redhioſtimentum quæro. Ne citius reſponderem abſentia fecit, nam vix nuper domum redii. Ex utroque beneficio tuo fructum jam percipio; Multa enim docet Bibliotheca tua ſanè recondita, quæ in maximis Principum Bibliothecis fruſtra quærentur. Meminiſti mei honorificentius, quàm conſcius tenuitatis ſuæ expectare poſſit, quo magis ego benevolentiam tuam agnoſco & exoſculor.

II. Admonet ille locus tuus ut conſilii mei rationem exponam. Quum haberem *Ratramni* quædam inedita ad philoſophiam ſpectantia, & recentiorum Philoſophorum alia, velut *Campanellæ*, *Valeriani Magni*, *Carteſii*, *Paſcalii*; (*a*) cogitavi, addito *Suiſeto*, ſubtiliſſimo homine & in Philoſophia pene mathematico, confici poſſe corpuſculum κειμηλίων φιλοσοφικῶν, cui non male acceſſiſſent illa *Procli*, a *Guilielmo de Morbeka* Latinè verſa, (*b*) neque alias extantia, ſi nanciſci licuiſſet.

III. Non parum etiam ex epiſtola tua proficio. Literas Reginæ *Chriſtinæ* a *Colomeſio* collectas neque videre, neque audire memini. Oportet ab *Iſ. Voſſio* cum eo communicatas fuiſſe, qui cum Regina fuit. Utinam pleraſque a Regina Boruſſorum, & ad eam ſcriptas non combuſſiſſent malè circumſpecti homines, haberemus, quæ facile opponi Reginæ Suedorum poſſent. Non paucæ tamen paſſim ſervatæ ſunt, & inter eas nonnullæ ad me ipſum mihi ſuperant, unde vim ingenii in Principe fœmina, animumque mirè ad doctrinas erectum intelligis.

IV. *Huyſſenius* Ruſſorum Monarchæ apud Cæſarem Apocriſiarius nuper ad me hac hyeme miſit opuſculum, quod hic additum vides, ab Italis amicis procurandæ impreſſionis cauſa, fidei ejus creditum. Fortè rem ad me pertinere putavit, quod Codicem diplomaticum emiſiſſem. Scis *Germonium* quendam Jeſuitam in *Mabillonii* artem diplomaticam animadver-

(*a*) Inter *Leibnitii* libros rariores ſcripta quædam inedita *Paſcalii*, *P. Valeriani* Magni, *Carteſii* Tractatum MSc. de Methodo ab edito plane diverſum, *Campanellæ* Monarchiam Meſſiæ MSc. &c. fuiſſe, cel. *Joach. Fridericus Fellerus* in præfatione operi Hanoverano præmiſſa commemorat. *K. N.*

(*b*) De interpretatione Latina commentationis philoſophicæ *Procli* de libertate contingentia & origine mali conf. *Leibnitius* in Epiſtola ad ſummum virum *Maturinum Veyſſiere la Croze* die 17. Martii 1712. data.

ſiones edidiſſe. *Fontaninus* eum ultus eſt, & ſuccenturiatus huic contra Trivultianos recenſitores *Lazarinus* JCtus Italus; quem quum Trivultiani iterum pupugiſſent, hæ in omnes aculeatos epiſtolæ velut ſpicula torquentur. Optarat *Huyſſenius* ut nuperrimis nundinis vernis prodirent. Sed mihi reduci demum redditæ ſunt. Addidit, ut, ſi bibliopolam paratum non haberem, Cl. *Lehmanno* apud vos hiſtoriam recentium literarum temporaria opera ſtatis intervallis utiliter edenti, commendari curarem. Id mihi conſilium placuit: nam, ut verum fatear, ipſemet his litibus parum faveo; atque adeo inter doctos certari operibus, non verbis, & quicquid offendit, ſive falſum, ſive acre ſit, ſuppreſſum mallem. Itaque rogare audeo, ut Cl. *Lehmanno* opuſculum hoc cum multa a me ſalute mitti cures, & deſiderium amici *Huyſſenii* ei indices; niſi ipſe editionem per bibliopolam aliquem a tua ſententia pendentem maturè curare malis. Hoc tibi negotium non faceſſerem, niſi ſaltem non ingratam tibi lectionem opellæ hujus fore ſperarem.

V. Indicem eorum, qui Pſalmos Davidicos metaphraſi poëtica Græcè Latineve donarunt, ſtatim ut nactus ſum, ad *Longum* miſi; cui mirè gratum fore auguror. Ad *Mayerum* noſtrum, Theologum apud Pomeranos primarium, iterum ſcripſi, petiique, ut indicem Germanorum Scripturæ Sacræ interpretum remittat. Tibi quoque non parum debeo, quòd doctiſſimo & occupatiſſimo Viro auriculam vellere voluiſti.

VI. *Gudianos* Codices, quando dominus tantum eis pretium conſtituit, non facilè alios, quàm Anglos emtores inventuros puto. *Bigotiani* Codices (etſi his non pares, tamen non ſpernendi) vili admodum pro Regis Chriſtianiſſimi Bibliotheca redemti ſunt. Gaudebo, ſi labor, quem *Gudius* in veterum inſcriptionibus impendit, in communem utilitatem proficiat, annotationibus tanti Viri ab interitu vindicatis. (*c*) Quæ inter Manuſcriptos Codices venales ab ipſius manu extant, magis apparatus, quàm operis ad editionem deſtinati, ſpeciem habere intelligo.

VII. Celſiſſimum Comitem Arnſtadio-Schwartzburgicum nuper Lipſiæ hortatus ſum, ut *Morellianas* nummorum veterum iconas omnes edi curet, neque intra XII. Cæſares ſubſiſtat. Sed deſunt adjutores labori pares. Ego Cl. *Schottum Begeri* ſorore natum, & avunculi ſucceſſorem commendavi; iconographica diligentia, cujus hic palmaria eſſe cura debet, ad *Morelli* laudes aſpirantem. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 7. *Jul.* 1707.

(*c*) *Antiquæ Inſcriptiones quum Græcæ tum Latinæ, olim a* Marquardo Gudio *collectæ, nuper a* Joanne Koolio *digeſtæ hortatu conſilioque* Jo. Georgii Grævii *nunc a* Francisco Heſſelio *editæ cum annotationibus eorum Leowardiæ* 1731. *in fol. prodiere.*

EPI-

EPISTOLA III.

I. Leibnitius Fabricio *ſcriptores rerum Brunſvicenſium a ſe editos mittit.* II. *De nova* Euſtathii *in* Homerum *commentariorum editione.* III. *De ſcriptoribus rei ruſticæ.*

I. MUltiplex debitor ſum, & humanitati tuæ & liberalitati. Utinam levidenſe opus, quo ſcriptores quoſdam Brunſvicenſia illuſtrantes complexus ſum, quod ad te perveniet, ſatis gratitudinem meam teſtari poſſet. Alter tomus mox prælum ſubibit.

II. Pariſiis ad me perſcribitur, *Euſtathii*, Theſſalonicenſis Archiepiſcopi, Commentarios in *Homerum* rurſus prælo parari poſt Romanam & Baſileenſem editionem. Accedet verſio Latina & neceſſariæ quædam notæ, editorque *Caperonerius* diligenter conferet textus autorum ab *Euſtathio* citatos cum ipſis autoribus. Videtur Anglorum in his ſtudiis diligentia Gallorum excitare ſtudium laudabili æmulatione. *Theodorus* ille a *Bullialdo* editus, quem memoras, an Guelferbyti extet videbo, ubi nunc illuc iero.

III. Dn. *Schwartzius*, qui in Gymnaſio Coburgenſi profeſſorem agit, de ſcriptoribus Rei Ruſticæ edendis cogitat. Habet *Herwagianam* & *Commelinianam* editionem, aliis credo ſubſidiis deſtitutus. Puto Mſſ. haberi in Gudianis. Utinam juvare viri ſtudium poſſes. Hamburgo te abire quidam ad me retulere, ſed ſilentium tuum ea de re facit, ut dubitem. Audeo petere, ut additas curare ad Dn. *Lehmannum* velis. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 13. *April.* 1708.

EPISTOLA IV.

I. Jo. Frid. Mayeri *elogium.* II. Dodwelli *laus.* III. *De Theodicæa* Leibnitii. IV. Anderſonii *laus.* V. *De* Sexto Empirico.

I. EA die, qua literas tuas ſanè gratiſſimas accepi, recta Herenhuſam profectus ſum, villam urbi vicinam, ubi ſereniſſimus Elector per æſtatem agere ſolet, literasque *Mayeri* noſtri Theologi primatis reddidi. Grata Principi fuit recordatio Viri, quem pro merito æſtimat, reſpondítque humaniſſimè & ad votum; moxque Dn. de *Fabrice* Conſiliario rerum bellicarum ad Regem Poloniæ deſtinato, & amborbus Regibus, ſi conjungant copias, affuturo, in mandatis dedit, ut curam Viri amici rerumque ejus, qua fas erit, gerat. Ab ipſo Dno de *Fabrice* intellexi, ſi reges non coëant, Dn. Conſiliarium *Puchlerum* Danicam aulam ſequuturum, & per hunc invigilari poſſe. Hæc ad ipſum Reverendum *Mayerum* cum multa cultus mei ſignificatione perſcribi peto; addicque, R. P. *Longum* ex Oratorio Pariſino exemplum ſuæ Bibliothecæ Scripturæ Sacræ, quale Pariſiis prodiit, ipſi

ipſi per me deſtinaſſe: quod niſi aliter jubet, Lipſiam in proximas nundinas mittam, ubi eſſe poterit, qui ipſius nomine accipiat a *Foerſtero* bibliopola noſtro.

II. *Dodwellum* dicent aliqui in terris morari deſiiſſe; Ego, etſi doleam in paradoxa ridicula prolapſum, tamen, quantam in ejus obitu doctrina antiquitatis jacturam fecerit, ſatis intelligo.

III. Mea Theodicææ tentamina gaudeo tibi intelligentiſſimo judici non diſplicuiſſe.

IV. Ampliſſimum *Anderſonium* Syndicum veſtrum rogo data occaſione a me ſalutes; Ego multa præclara, ad leges præſertim veteres juraque Germaniæ illuſtranda, ab eo expecto.

V. Sed imprimis ſcire intereſt, quid ipſe commodo publico agas. Non dubito, quin immortale opus Bibliothecæ Græcæ rectè procedat. Aiunt, te de *Sexto Empirico* edendo cogitare. Meretur hoc autor ſubtilis & doctus, in cujus initia quædam olim, ſed non niſi φιλοσοφήματα, notaveram. Tu præterea ſcriptores luminibus Hiſtoriæ & Critices colluſtrare potes & ſoles. Vale. *Dabam Hanov.* 14. *Auguſt.* 1711.

EPISTOLA V.

I. *De* Longi *Bibliotheca Scripturaria.* II. Fabricii *elogium.* III. *De* Conſtantini Porphyrogennetæ *de re cærimoniali opere.*

I. LIteras Mayerianas ad Sereniſſ. Electorem ſtatim curavi, gratiosè de more ſuſceptæ ſunt: *Longi* ex Oratorio Pariſino viri docti opus ex præſcripto ad *Gledituſchium* in nundinas Lipſienſes miſſum eſt obſignatum, & *Mayero* noſtro, inſigni viro, inſcriptum: ad quem fortaſſe jam pervenerit.

II. Tua omnia avidè & a me & a literatis omnibus expectantur, quibus aliqua eſt cura elegantioris doctrinæ.

III. Puto ante annos aliquot tecum loquutum Francofurtenſem virum doctum, & librorum non vulgarium curioſum, qui aiebat, ad ſe perveniſſe Opus *Conſtantini Porphyrogennetæ* de Re Cærimoniali Aulæ & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: aiebatque daturum ſe operam, ut edi poſſet. Quo nunc res ſit loco, ſi ſcis, diſcere tuo beneficio velim. Vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 6. *Decembr.* 1711.

EPISTOLA VI.

I. *De* Fabricii *panegyrico* Carolo VI. *Imperatori dicto.* II. *De* Jo. Frid. Mayeri *obitu.* III. *De novo ſcriptorum Byzantinorum volumine edendo.* IV. Longus *Bibliothecam ſcriptorum Hiſtoriæ Francicæ meditatur.*

I. QUem *Cæſari* novo panegyricum dixiſti, dignum doctrina tua, dignum *Caroli* magnitudine, cum voluptate legi, & pro eleganti munere gratias ago.

II. In-

II. Inclytum Theologum, *Johannem Fridericum Mayerum*, inopina mors nobis eripuit; ita nos amicum amiſimus; Eccleſia noſtra promachum non ſpernendum; reſpublica literaria civem eruditum.

III. Dn. *Uffenbachius* rectè faceret, ſi de edendo *Conſtantini Porphyrogennetæ* Opere cogitaret, cui ſi accederet *Geneſius* ex Paulina Lipſienſi, haberemus novum inſigne Byzantinorum volumen. Putem *Boivinum*, qui Pariſiis nobis *Nicephorum Gregoram* auctum dedit, libenter hanc curam in ſe ſuſcepturum, ſi crederetur ei Codex: ſed *Uffenbachius* Theſaurum non temerè è manibus amittere volet, neque ea ſunt tempora, ut Regis Galliæ ſumtibus curandam editionem ſperari poſſit.

IV. R. P. *Longus*, cujus ſpecimen Bibliothecæ ſcripturariæ prodiit, in eo nunc eſt, ut colligat ſcriptores Hiſtoriæ Francicæ, eorumque indicem edat, *Cheniano* auctiorem. (*d*) Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Brunſvigæ* 19. *April.* 1712.

EPISTOLA VII.

I. *De Bibliotheca Mayeriana.* II. *De antiquitatibus linguæ Germanicæ.*

I. VIx ad te dederam literas, quum tuas accipio, & Mayerianas, filii *Mayeri*, quibus rogabat parentis ſui Bibliothecam Sereniſſ. Electori venalem offerendam, nec deero deſiderio, quantum in me erit, ac Sereniſſimo Electori proponam, quæ offeruntur petunturque. De redemtione Bibliothecæ hæreo; iniri tamen ratio poterit, ut ſpero, qua exportatio adjuvetur: Proxima ſeptimana Hanoveram reverſus rem ſine mora agam.

II. Si qua ſe offerat occaſio, Amplisſimo *Anderſenio* officioſam ſalutem a me nuntiari peto; ſpero id acturum, ut antiquitatum Germanicæ linguæ, præſertim circa verba juris, adjuvetur ſtudium, Dominus *Eccardus* noſter ſubinde in ſtadio, quod ingreſſus eſt, decurrere pergit. Ego quoque ex collectaneis veteribus meis faſciculum, nonnullorum ad etymologiam Teutonicam pertinentium, dabo. Quod ſupereſt, vale & fave. *Guelferbyti* 21. *April.* 1712.

EPISTOLA VIII.

I. *De Bibliotheca Mayeriana.* II. Jo. Chriſt. Wolfii *elogium.*

I. SIgnificare volui, ipſum Electorem ad potentiſſimum Poloniæ Regem ſcripſiſſe, ut Mayeriana Bibliotheca ſarta tectaque conſervetur, & tuto pro arbitrio hæredum in alia loca transferri poſſit: nec dubium eſt,

(*d*) Jac. le Long *Bibliothéque de la France, concernant le Catalogue de tous les Ouvrages tant imprimés que MSc. qui traitent de l'Hiſtoire de ce Royaume.* 1719. Pariſiis in fol. prodiit.

ſi porrò opus ſit optimi Principis auxilio, petentibus non defuturum. Id rogo Domino D. *Mayero* magni Theologi filio, cum multa a me ſalute nuntiari.

II. Intelligo Cl. *Wolfium* Witeberga ad vos translatum; Itaque adjutorem egregium habebis in præclaris ſtudiis, quæ nunc pene exulant omni Germania, & a te prope uno conſervantur, aut iis, qui tuo exemplo, tuis auxiliis, ad meliora aſſurgunt. Vale. *Dabam Hanov.* 30. *Maii* 1712.

EPISTOLA IX.

I. *De varietate ſtudiorum* Leibnitii. II Fabricii *opuſculo de menſibus* III. Seb. Edzardi *in Hebraicis ſcientia laudatur.* IV. Jo. Chriſt. Wolfii *elogium.*

I. PUtabam, me literis tuis humaniſſimis reſpondiſſe & pro inſigni munere publico gratias egiſſe. Sed nunc dubito an officio ſatisfecerim, quia literas tuas Wolfianaſque eo loco repoſitas reperi, ubi expeditas collocare non ſoleo. Incertus ergo quid fecerim aut non fecerim (quia diſcurſatiunculis, & varietate rerum nonnihil ſubinde confundor & perturbor) ſcribo, & ſi opus eſt, veniam peto.

II. Magis ad publicum morem tuum præclarum opuſculum de Menſibus alteri inſcribere poteras, cujus utilior eſſet applauſus, nemini, qui me magis tuis caperetur, iiſque maius pretium poneret; Itaque plurimum eo nomine debeo, etſi maluiſſem deprecari immeritum honorem. De Menſium nominibus apud Anglo-Saxones aliquid dixi in Tomo I. ſcriptorum Brunſvicenſia illuſtrantium. Nuper detexi, ni fallor, veram originem noſtri *Hornung.* Ex ædis Pariſinæ Cathedralis fundamentis effoſſa ſunt noviſſime monumenta quædam antiqua Celtica, in quibus eſt lapis, cui inſculpta figura Dei cornuti, & inſcripta Vox *Kernunnos.* Unde collegi, Deum Germanis Galliſque hoc nomine cultum, cujus Februario menſe feſta celebrabantur. *Pan* ſit, vel *Faunus*, an *Bacchus*, quem cornutum faciebant veteres ex cornubus bibentes, tu judicabis.

III. Dominus *Edzardus* veſter rectius & minore aliorum offenſa in Thalmudis, quàm in controverſiis Theologicis verſabitur. Poſt Miſchnam verſam Gemara nobis deeſt, in qua ille laborare poſſet, quanquam fortaſſe Miſchnæ quoque verſio novas curas mereatur.

IV. Etſi cl. *Wolfius*, jam veſter, haud dubiè etiam in Bibliotheca Rabbinica facturus ſit operæ pretium, ut ſolet, optem tamen ſtudium excolendæ philoſophiæ Græcorum non planè ab ipſo deponi. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 18. *Octob.* 1712.

EPISTO-

EPISTOLA X.

I. Widovius *laudatur*. II. *De* Barnabæ *Evangelio*.

I. JAm ex Cl. *Turnemini* literis Lutetia Pariſiorum allatis, magiſque ex ſuis virtutibus innotuerat mihi Nobiliſſimus *Widovius* veſter, quum tuæ gratiſſimæ acceſſere, quas ipſi debeo. Multum enim gaudeo de te, ſaltem quòd valeas didiciſſe. Optimè apparet uſum tempore ſuo in itineribus, quod nec Viennæ malè collocabit, tuamque & ſuorum ſpem facilè implebit.

Magna cum voluptate ex ipſo intelligo quid agas: nam tu, quod ſcire magnopere opto, in ipſum rejeciſſe videris, quanquam & præclarus Vir *Joh. Chriſtoph. Wolfius* judicavit, nihil mihi gratius tuis progreſſibus nuntiari poſſe.

II. Venit in mentem quærere, nihil ne tibi, qui Apocrypha N. T. peculiari cura tractaſti, compertum de *Barnabæ* Evangelio? Sereniſſimus Sabaudiæ Princeps *Eugenius* habet Codicem lingua Italica, manu non recentiſſima hoc titulo ſcriptum. (*e*) Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Viennæ Auſtriæ* 28. *Julii* 1714.

EPISTOLA XI.

I. Leibnitius *cum* Fabricio *Epigramma aliquod communicat*. II. Widovius *laudatur*. III. *De* Perizonii *poſthumis*.

I. GRatias pro præclaro munere reddo, quo rempublicam literariam ornare pergis. Ipſe judicavi barbara mea ex ferrea ætate, tuis ex argentea, ut ſic dicam, comparari non poſſe. Ecce Epigramma, quod ut granum ſabuli, moli meæ addo. *Vide illud paginâ versâ.*

II. Gaudeo *Widovium* veſtrum, imoque meum, de mea certè bona voluntate perſuaſum eſſe. Velim ex ipſo diſcere, ut valeat, ut rem gerat, ut mei meminerit etiam apud amicos remotiores.

(*e*) De hoc ipſo Codice, qui *Barnabæ* Evangelium complecti dicitur, ex inſtituto diſputat celeb. *Jo. Alb. Fabricius* P. III. Codicis Apocryphi Novi Teſtamenti p. 373-394. ubi etiam fragmenta ex eodem exhibet. Idem facit ven. *Jo. Laur. Moshemius in vindiciis antiquæ Chriſtianorum diſciplinæ adverſus Jo. Tolandi Nazarenum* Sect. I. p. 22. ſeqq. In dedicatione præfixa *Cramerus* tuetur, a *Sergio*, Monacho Neſtoriano, uno è tribus illis *Alcorani* architectis Evangelium, quod *Barnabæ* nomen præ ſe fert, eſſe elaboratum. Quam quidem *Crameri* ſententiam ſemet ipſam evertere *Moshemius* l. c. p. 25. ſeq. abundè declarat. Ibidem p. 32. quid omnis eruditionis peritiſſimus *M. V. la Croze* de hoc *Barnabæ* Evangelio judicarit, recenſet, ejuſque judicio ſubſcribit. Videlicet celeb. *la Croze* in literis ad doctiſſ. *Jo. Alb. Fabricium IV.* Idus Dec. 1718. datis. *K. N.*

III. Nihilne a *Perizonio* poſthumum ſperatur? Habuiſſe egregias obſervationes in numerato, non dubito. An affecta quædam inter ſchedas reperturi ſint amici, fortaſſe diſcemus. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 25. *April.* 1715.

P. S. Cl. *Wolfium* veſtrum ſpero a Judæo noſtro aliquid bonæ frugis habiturum.

EPIGRAMMA

In Neptunum pacti ſtatorem, quum mare Mardicenſis aquæductus exitum ſabulo oppleviſſet.

Anglia Neptuno conqueſta eſt, Gallica pacta
  Irrita ludibriis eſſe pudenda ſuis.
Quid Dunkerca vacet, ſi proxima Mardica ſurgat,
  Longaque ſit ſtatio, quæ modo lata fuit?
Cui Deus: hoc poteras caviſſe o filia; falli
  Plus ſemel illuſus fœdere, dignus erat.
Ipſe tamen tueor. Quatit & mox ipſe tridentem,
  Et ſubito eſt tumulus, quæ modo foſſa fuit.

G. G. LEIB-

G. G. LEIBNITII ET GERARDI CORNELII DRIESCHII Colonienſis EPISTOLÆ MUTUÆ.

Ex Kortholti Tom. IV.

EPISTOLA I.

G. C. DRIESCHII AD GOD. GUIL. LEIBNITIUM.

I. *De Tragœdia, cujus index*: Abſalon. II. *De Comœdia, cujus index*: Prodigus.

I. MItto tibi aliqua mea, quæ coram promiſi, me daturum, ex his conjecturam capies, æquiſſime Arbiter, quantam ſemper operam ponendam judicarim in iis artibus, quæ multis nunc negliguntur. *Abſalonem* meum cum cenſuris, quas tulerunt aliqui iſtius artis non ſatis gnari, dabo ad te quoque, ubi perfectus fuerit, abſolutuſque, alia item nonnulla, quæ per otium aliàs compoſui. Communicabis ea cum Illuſtriſſimo *Hortenſio*, & iis, qui videre ea exoptarunt, quorum commendatio aliquo nobis adjumento poteſt eſſe. *Buleavius*, Supremus Status Hanoverani Adminiſter & Provinciæ iſti Præfectus, juſſit me hic expectare reſponſum Regis, quod cum ſuperioribus duobus curſoribus nullum ex Anglia dicebat adveniſſe. De cetero ego nunc in fide, benevolentia, æquitate, & clementia tua ſpes meas omnes habeo repoſitas, cujus beneficio ſi adjutus fuero, gaudebo hoc certè ampliùs, quo favor mihi ab æquiſſimo ſimul, & eruditiſſimo Viro præſtitus alicujus meæ futurus ſit teſtimonium virtutis. Vale, & me patrocinio tuo, quod potes, tuere. *Paderbornæ, ſexto Calendas Junias* MDCCXV.

P. S. II. Noli mirari, quòd *Prodigus* ad te veniat ſine Prologo. Propter hunc Prologum, quo multatus eſt, quem in adjecta tamen charta legis impreſſum, juſſus ſum prima vice eundem ſupprimere. Fuit enim, qui ſe læſum in eo, neſcio quantum, querebatur. Quanquam ſi fateri hic verum nunc velit, non tam ſe læſum dicet per Prologum (veritas enim eo continetur, quæ neminem debet male habere, ſi proponatur) quàm per Comœdiam ipſam, quam multimodis cupiebat impeditam, hoc ſibi perſuadens, fore, ut, ſi me ſocium nanciſceretur laborum ſuorum, gloriæ, quam ego illi non invidebam, poſſem aliquando venire in partem, in quam dominatum ſolus ipſe jam diu exercere, ad quamque ceteris omnibus cunctos aditus præcludere nimis quàm cupiebat.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De Poeſi ad utilitatem convertenda.* II. *De Comœdia.* III. *De carminibus Germanicis.*

I. GRatias ago, quòd elegantia quædam ingenii tui monumenta ad me miſiſti, cetera etiam, ubi perferendi occaſio fuerit, gratiſſima erunt. Illuſtri Abbati noſtro *Hortenſio Mauro* (præter illud, in quo mihi nimium faves) miſi, optimo Judici harum elegantiarum, ut magis noſcat ingenium tuum, cùm non exiguum pondus in Aula noſtra habeat ipſius teſtimonium. Quanquam fatendum ſit (ut ipſe etiam ſentit) nunc præſertim, cùm ea in Angliam translata eſt, rariores eſſe occaſiones provehendi eos, qui merentur. Nam in Angliam niſi Proteſtantium ſacris addictos traducere non poteſt. Vienna majus, & fructuoſius theatrum tuæ doctrinæ præbitura mihi videtur. Ubi faventem habiturus eſſe haud dubiè Illuſtriſſimum Quinque Eccleſienſem, cujus non exigua eſt gratia, & auctoritas. Verſu heroico facilè noſtri temporis Poetas provocas. Vellem ego Poëſin magis, quàm fieri ſolet, converti ad utilitatem, tractarique res egregias, & dignas ornari. *Lucretium* ſcis Philoſophiam Democriticam verſibus complexum. Ei poëma non minùs elegans eodem carminis genere oppoſuit *Poliniacus*, qui nuper Cardinalitiam purpuram meruit, cujus operis editionem ſperamus.

II. Ubi fortè ad Comœdiam aliquando redibis; ſuaſerim, argumentum variari non nihil confictis quibuſdam lepidis fortunæ luſibus, ne fabulæ omnis elegantia in ſolis verbis conſiſtat.

III. Germanici carminis leges apud Veſtros (ignoſce verbo) ignorari ſolent. Neque enim *Opitiana* emendatio patriæ Poëſeos, quam inde ab anno ferè trigeſimo ſuperioris ſeculi magna Germaniæ pars amplexa eſt, in Collegia Patrum Societatis Jeſu hactenus, quod ſciam, penetravit. Itaque non miror, breve Carmen Germanicum, quod Nympharum Cæcilidum plauſibus adſcripſiſti, haud eſſe ad nova præcepta exaſciatum. Cenſuram ſingulorum verſuum habes in adjecta charta, (*a*) ex quatuordecim non niſi quatuor, ſecundus, ſeptimus, nonus, penultimus, cenſuram effu-

(*a*) Exempli cauſſa in illo:

Was Sorgen, was Schmerzen hab ich auf mich genommen:

in ultimam ſyllabam vocis Schmerzen cæſura haud rectè cadit. Poſſet dici:

Wie ſchwere Sorgenlaſt hab ich auf mich genommen:

Cetera quoque pleraque noſtris intolerabilia viderentur. Nollent ſupprimi *ihr*, in illo:

Doch findet nirgend nichts als Creuz auf dieſer Erden:

Et mallent dicere:

Doch findt ihr nirgend . . . . .

Non intelligo iſta:

Ach haltet nur ein Weib, wie ſolts beſſer machen

Was Creuz gedünken hön, was Widerwärtigkeit:

ubi nec verius fluunt. Et in iſto:

Was könnet eure Sinn, was ewer Herz verlezzen.

Illud *Könnet* non eſt ad Grammaticæ Germanicæ

effugere poſſunt. Hanc libertatem in notando meam, quam tua cauſſa ſumſi, ne in hoc genere tibi ipſe impar habeare, ſpero a te in bonam partem acceptum iri. Et ſuadeo, ut ſummi viri, *Martini Opitii*, Carmina Germanica, & Artem Poëticam tibi compares, & *Andreæ Gryphii* Tragœdias Germanico verſu ſcriptas adjungas; cujus inter cetera *Leo* Armenus (olim mihi puero etiam in theatro viſus) perplacuit. Interea vale, & me ama. *Dabam Hanoveræ, quarto Nonas Junias* MDCCXV.

P. S. Doce, quæſo, an quiſquam apud vos, aut in omni Weſtphalia veſtra in eruditionem hiſtoricam inſignium virorum *Schatenii*, & *Cloppenburgii* ſucceſſerit? quis editionem Hiſtoriæ Paderbornenſis curarit? quorſum devenerint apparatus hiſtorici illorum Duumvirorum, an fortè in Collegium Paderbornenſe ſint relati? Nihilne reliquerint affectum? qui nunc litterarum laude in veſtris oris floreant.

EPISTOLA II.

De eruditis quibuſdam in Weſtphalia viris.

I. SAnè quàm iraſcor tabellariis noſtris, qui me eruditiſſima tua pagina, mihique amantiſſima tam diu privarunt; ſcriptas enim poſtridie Calendas quarto Idus tantùm habui, cum ultro citroque miſſitaſſe alteras poſteramus. Sed his tamen ipſis ſeriùs nunc etiam reſpondeo, quàm & dignitas tua & officium poſtulat, & uſus etiam meus, conſuetudoque fert; veniam autem facilem me propterea ab humanitate tua conſequuturum confido, quòd moleſtiſſima febri impedito ab omni prorſus ſcriptione fuerit abſtinendum. Nunc relevatus aliquantulum his morbi moleſtiis accedo iterum ad officium, inprimiſque tibi, Vir Eruditiſſime, gratiam habeo, atque etiam ago, quod aurem mihi vellicaveris, atque amicè monueris, quæ cavenda mihi in patrio ſermone ſint, ne, ſi deinde majora humeris ſuſcepiſſem, eaque tractaſſem, quæ parum adhuc, aut nondum certè ſatis didiciſſem, aliorum magis eruditorum, quàm quidem in his provinciis ſunt, deri-

manicæ regulas. Et cum ſubjicitur:

Hingegen ruft hieher, was euch was uns ergözen:

ſcilicet *könte*, ſubintellectio eſt haud uſitata, quam noſtri Poetæ ſibi haud permitterent. Sic ergo mallem:

So treibet dann hinweg, was Trauren mit ſich führt,
Was könte euren Sinn, was euer Herz verletzen.
Hingegen ruft hieher, was beide könt ergezzen.

Nec ſic licet;

Seid frölich alles Ams, es dieſs ſich heut gebührt:

Nam *es* jam latet in *dieſs*, pro quo ponerem:

- - - dann dieſs. - - -

Eliſionem nolunt noſtri Poetæ, niſi vocabulum ſequens a vocali incipiat: Verbi gratia, *all' Freuden* non licet. Itaque ſic mallem:

Und ſaget denn hernach; daſs zwiſchen Creutz und Leiden
Ihr auf dem freien Berg geſundten alle Freudtn.

derisui me exponerem & ludibrio; cui merito aliquis subscriberet *Appelleum* istud: *Ne sutor ultra crepidam.* Fecisti profectò, quod ab amicissimo homine poteram exspectare, si consulturus illum adivissem, & hoc ampliùs tibi debeo, quòd non cognito, & vix bene viso hanc gratiam præstiteris. Quos tu è nostris, hoc est, Germanis, Vates in tuis memoras, lecti mihi sunt, saltem in partibus; sed tum nondum etiam, ista cùm scriberem *Lohensteinius* quàm tibi videtur in Tragœdiis gravis? quàm in amoribus facilis *Hoffmannius*? Hic si *Parmenonis* non esset, aut *Epicuri* de grege, nihil eo foret elegantius; ad cujus certè facilitatem nil possit accedere. Illius ore loquuturum *Annæum* nostrum crederem, si loqui hac patria lingua didicisset. De cetero nimium mihi in aliquo abs te tribuitur, quod ego sic interpretor: talem tu me prædicas, non qualis sum, sed quales esse omnes eos optas, qui spargere aliquid in vulgus volunt.

II. Præter *Lacroium*, quem nuper amisimus, & boni omnes lugemus, in Theologicis præstantissimi nunc habentur è Societate, *Gruterus Mockinius*, *Gerardius*, *Bossius*, *Wesselingus*; ex ordine *S. Norberti*, *Schnorrenbergius*; *D. Augustini*, *Girckenius*, *Hartgardius*; in Mathesi, *Cunibertus*; in Philosophicis, *Esserus*, *Reipkenius*, *Strunckius*, *Rissenius*, *Zurbovius*; in Poësi, *Alsius*, *Henselerus*, qui posterior & in Eloquentia, & Historia & Geographia, (in qua nuper novam ipse tabulam perfecit de Principatu Sigenensi nunquam adhuc visam, & forte alias edendam, si se *Mecœnas* aliquis, qui sumtus præstet, obtulerit) & omni reliqua Mathesi, Veterumque monumentis, ac ceteris mansuetioribus disciplinis jure præstans haberi debet. Ex his Westphali ii sunt, quorum nomina notata vides appressa inferius virgula, Societatis, præter duos supra memoratos, omnes. *Schatenio* in scribenda Historia succedere *Blomekenus* & *Strunckius*; adfectum ab istis aliquid, perfectum nihil; hic avocatus Monasterium per Superiores est ad docendam Theologiam, ille operi immortuus. Si quid reliquerit præterea imperfectum *Schatenius*, Paderanum, ut confido, ad Collegium deportatum erit; sed de hoc certi nihil mihi constat. Prima pars, quæ Historia Westphaliæ appellatur, dicata Liberis Baronibus *Furstenbergicis*, qui & eandem curarunt *Ferdinando* demortuo, quo vivente adhuc, quemadmodum opinor, initium huic rei dari cœptum est. Pars altera, quæ Annalium Paderbornensium prima est, inscripta *Friderico Christiano*, Episcopo Monasterienssi; tertia, seu Annalium Paderbornensium secunda, ejusdem familiæ Liberis Baronibus *Plettenbergicis*. Continuari Historiam fecit *Hermannus Wernerus Metternichius*, Principis hujus Monasterienssis & Paderbornensis patruus, nuper defunctus, quem noster hic imitatur. Vale, præstantissime *Leibniti*, & Patronus mihi, quod potes, esto. *Paderbornæ*, *pridie Idus Junias*, MDCCXV.

EPISTO-

EPISTOLA III.

De Tragœdia: Abſalon.

IN accurandis mandatis tuis minimè negligens videri volo, aut eſſe etiam debeo. Quare deſine mirari, quòd continuo, ac ſine mora tibi expedita ea dedi, quæ juſſiſti, doleo, quòd non multo etiam celeriùs. Nunc mitto, quem non ingratum tibi fore ſignificaſti, *Abſalonem* meum; non ut, quemadmodum nuper ſignificabas, meæ aliquod monumentum eruditionis exſtet, quæ quàm exigua ſit, ſatis intelligo; ſed ut abs te æquiſſimo Judice amicè monear, docearque, ubi peccatum eo in genere a me fit, tum etiam, ut rideas, quantus ſplen eſt, ſi lepidas has virorum, fortè alias non indoctorum, ſed hanc tamen artem parum intelligentium, cenſuras legeris. Altera reſponſio, quam additamentum voco ad priorem reſponſionem, proximè tibi quoque iſtic conſpicietur. Si non indignum judicaveris, qui eruditiſſimi *Hortenſii* noſtri adſpectum ſubeat, poteris eum communicare cum cognitore omnis antiquitatis; ejuſque judicium ſimul, ac tuum planiſſimè de illo perſcribere. Vale, & tuos mecum favores divide. *Paderbornæ, decimo ſexto Calendas Julias*, MDCCXV.

EPISTOLA IV.

Drieſchius *ſe* Leibnitio *commendat.*

QUàm ego nunc opto tua commendatione adjuvari apud Primores Viennenſes! Conjecturâ enim aſſequor, quo te loco eſſe oporteat apud ſummos Viros, cum quibus & multùm & ſæpe verſatus es, quibus doctrina tua, & eruditio, admirationi non rarò fuit. Quare dubium mihi intercedere nullum poteſt, qui tantum commendatio tua ponderis habitura ſit apud hos Viros, quantum ab iiſdem ſcientiæ tuæ defertur. Nihil mihi nunc magis in votis eſt, quàm aut Moderatorem agere apud Virum iſtic nobilem, qui filium habeat, qui addiſcere juris ſcientiam velit, qua occaſione eandem ego poſſim una comprehendere, aut eſſe cuipiam a ſecretis, ubi ſtudendi copia concedatur, qui ſupellectilem librariam multam, raramque habeat, qua uti mihi liberè permiſſum ſit. Vale, & hanc rem tibi habe commendatam. *Paderbornæ, nono Calendas Julias*, MDCCXV.

EPISTOLA V.

De Tragœdia: Abſalon.

ADditamentum ad cenſuram in *Abſalonem* meum nondum ad me remiſſum Colonia eſt; cetera jam non deſiderares. Eſt alius in non ignobili Germaniæ emporio, qui, ut prælo eandem ſubjiciam, ſicque ſpargam

in vulgus, multum me hortatur. Exſpecto de hoc prudentiſſimum tuum conſilium, ac judicium tam de cenſura, quàm Tragœdia ipſa; cui contra ire fas mihi nunquam putabo. Si lecta tibi omnia fuerint, cupio, ut ad me remittas, ne novam in deſcriptione neceſſe ſit operam impendere. Ego hic febri denuo laboro in regione aliena, ignotaque; & te Patronum rebus meis requiro. Vale, mi optime *Leibniti*, & me patrocinio tuo ſuſtenta. *Paderbornæ*, *Calendis Juliis*, MDCCXV.

EPISTOLA VI.

De eodem argumento.

TUum, Vir ſapientiſſime, reſponſum exſpecto, & conſilium; quo percepto, hoc mihi tantùm decernetur, quod judicaveris. Non enim mihi nunc fas amplius puto ab opinione tua vel quicquam diſcedere; poſteaquam cognovi, abs te, quod requirebam, æqui Judicis partes optimè, fideliterque adimpleri. Bibliopola Lipſienſis eſt, qui me hortatur, ut meorum aliquot editionem operum accelerem; quare ſi *Abſalonem* hoc quoque dignum honore judices, rogo te, Vir humaniſſime, ut ad me, quàm quidem fieri poſſit tuo commodo, citiſſimè remittatur. Vale, & felix diu, jucundumque vive. *Paderbornæ*, *quarto Nonas Julias*, MDCCXV.

RESPONSIO LEIBNITII.

De Tragœdia Abſalon *& de Comœdia* Prodigus.

ETſi nonnulla ad *Abſalonem* tuum non abſurdè monita fuiſſe videantur; cùm tamen rara ſit ſcriptio, in qua non aliquid in melius mutari poſſit; non ideo tamen ſufflaminanda erat actio, vel impreſſio, ut adeo Cenſores nimis affectuum manifeſti videantur. Itaque omnino putem dignam eſſe Tragœdiam, quæ edatur. Ceterum, quod ad Filium Prodigum notavi, etiam hic moneo, conſultum videri, ut in poſterum, ſi quid tale cogitas, inventioni etiam inexſpectatis quibuſdam eventibus ornandæ conſulas. Si Viennam cogitas, conſuluerim, ut imprimis Reverendiſſimi Epiſcopi Quinque Eccleſienſis, genere *Neſſelrodii*, tibi patrocinium compares. Spes de adventu Regis Magnæ Britanniæ hoc anno propemodum evanuit. Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ*, *quinto Idus Julias*, MDCCXV.

EPISTOLA VII.

De Neſſelrodio, *Epiſcopo Quinque Eccleſienſi.*

UT ne deinde in metu ſis, dare has ad te, Vir excellentiſſime, conſtitui, quibus tibi ſignificarem, tuas mihi redditas eſſe cum *Abſalone* meo. Novo me tibi beneficio obligaſti, quòd laborem hunc noſtra cauſſa ſuſce-

ſuſceperis, & operis hujus imperfecti, ac inelegantis Cenſor eſſe dignatus ipſe iis. Elaborabo, ut huic gratiæ meo obſequendi ſtudio aliqua ratione reſpondeam. Opportunè illum recepi hodie, ita factum eſt, ut commoda occaſione deportari poſſit ad eum, qui illum ſuis ſumtibus imprimi curabit, nec opus erit, novam in deſcribendo moram inſumere. Quinque-Eccleſienſem, de quo mihi in poſtremis, & alias etiam, intelligo Viennæ nullo in officio conſtitutum, gratia tamen pollere, & auctoritate; quæ ut ne mihi deſint, commendatione tua perficies. Febris me nunc planè deſeruit. Quare hinc proximè commigrabo Hertenam; quo evocatus ſum non unis humaniſſimis litteris illuſtriſſimorum Neſſelrodianorum. Ibi aliquo tempore animum paſcam in Arce litteratiſſima; donec opus meum perfecero, reſponſumque ab illuſtriſſimo *Virmondio* Vienna fuero indeptus. Valere te interim, eruditiſſime *Leibniti*, diu cupio tibi, ac Reipublicæ noſtræ litterariæ; neque mihi vitio vertere, ſi curis publicis impeditum Hertena aliquando otioſus interpellavero. Erunt ſemper litteræ meæ ſummæ erga te obſervantiæ teſtes, quæ doceri inde a te multa amabunt. Vale. *Paderbornæ, Idibus Juliis*, MDCCXV.

RESPONSIO LEIBNITII.

De Bibliotheca Mallincrotii.

NEſcio, an hæ litteræ te Paderbornæ ſint inventuræ, & an, ſi alibi es, eo te ſint ſequuturæ. Scribo tamen, ne me tui oblitum putes; nam nuper in faſciculo chartarum litteras tuas reperi, quibus vereor, ut reſponderim. Ne tamen litteræ ſint vacuæ, & inanes, duo a te quæro: unum, an non haberi poſſit tertius tomus Hiſtoriæ Paderbornenſis, quem hic nondum reperire potui, nec ferè in bibliopolarum officinis habetur; alterum, ſed in aurem, (rogo enim, ne me nomines) quo ſit loco diſtractio bibliothecæ, quam illuſtriſſimus *Mallincrotius* olim collegit, & quam æquo pretio vendibilem eſſe audio; heredum, an creditorum ſententia; ſi candidè mentem ſuam aperiunt, fortaſſe conſilium utile dari poſſet. Illud habebit ingratum hæc bibliotheca, quòd omnia nova pene a ſexaginta annis deſunt. Gratum erit, ſi me docueris, quæ noſſe peto. Interea vale, & me ama. *Dabam Hanoveræ, ſeptimo Idus Novembris*, MDCCXV.

EPISTOLA VIII.

De annalibus Paderbornenſibus.

POſteriores tuas habui ſeptem, & decem diebus poſt, quàm ſcriptæ iſtic fuere, quas enim tu exaraſti die ſeptimo Idus Novembris, octavo Calendas Decembris hæ tantùm mihi redditæ fuerunt. Deinceps cum lit-

terarum aliquid dare ad me volueris, inſcribes id Coloniam, ita ſaltem die ſexto ad me perferetur, nec privabor ampliùs tam diu jucundiſſima, & toties hic mihi exoptata lectione tuarum. Ne vivam enim, ſi quid eſſe mihi poſſit tuis acceptius paginis, quas ego velut rem oppido pretioſam ſoleo aſſervare. Nunc ad ea, quæ poſtulas. Partem tertiam Annalium Paderbornenſium nondum vidi, quod memini. Eſt quidem pars tertia iſtius operis, quod *Schatenius* primus eſt meditatus, perfecta, ſed Annalium Paderbornenſium, quemadmodum nuper ad te dedi, ſecunda hæc tantùm eſt; nam prior operis pars Hiſtoria Weſtphaliæ inſcribitur. Eſt e Patribus Societatis Jeſu, (nomen *Strunckio* eſt) qui nunc in colligendis hujus ditionis ſanctis laborat, quod opus aut abſolutum jam planè eſt, aut certè primo quoque tempore abſolvetur. De *Mallincrotii* bibliotheca dabo proximè ad te accuratè; conveniendus mihi per litteras alius eſt, quem de hac re novi probè inſtructum. Interim, ſi quid habes, quod ſcire vel mea interſit, vel tua, me moneas, rogo; ſi nihil ſit, id quoque ſcribito, ne dubitare iterum incipiam, utrum aut tu mei planè oblitus ſis, an, quod verius exiſtimandum, tuo indignus favore reperiar. Ego meas quoque nugas miſi hinc alio imprimendas, & in eo, quod ex his ſupereſt, perficiendo nunc laboro. Perfectas dabo ad te. Vale, & fave. *Ex Arce Hertenſi, ſexto Calendas Decembris*, MDCCXV.

EPISTOLA IX.

De bibliotheca Mallincrotii.

DImiſi aliquot vicibus tabellarios hinc ſine litteris ad te, quod crederem, quotidie allatum ad me iri certiora de eo, quod me rogaſti. Hæc quia nondum perlata ſunt, ne me tuorum interea mandatorum oblitum exiſtimes, mitto, quæ Sereniſſimi Electoris Palatini bibliothecæ Præfectus ad me dedit, quem putaram hac de re ſufficienter eſſe edoctum. Sciebam enim, eum propterea ad Monaſterienſes fuiſſe alias ablegatum. Ab illuſtriſſimo *Neſſelrodio*, ſi adeſſet, certiora fortè haberem; ſed caſu accidit, ut is eo die mane proficiſceretur Bonnam, cum tuæ mihi veſperi tantùm redderentur. Exſpectamus inde eum quotidie reducem, ego variorum reſponſa, quos præterea conſului. Nunc te quoque, mi Patrone, unum rogo, ut commendationem tuam mihi deeſſe non patiaris apud Primores, quorum tu permultos noſti & Viennæ, & alibi per univerſum Imperium. Gratiſſimum equidem mihi feceris, ſi iſtud mihi brevi perfectum dederis, ut Moderatorem agere apud Comitem, aut adoleſcentem alium nobilem poſſim, qui hac ætate ſit, ut Juriſprudentiæ ſit ipſe operam navaturus. Qui ſi modo animo ad ceteras quoque artes affi.iatur, in quibus ego non planè rudis exiſto, boni M giſtri partes non defiderabit. Vale, & id tibi curæ eſſe, fac intelligam. *Hertenæ, Idibus Decembribus*, MDCCXV.

EPI-

EPISTOLA X.

De eodem argumento.

NE deinde verba a me tibi data exiſtimes, meque officio meo defuiſſe, mitto ad te, quæ Monaſterio heri accepi de bibliotheca Mallincrotiana. Ego, qui vicinus urbi nunc ſum, ſi id poſtulas, eo accedam, ut penitus in eadem introſpiciam, certiſſimaque dare ad te valeam. Catalogum, ſi nondum videris, curabo, ut habeas. Qui hæc ad me ſcribit, *Mockinius* Collegii Societatis Jeſu ibidem Rector, qui alias pluribus annis ea in civitate habitavit. Vale, & nos tibi pro eo, quod petimus, commendatos habe. *Dabam ex Arce Hertenſi, ſexto Cal. Januarii*, MDCCXVI.

EPISTOLA XI.

De Elegia quadam.

SUperiores meas aliquot quin jam habeas, minimè dubito. Dedi enim certis hominibus ad te perferendas diligenter meæ teſtes obſervantiæ. His ſi iibi nondum ſatisfactum ſit, conſulam quoque alios, a quibus ſpes eſt fore, ut clarior aliqua notitia percipiatur. Scire enim iſtud te volo, poſtquàm dignum me judicaſti, quem tuam in familiaritatem reciperes, tua cauſſa me velle omnia, quæ te velle cognoſco. Quam hic legis Elegiam, eam ab ſe intra horæ non integræ ſpatium compoſitam de noctu auctor fatetur, ſine lumine, ſine charta, ſine atramento; dedit illam huc ante dies aliquot ad Illuſtriſſimum *Neſſelrodium*; is mecum communicavit. Cupio, ut de hac judicium perſcribas ad me tuum. Ego quidem facilitatem iſtius Poëtæ magnopere laudo, elegantiam requiro. Vale & fave. *Hertenæ, tertio Nonas Januarii*, MDCCXVI.

LEIBNITII RESPONSIO.

I. *De hiſtoricis quibuſdam.* II. *De philoſophia Sinenſi.* III. *De operibus* Raymundi Lulli. IV. *De bibliotheca Mallincrotiana.*

I. GRatias tibi plurimas ago, quòd in mei gratiam de bibliothecæ Mallincrotianæ ſtatu, & negotio per amicos præclaros quærere, & reſponſiones eorum ad me pervenire voluiſti. Sereniſſimi Electoris Palatini Bibliothecarius, Vir, ut apparet ex ipſis litteris doctrinæ non vulgaris; etiam alia ſcitu valde digna docet, pro quibus me tibi obſtrictum profiteor. Re. Pa. *Wilhemium* inſignem in Hiſtoria fuiſſe conſtat. Itaque Hiſtoria ejus Luxemburgenſis haud dubiè opus erit egregium. Si bene memini, is eſt,

qui olim Dypticha Leodienſia edidit cum eruditiſſimis obſervationibus; tales viri nunc rareſcunt. Luxemburgenſes Principes videntur ejuſdem fuiſſe originis cum Virdunenſibus illis, qui aliquandiu Lotharingiæ nunc inferioris, nunc utriuſque Duces fuere. De Limburgenſium originibus neſcio, an æquè conſtet. Sed & horum Hiſtoria ſcriptorem meretur. Audivi jam olim, Baronem *Redinghovium* monumenta hiſtorica collegiſſe, atque inter alia ſigilla Imperatorum ex monumentis illuſtraſſe, & de duplici aquila Imperialium inſignium non vulgaria obſervaſſe. Itaque ſi talis Vir Hiſtoriam Juliacenſem, & Clivenſem nobis dabit, habebimus paſſim, unde nova lux affulgeat. Ipſum illum egregium Virum, qui hæc tibi ſignificavit, a morbo recreatum ſpero. Sed ſpero etiam bene valere optimum noſtrum Patrem *Orbanum*, per quem aliquando Sinenſia diſco; quibus ego plurimum delector.

II. Et licèt de cultu Sinenſium non ſim ſollicitus; doctrinam tamen eorum Philoſophicam excuſſi, quæ præbet Theologiam quandam naturalem mihi non omnino aſpernabilem viſam.

III. Audio munificentia Sereniſſimi Electoris curari editionem operum *Raymundi Lulli*, utque genuina a ſuppoſititiis meliùs diſcernerentur, doctiſſimum Virum ex Hagiographis Antverpienſibus, & rei criticæ peritiſſimum evocatum. Fortaſſe ante publicationem magni operis non malè ederetur conſpectus, continens indicem, & criticen opuſculorum; qualem conſpectum ſui magni Conciliorum operis nuper Re. Pa. *Harduinus* publicum fecit.

IV. Venio nunc ad reſponſionem Reverendiſſimi Patris Rectoris Monaſterienſis, quæ deſideratam a me notitiam continet. Jam eo res redit, ut de bibliothecæ conſtitutione, & pretio meliùs judicari poſſit. Si indicem non ſtatim nanciſci liceat, ſaltem licebit diſcere, quot volumina adſint in folii, quot in quarti, octavi, duodecimi forma. Inde poterit qualecunque præjudicium ſumi. Optem etiam, ut aliquando coram vicinus inſpicere poſſis, ut de ligatura, aliisque librorum conditionibus nonnihil judicari queat. Quia tam diu latuit bibliotheca, facilè judicari poteſt, eam, ut ita dicam, veteraſcere, nec niſi antiqua continere, ac proinde pulcherrima quæque, a quinquaginta annis, & ampliùs edita, deeſſe. Itaque mirum non eſt, quod diſtractio facta eſt difficilior. Sed de his ex accuratiore notitia meliùs judicabitur; ut conſtituere liceat, an bis mille quingentis thaleris aliquid meritò addi debeat. Mihi non ſatis eſt notitiæ Virorum egregiorum veſtræ religionis, ut facilè reperiam juvenem, qui operam tuam mereatur. Nemo meliùs favere poterit, quàm Reverendiſſimus & illuſtriſſimus Epiſcopus Quinque Eccleſienſis. Si qua tamen occaſio ſe offerat, certè non omittam. Quod ſupereſt, vale, & fave tibi deditiſſimo. *Dubam Hanoverø, pridie Idus Januarii*, MDCCXVI.

EPI-

EPISTOLA XII.

Elogium Leibnitii.

MIrabiliter delectaverunt me tuæ litteræ, ex quibus cognovi officium probari tibi meum. Ita est, mi optime, doctissimeque *Leibniti*, sic comparatus animo semper fui, ut incredibilem observantiam talibus viris, qualis tu es, deberi ab omnibus existimarim. Quæ si fortè quandoque ab aliquibus non præstatur, minus illorum meritò fit; sin summa habetur, nihil medius fidius plus tribuitur, quàm eorum præcellens, constantissimaque virtus meretur. Quod quàm ego verè, sincereque sentiam, mea tibi fides, constantiaque aliquando declarabit; ego ut tuam mihi deesse pariter non patiaris in eo, in quo requiro, vehementer te oro, quæsoque. Si remittente nonnihil perfrigida hac tempestate Monasterium me contulero, quid fieri a me velis, utrum ad te referre de bibliothecæ statu, an cum alio præterea agere, abs te perscribi huc ad me postulo. Quid ais tu? non nosti tu viros egregios religionis nostræ, a quibus multùm & adiris, & consuleris? ut ut sit, scito me alienos etiam a sacris nostris non recusare, modo mihi liberum sit, meam exercere. Redditus est sibi (scire enim id te velle intelligo) bibliothecæ Sereniſſimi Electoris Palatini Præfectus, & valetudinem suam nunc curat diligenter. *Orbanum* valere pariter confidimus, cupimus quidem *hercule*, & optamus. Tu quoque fac, valeas, & nos ames. *Hertenæ*, *octavo Calendas Februarii*, MDCCXVI.

EPISTOLA XIII.

De bibliotheca Mallincrotiana.

ETsi catalogum ipsum bibliothecæ Mallincrotianæ, quem *Mockinius* mihi promisit, nondum haberem, tamen breve hoc compendium librorum, qui in bibliotheca ista continentur, quod postremis tuis requirere videbare, mittendum duxi; ut ferre inde judicium aliquod ipse valeas. Catalogum autem ipsum, ubi habuero, tu primus indipisces. Interim quid fieri a me velis hac in re, exspecto. Curabo negotium ego tuum non negligenter; quemadmodum fides mea in te, & observantia planè singularis postulat. Tu ne mihi desis in eo, in quo patrocinium tuum requiro, per te ipsum providebis. Vale, & me tuere. *Ex Arce Hertensi*, *pridie Calendas Februarias*, MDCCXVI.

EPI-

EPISTOLA XIV.

De eodem argumento.

ECcas alteras, quas Monaſterio heri accipio a *Wernenkinckio*, qui bibliothecæ Mallincrotianæ nunc curam habet. Dedit is vice altera ad me (neſciebat enim priorem mihi per *Krickium* fuiſſe redditam) brevem catalogi deſcriptionem, qualem nuper ſubmiſi. Ex his litteris fortè ea cognoſces, quæ facient in rem tuam. Ego juſſa tua exſpecto, & imperium. Non committam, ut merito meo queri poſſis, utilitati me tuæ defuiſſe. Vale, & tibi perſuade, nihil me ita cupere, quàm ſtudiis meis vincere cogitationes tuas. Vehementer autem te rogo, ut mei quoque tuo commodo reminiſcaris apud eos, apud quos tuo mihi patrocinio aliquo potes adjumento eſſe. *Hertenæ, pridie Nonas Februarii*, MDCCXVI.

EPISTOLA XV.

De Buchelſio.

SIlentium tuum me facit metuere, ne meæ tibi redditæ non omnes ſint, quas ad te perſcripſi diligenter. Quare dare hoc etiam epiſtolium ad te volui, ne, ſi quid intercidiſſet mearum, diligentiam mihi in accurandis tuis defuiſſe crederes. Significare tibi præterea debui, *Buchelſium* noſtrum, cujus tu nuper afflictam valetudinem ita dolebas, non modo e morbo ſuo planè recreatum, quemadmodum nuper nunciavi; ſed beneficentia Sereniſſimi Principis Palatini novo etiam munere Eccleſiaſtico auctum Duſſeldorpii fuiſſe. Id quod tibi tanto majorem eſt voluptatem allaturum, quanto ipſius virtus tibi dignior viſa eſt. Vale, & bonus fave. *Hertenæ, ſexto Calendas Martii*, MDCCXVI.

RESPONSIO LEIBNITII.

De Mallincrotii *bibliotheca & rel.*

GRatias tibi iterum ago, quòd plura de Mallincrotiana bibliotheca ſignificas; ſed illud, quod memoras, catalogi compendium his oculis non vidi. Itaque vel epiſtola aliqua periit, vel ad me miſſum non eſt. Id ergo pergratum, imò neceſſarium erit. Scripſi in tui gratiam, ſed te non nominato ad *Behrenium*, Medicum Hildeshemenſem, & Regis Magnæ Britanniæ Electoris Hanoverani; is reſpondet, quæ vides. Cum *Steinfundero* loquutus eſt, me non petente, (ſed tamen nec vetare volui) facilè autem judico non convenire, ut huic Patri curriculum vitæ mittas. Nunc,

Nunc, niſi aliter tibi videbitur, reſpondebo, te oblata occaſione non tantùm amplè ſcripturum, ſed & coram affuturum. Ceterum *Roſenthalio*, Conſiliario Hildeſienſi Aulico, Viro multæ doctrinæ, & humanitatis, plurimum tribuo, ejuſque operâ facilius aliquid in rem cognoſci, efficique poſſe arbitror. Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ, quinto & decimo die Nonas Februarii*, MDCCXVI.

EPISTOLA XVI.

Drieſchius *ſe* Leibnitio *commendat.*

NOn queo iſtud conjicere, quî factum ſit, quòd bibliothecæ compendium ad te delatum non fuerit. Inſcripſi literas ad te, cui ceteras omnes, ſoleo, *Krickio*, mei amantiſſimo, qui alias haud conſuevit in amici hominis negotiis accurandis negligens inveniri. Interim mitto brevem catalogum eodem exemplo. Tu ſi a me poſtulas, ſi a me fieri vis, ipſe Monaſterienſes accedam, ut referre ad te accuratius de re omni poſſim. Gaudeo fortunas meas tibi curæ eſſe, atque etiam gratias habeo propterea, agoque, quantas poſſum maximas, majores etiam, quòd me non nominaveris apud Hildeſienſes. Facilè enim iſtud animo providebas, me in ſtabiliendis rebus meis ejus operâ uti nolle, cujus ego amicos, & ſocios nuper mihi habui adverſantes. Apud alios autem non veto, ut me nomines. Vide ſolùm ſis, ut nequid ampliùs de me prædices, quàm ſuſtinere mediocritas mea valeat. Opto, quemadmodum nuper ad te ſcripſi, ut hanc ætatem habeant curæ meæ commendandi, quæ & ſcientiarum, ac ceteræ omnis humanitatis capax ſit, & Societatis tamen Gymnaſia ſuperarit, ad Juriſprudentiamque adſpiret; erit id tibi, ut confido, non difficile, mihi impetrare. Si quem inveneris, qui operam meam in eo expetat, ſiſtam me huic, ſi, ut id faciam, rogatus fuero. Interim ſcito, me in amplitudine & benevolentia tua nunc planè requieſcere. Vale, & nos caros habe. *Hertenæ, quinto Nonas Martii*, MDCCXVI.

RESPONSIO LEIBNITII.

I. *De bibliotheca Mallincrotiana.* II. *De Jeſuitis.*

I. INdiculum librorum bibliothecæ Mallincrotianæ altera vice miſſum accepi; prior ad me, neſcio quo caſu, non pervenit. *Gummersbachius*, Societatis Jeſu Sacerdos, profectus Hildeſia, Oſnabrugum tendens, in tranſitu ad me inviſit, interrogavitque, an non, quem commendaſſem, eſſet *Drieſchius*. Nam quod ex Weſtphalia eſſe, Hanoveræ ad me inviſiſſe, proſa, ligataque valere, Juri operam dare ſcripſeram, hæc omnia illi in te quadrare viſa ſunt. Diſſimulavi, negans mihi ſuccurrere nomen ex litteris quærendum. Et ecce revera totum tuum nomen mihi non

ſuccurrit. Volui hoc ſignificare neſcius ne eſſes. Numerus librorum Mallincrotianorum eſt exſpectatione paulo inferior. Itaque jam cognoſcenda eſt bonitas, & ligaturæ genus, ut meliùs de pretio juſto ſtatui poſſit. Aliunde id plurimum derogat; nihil in ea bibliotheca habetur editum inde a ſexaginta annis: Theologi etiam, quamvis aliam claſſem numero vincunt. Ubi aliquando occaſione oblata de vicino ipſe inſpexeris, meliùs judicabitur. Ceterum, omiſſis Reverendis illis Patribus, videbo, an Conſiliarius *Roſenthalius* nobis utilis eſſe poſſit. Amicus meus Hildeſienſis illos, me non jubente, conſuluerat. Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ, quarto & decimo die Calendas Aprilis*, MDCCXVI.

P. S. II. Putem interim, etſi ab illis, quos dixi, diſceſſeris, non inconſultum tamen fore, ut amicos retinere ſtudeas. Scis enim, quàm facile illis ſit nocere his, quos parum amicos putant. Reverendus Pater *Boſſius*, credo, libenter mecum conciliatorem ageret.

EPISTOLA XVII.

De Gummersbachio, Roſenthalio, *bibliotheca* Mallincrotii *& rel.*

EST vero *Gummersbachius*, ut hoc quoque non neſcias, mihi cognatus, & mei amantiſſimus, ut proinde mirari non debeas, ſi te aliqua de me rogavit. Factum id ab eodem ſcio animo erga me benevolo haud alieno. Quod vero me ex Weſtphalia eſſe: iſtud etiam in me quadrare dixerit, hoc equidem demiror, qui tam repente mutatus ſit, ut & ſe Weſtphalum modo credat, & Coloniam noſtram Weſtphaliam auſus ſit appellare, quam ego media in Germania ſitam putaſſem, niſi aliud ex eodem jam cognoviſſem. Sed hæc tecum, quemadmodum cum eodem ſoleo, more, inſtitutoque meo nunc rideo; deinceps res mihi ſeriò agetur. Inprimis autem cupio, ut *Roſenthalio*, & ceteris amicis tuis me commendes; magis enim iſtinc aliquid exſpecto, & requiro, quàm aliunde, quod ut citò impetrem tua præcipuè curatio erit: mea, ut de bibliothecæ Mallincrotianæ ſtatu pleniùs perfectiuſque erudiare. Dedi ad te quoque aliàs epiſtolam Juris-Conſulti *Wernekinckii*, qui litterarii iſtius theſauri nunc curam habet, qua ſignificabat, ſolos auctores in folio, ut vocant, pluris olim conſtitiſſe, quàm nunc univerſa Bibliotheca æſtimetur: omnes diligenter fuiſſe ſemper aſſervatos defenſos præclarè a pulvere ac tineis, involucra ſplendida eſſe, & ſuperba: quæ ideo repeto, quia vereor, ne epiſtola hæc unà cum indiculo interciderit. Perferuntur heri ad me litteræ Colonia, quibus doceor, Illuſtriſſimum *Archinteum* Legati Pontificii è fratre nepotem profecturum inde poſt modicum tempus ad Juris ſcientiam comprehendendam; optabilis foret hæc rationibus meis conditio; nec credo Illuſtriſſimi Nuncii animum in eo mihi adverſantem, ut nepotem ſuum meam tradat in diſciplinam, cui ipſi meus quondam patruus,

truus, cùm per exteras nationes duceretur, adjunctus fuit, qui ſuam pridem erga familiam noſtram voluntatem Conſulibus præſentibus declaravit. Sed ad hoc inprimis mihi neceſſariam video operam Patrum Societatis Jeſu, quam ſi mihi per *Boſſium* impetraveris, æterno me beneficio devinctum habebis. Vale, & nos tuere. *Dabam ex Arce Hertenſi, pridie Calendas Aprilis*, MDCCXVI.

RESPONSIO LEIBNITII.

De Jeſuitis & de Mallincrotii *bibliotheca.*

AD *Orbanum* do litteras, quales ad *Boſſium*, quia ita deſiderare videris. Velim, ut utiles tibi eſſe poſſint. Uterque mihi videtur eo eſſe animo atque ingenio, ut eorum, quos fortaſſe ex Societate, in qua ſunt, offendiſti, iras non ſint nimis ad animum ſuum revocaturi, cùm ſint æquitatis ſtudioſi, & rerum humanarum periti. Interim non dubito, effecturum te pro tua prudentia, ut favere tibi, nulla ſuorum offenſa, poſſint. Significavi nuper Virum illum doctum, qui de Mallincrotiana bibliotheca ad te ſcripſit, non ſatis aperte egiſſe, quod quidem reprehendere non poſſum, cùm creditorum cauſſæ ſtudeat; ſed apud me aliunde edoctum eam multo minore pretio eſſe vendibilem, quàm ille indicavit, imò non multo pluris dimidio, inutilem eſſe diſſimulationem. Vale, & me ama. *Dabam Hanoveræ, tertio Nonas Maii*, MDCCXVI.

EPISTOLA LEIBNITII
AD PATREM BOSSIUM,
Societ. Jeſu Theologum.

De Drieſchio.

CUm nuper ad te prolixè ſcripſerim, has nunc unicè dare volui in amici gratiam. Is eſt D. *Gerardus Cornelius van den Drieſch*, qui te mirificè colit; & cùm ſuperiore æſtate huc excurriſſet, multis hoc apud me teſtatus eſt. Is nunc tuam opem flagitat, & me quoque vult proxeneta uti, etſi opus eſſe non putem. Ego verò addo, videri mihi dignum favore tuo aliorumque, etſi fortè nonnullorum ex veſtris gratiam amiſerit, neſcio cujus culpa. Sed juvenibus facilè ignoſci a ſapientibus arbitror, quoties ſtimulis gloriæ acti limites nonnihil excedunt, qui a ſenibus præſcribuntur. Sperat filio fratris Excellentiſſimi Nuntii Apoſtolici adjungi poſſe, ſi tuum ſuffragium accedat. Ego ſpondere auſim, hoc beneficium bene collocatum iri, neque tibi ejus pœnitentiam obrepturam: in id certè ſedulò enitetur.

Eſt in elegantibus litteris verſatior, quàm plerorumque hodie captus fert; atque hæc eſt meo judicio baſis veræ eruditionis, præſertim in eo, qui ad Juriſprudentiam, & ſtudia civilia adſpirat; ubi magnum eſt pondus in Hiſtoriæ & Antiquitatis cognitione, ſine qua nec Legales Romanæ recte percipi ſolent; ne quid de publico, privatoque jure noſtri Imperii, & canonibus etiam Eccleſiaſticis dicam.

Quæ cùm ita ſint, non dubito, quin facturus ſis, quicquid tua conſultiſſima æquitas & in illum meque beneficus favor admittet. Vale. *Dabam Hanoveræ, tertio Idus Aprilis*, MDCCXVI.

LEIBNITII EPISTOLA

AD PATREM ORBANUM,

Sereniſſimi Electoris Palatini conſcientiæ Arbitrum.

I. *De* Drieſchio. II. *De Miſſione Sinenſi.*

I. EXhilaravit me nuper Dn. *Cornelius van den Drieſch*, dum ſignificavit, te bene valere, petiitque, ut qualicunque commendatione mea apud te juvaretur. Adiit ille me anno ſuperiore, & ſubinde litteris ad me datis doctrinam ſuam haud vulgarem non una ratione oſtendit. Et cum Juris privati, publicique ſtudia Hiſtoriæ elegantioribuſque litteris conjungat, putem dignum, qui juvenis alicujus nobiliſſimi profectus adjuvet; quod tuo favore obtinere ſperat. Ego plurimum gaudebo, ſi deſiderium ejus, interceſſionemque meam aliquid apud te valere intellexero, idque optarem aliquo officii genere demereri poſſe.

II. Spero Regis Luſitaniæ potiſſimum auctoritate effectum iri, ut Roma in Sinenſi cauſſa moderatius agat. Nam ſi prioribus principiis inſiſtit, & *Tournoniana* mandata tueri cogitat, de Sinenſi miſſione actum erit. Mihi ſemper viſum eſt, cultus Sinicos publicos parentum, & benemeritorum pro merè civilibus haberi poſſe; cùm nihil a defunctis peti, exſpectarique conſtet. Audio etiam iter veſtris in Japoniam quodammodo rurſus eſſe apertum; quod ſi ita eſt, cautius in poſterum mercari è re erit, ne animi facilè irritabiles iterum concitentur. Non dubito, quin bona pars veſtrorum, qui ex Germania, viciniſque provinciis ad Indos, Sinaſque profecti ſunt, tibi ſint noti, & pars etiam a te in Mathematicis eruditi. R. P. *Volſcius*, qui Lincii docuerat Matheſin, nunc Viennæ agit cum applauſu; ſed in Aſtronomicis maximè eminet P. *Hendrichius*, Vratislaviæ apud vos docens. Quòd ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ, quarto Nonas Maii*, MDCCXVI.

P. S. Egregium muſeum tuum magis magiſque proficere non dubito.

LEIB-

LEIBNITII EPISTOLA
AD PATREM CONSBRUCHIUM,

Auguſtiſſimæ Imperatricis conſcientiæ Arbitrum,

De recens nato Archiduce Auſtriaco.

DUbitabam, an tibi ſcriberem, & natum non vobis tantùm, ſed & nobis puerum Archiducem gratularer; nam etſi favorem tuum expertus eſſem, verebar tamen, ne importuna tibi videretur compellatio ab eo, cum quo non multum tibi conſuetudinis interceſſiſſet. Tandem ut litteras ad te dare auderem, fecit amici deſiderium, qui tibi commendari petit. Eſt is Dominus *Gerardus Cornelius van den Drieſch*, Colonienſis, ex laudatis ortus, quem ego ob viciniam popularibus tuis, id eſt, Weſtphalis, computo, litterarum amœniorum cultu florentem, & gratia familiæ inſignis Neſſelrodianorum, ex qua Illuſtriſſimus Epiſcopus Quinque Eccleſienſis prodiit; jamque etiam ſtudia civilia cum fructu, & ſucceſſu tractat, ut planè favore tuo, tuorumque amicorum dignum judicem. Sed ad gratulationem redeo, & votum meum, adjecto Hexaſticho, comprehendo, ac me data occaſione Auguſtiſſimæ noſtræ commendari peto. *Dabam Hanoveræ, pridie Nonas Junii*, MDCCXVI.

Quæ Belgas, Italoſque tibi Germania debet,
In nato junctas, CAROLE, cernat aves.
Auſtria jam toto reliquis gens eminet orbe,
Perpetuam facias ELISABETHA Parens,
Delicias hominum, clementis munus Olympi
Dent regem vobis fata videre virum.

LEIBNITII EPISTOLA
AD DRIESCHIUM.

De Hiſtoriarum & Juris cultu.

LItteras tuas tum Hertenæ tum Francofurti datas accepi. Ut prioribus meliùs reſponderem, reſponſiones ab egregiis Viris *Orbano* & *Boſſio* exſpectabam. Sed quia jam iter ſuſcepiſti, ut quid illi reſponſuri ſint, parum in rem futurum videatur, diutius reſcriptionem differre nolui.

lui. Non eſt tanta mihi cum Illuſtriſſimo Epiſcopo Quinque Eccleſienſi notitia, ut quemquam apud eum commendare auſim; neque tibi ea commendatione apud ipſum opus eſt, qui ab ejus agnatis venis. Litteras ad rev. *Consbruchium*, popularem tuum, utilius a me ſcribi poſſe judicavi, quas adjungo. Cum ſententiam meam de Hiſtoriarum & juris cultu quæras, ego Hiſtoriæ univerſalis cauſſa *Sethi Calviſii* & *Dionyſii Petavii* ſcripta ſynoptica, pro hiſtoria recentiore, cujus uberiore notitia opus eſt, *Thuanum* & Actorum publicorum Collectores *Hortlederum*, *Lundorpium* & auctores Theatri Europæi commendaverim. Jus privatum commodè imprimis tractavit *Georgius Adamus Struvius* tum compendiolo, tum Syntagmatibus ſuis. Sed accedere debet ipſa Textuum in fontibus inſpectio, ubi ſi quid occurrit difficultatis, ductu notarum *Dionyſii Gothofredi* plerumque enodari poteſt. Pro Jure Canonico commendanda eſt corporis ipſius editio fratrum *Pithœorum*. Nec ſpernenda ſunt Rationalia *Viviani* & *Gonzaleſii* commentarii uberiores, & quia inprimis opus eſt veſtris accurata cognitione Proceſſus Romani, juriſque in curia recepti: introductionem dabit *Plettenbergii* Opuſculum, plenam notitiam *de Luca*. In Jure publico *Beckerus* veſter, *Schwederus* noſter vel *Vitriarius* Synopſin dabunt. Inde *Limneus*, *Abaſverus Fritſchius*, aliique notiſſimi ſcriptores poſt pacem Weſtphalicam editi, plenam meſſem exhibebunt. Nec negligenda erunt, quæ *Conringius* & *Boeclerus* in hoc genere dedere, qui accuratiore originum notitia inſtructi erant. Quamquam tibi bibliothecam Mallincrotianam inſpicere non licuerit, habebis tamen fortaſſe amicos fidos, quorum in ea re uti liceat. Quod ſupereſt, vale, & me ama. *Dabam Hanoverœ* IV. *Junii*, MDCCXVI.

G. G. LEIB-

G. G. LEIBNITII EPISTOLÆ IV.

AD JO. CHRISTOPHORUM WOLFIUM,

Primum Philoſ. Prof. Vitemb. deinde Paſtorem Primarium templi Catharinæ Hamburgenſis.

Ex Kortholti Tom. I.

EPISTOLA I.

I. *De inſigni Philoſophiæ utilitate.* II. *De* Wolfii *de Bogomilis diſſertatione.*

I. TUa ſemper licet tacitus, ut par erat, eo magis æſtimavi, qua pauciores eſſe hodie video, qui veterem doctrinam colant. Sententias philoſophorum Græciæ & antiquæ Eccleſiæ doctorum, ex ipſis elici fontibus, ſtudium eſt, quod mihi utile videtur ad pondus dandum novis veritatibus, quæ plerumque antiquis conſpirant. Itaque valde applaudebam olim juvenis *Jacobo Thomaſio*, inſigni viro, qui Hiſtoriam non tantùm philoſophorum, ſed & philoſophiæ mihi tractare videbatur. Et *Johannis Henrici Horbii* inſtitutum probabam, qui impulſore *Thomaſio*, venas philoſophorum in agros Patrum Eccleſiæ derivatas, non ſpernendus aquilex perſequebatur, & in *Origene* ſpecimen dare cœperat. Sed *Thomaſium* mors mox abſtulit, *Horbium* præjudicatæ quædam opiniones alio tulere. Te video hæc damna reſarcire poſſe, cui adſunt ætas, doctrina, animus. Macte hoc ſtudio, & te vulgo literatorum noſtri temporis eripere perge, qui ferè extemporaneis conatibus per rerum ſuperficiem inclareſcere volunt.

II. Gratias ago, quòd Bogomilos tuos ad me miſiſti. Inter alia jucundum fuit ex ipſo nomine horum hæreticorum comprobatam videre ſententiam a me nuper defenſam, quod Bulgari Slavonica gens fuerint. *La Croſio* noſtro, viro undequaque doctiſſimo, multum debeo, quòd tui mihi notitiam conciliarit. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 11. *Decemb.* 1711.

EPISTO-

EPISTOLA II.

I. *De* Wolfii *Bibliotheca Rabbinica*, & II. *De Philoſophia veterum.*

I. QUum literas tuas inter eas repererim, quibus nondum reſpondi, ſuſpicor officio me meo defuiſſe, & ſi ita eſt, veniam peto. Literas, quas amico curandas dederas, non accepi: interea cum voluptate percipio ex noviſſimis tuis te mei benevolè meminiſſe, & pergere in ſtudio de Republica bene merendi. Gratulor etiam ſedem novam, & in ea proſpera auguror precorque. Non dubito quin multa profutura lateant, etiam in Rabbinorum paludibus, quas quum luſtres, & Bibliothecam eorum novam & ſuccinctam moliare, optem interdum data occaſione, annotari loca eorum meliora & amœniora, ut ex iis proficere poſſimus, ubi quid habent paulo dignius ſcitu. Fortaſſe *Hermannus von der Hardt* Vir cl. hic prodeſſe poſſet, ſi in conſilium adhiberetur.

II. Gaudeo, te Florentia nactum quæ ad φιλοσοφούμενα a te edita emendanda faciunt, & ſpero curam enucleandæ veteris Philoſophiæ non depoſiturum. Sæpe optavi, veteres *Ariſtotelis* interpretes in compendium contrahi. Sed hodie neſciunt homines aliquid in illis latere ſcitu dignum. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanov.* 18. *Octobr.* 1712.

EPISTOLA III.

I. *De Bibliotheca Rabbinica* Oppenheimeri. II. *De Hiſtoria Philoſophiæ & Theologiæ gentilis.*

I. SErò reſpondeo, quòd indies hinc diſcedere parabam, & quæ petebas non facilè per literas conficere poſſum, ſed ne nunc quidem me hic abſolvere potui. Conſilio tuo inſtruendæ Bibliothecæ Hebrææ meritò applaudo. Bibliothecam *Oppenheimeri* Judæi in urbe Hanoverana latere ignorabam. Quod ſi quid inde ſperas, putem optimè te facturum, ſi literas des ad ſummum Virum, eumque humaniſſimum *Gerhardum Molanum*, Abbatem Luccenſem, Primatem Statuum Conſiliarium Sereniſſimi Electoris Eccleſiaſticum & Eccleſiarum Electoralium Directorem, cujus non mediocris eſt etiam apud Judæos auctoritas. Cæterum circa rem Judæorum librariam etiam celeberrimum Virum *Hermannum von der Hardt*, utiliter conſuli poſſe putem. Inſignem planè Virum *Johannem Albertum Fabricium* a me data occaſione officioſiſſimè ſalutari peto.

II. Hebræis abſolutis, te, ad hiſtoriam Philoſophiæ ac Theologiæ gentilis illuſtrandam, rediturum ſpero: Ipſum *Fabricium* noſtrum aliquando de *Sexto Empirico* recudendo cogitare intellexi, utilis labor præſertim ſi etiam res ipſæ expendantur. Memini, me olim in librum primum Notatiunculas conjicere in chartam. Quod ſupereſt, vale & fave. Ita petit &c. *Dabam Viennæ Auſtriæ* 1. *Nov.* 1713.

EPISTO-

EPISTOLA IV

I. Widovii *laus.* II. *De Bibliotheca Rabbinica* Oppenheimeri. III. *Nova quædam litteraria.* IV. *De Cruce a* Conſtantino M. *viſa.* V. *Fragmentis* Irenæi *a* Pfaffio *editis &* VI. *Samaritanis.*

I. NObiliſſimi *Widovii* veſtri conſuetudine & doctrina multum delector, neque exiguum eſt, quod litteras tuas & Fabricianas ipſi debeo.

II. Debet tibi Hanovera, quod didicit, quem theſaurum defoſſum habeat in Rabbinica Bibliotheca, quem nos ibi latere juxta cum ignariſſimis ſciebamus. Non ſpero, te in eo reperiiſſe, aut reperturum eſſe, pro auro carbones.

III. *Queſnellum*, cujus notas in N. T. Latinè edi memoras, hoſtes ſui illuſtrant: *Fenelonii* liber, quo Deum exiſtere probat, Gallicè ſcriptus, in alias linguas verti meretur, ut fieri nuncias. Eſt enim elegans & popularis, etſi infra magnitudinem argumenti & autoris.

IV. *Conſtantino Magno* Crucem per quietem viſam, ſunt quæ ſuſpicionem injiciant, ſed, quod de viſione *Fabricium* veſtrum inſignem virum judicare conſtabit, magnum apud me pondus habebit. (*a*) Interea gratias ago, quòd de præclaris ejus laboribus aliquid me doces, nam ipſe de ſe ſilet.

V. *Irenæi* edita a Cl. *Pfaffio* Veneti Ephemeridibus ſuis inſeruere cum propriis notis, non contenti, ut apparet, Pfaffianis.

VI. Optem tibi commercium cum Caraitis, ut olim *Triglandio* dari, quo magis illuſtrare res eorum poſſis, ut alii Samaritanorum. Miratus ſæpe ſum Samaritanos, ut obiter hoc dicam, non ultra librum *Joſuæ* procedere. Quodſi odio Davidicæ ſtirpis librum *Ruth*, & libros *Samuelis* Regumque rejecere, at Judices ferre poterant, quos tamen non agnoſcunt. An fortè libri illi, quos ignorant, non ante ſciſſionem tribuum ſeu regnum *Jeroboami* nati ſunt? Velim noſſe quo nunc ſint loco res præclari noſtri *Croſæi*, cui optimè conſultum velim. Quid agatur in litteris hic fero diſcimus, tua ope per doctiſſimum *Widovium* proficere poterimus. Vale. *Dabam Viennæ Auſtriæ* 28. *Julii* 1714.

(*a*) *Jo. Alb. Fabricii* diſſ. de cruce a *Conſtantino M.* in cœlo viſa in volum. VI. Bibliothecæ Græcæ cap. I. p. 8. ſeqq.

EPISTOLA AD D. HACKMANNUM,

tum temporis in Academia Julia Profeſſorem.

Ex Kortholti T. IV.

I. *De ſcriptoribus rerum Brunſvicenſium & Codice Juris Gentium diplomatico.* II. *De Manuſcriptis Anglicanis & Hiſtoria Anglicana.* III. *De* Iſaaco Newtono.

I. BInas tuas accepi, ſanè tanto gratas magis, quanto minùs expectatas; Latinas priores, alteras Anglico ſermone ſcriptas. Vidi & quæ ad Ampliſſimum *Schraderum* eodem tempore Gallicè dediſti, omnia; quantum ego judicare poſſum, doctè, lucidè, eleganter. Iniquus ſim, niſi id agnoſcam, ingratus, niſi beneficium tuum prædicem. Nam & mittis præclaras quaſdam chartas, quibus Hiſtoria Sereniſſimæ Domus Brunſvicenſis illuſtrari, aut meus Codex Juris Gentium Diplomaticus augeri queat, & opem humaniſſimè ſpondes, ſi quid ex Anglia porrò optem. Et cùm vulgus peregrinantium inania aut parum profutura curet; tu profectò optimam partem elegiſti, in qua verſare. Quid enim potuiſti expetere dignius curioſitate ingenua, quàm inſpicere theſauros chartarum Regni, bibliothecas publicas privatasque luſtrare, noſcere magnos Viros. Macte hoc labore, quo neque utiliorem ſuſcipere poteras, neque favore digniorem. Ego ſi quid conferre poſſum, quo vel illic poſſis uti, vel hic frui, faciam lubens. Tuas autem Epiſtolas eo, quo accepi, ordine proſequar. Vices Præfecti regiarum chartarum egregiè ſupplevit Doctiſſimus *Rymerus*, cujus opera, annitenteque etiam tunc Domino *Stepneio*, regio in exteris aulis Miniſtro, pervenere ad me copiæ non paucorum Diplomatum perutilium; quibus acceptis non ſum auſus ultra extendere deſideria, ne importunus haberer. Sed tuâ operâ multa adhuc alia obtinuimus, præclara ſanè. Et videtur plurimum referre, ut permiſſione tibi data rectè utamur; ne aliquando amiſſam occaſionem ipſi nobis exprobremus. Te certè puto pro prudentia tua ſæpe eorum, quæ neque otium nec deſiderium eſt tranſcribendi, notitias breves, indiculi vice, conſignare, ut memoriæ inſervire poſſint; unde ſi quid, cùm tibi aliquando commodum videbitur, ad nos perveniat, poterimus fortaſſe, ut quiſque diverſa agitat, reperire in illis ſubinde, quod in rem ſit, etſi minùs ad nos pertinere prima fronte ſit viſum. Præclaro operi Domini *Rymeri* quacunque ratione, ipſo invito, intervenire, aut, ut ſic dicam, piraticam in littore ejus exercere, religioni mihi utique ducerem; ſed ſi qua conſtet eum permittere velle, quæ in rem ſint publi-

cam

cam aut meam, aliquas micas tam amplarum dapium ad me pervenire, tui beneficii foret.

II. *Eduardus Bernardus*, Vir doctiſſimus & magna litterarum interiorum jactura extinctus, moliebatur edere indicem omnium manuſcriptorum Angliæ. Opus plus quàm affectum reliquiſſe intelligo, & mox proditurum. Id ſi, uti ſpero, te adhuc præſente, fiat, magno tibi nobisque poterit eſſe adjumento. Cottonianus Index dudum beneficio optimi & doctiſſimi Viri *Thomæ Smithi* ad me pervenit, eum aliquando percurram denuo, quando per te occaſio prolixiùs fruendi offertur. Præclara haud dubiè ſunt, quæ mihi obtinere ſpondes Diplomata publicæ rei pro meo Codice, ex quibus Bulla Papæ de Hiberniæ Regno, & litteræ Regis *Johannis*, quibus Regnum ſubjicit Papæ; & *Richardi* Regis aliæ de reſignatione Regni ſui ad hiſtoriam temporum *Henrici Leonis* & filiorum pertinent. *Richardum* enim ſuſpicor eſſe eum, qui cognomento *Cor Leonis* appellatur, & reſignationem tunc factam, cum ab *Heinrico* VI. Romanorum Imperatore, captivus tenebatur. Statim ubi accepi Tomum primum Hiſtoriæ Anglicanæ, a Nobiliſſimo *Tyrello* conſcriptæ, detuli eum Herihuſam ad Sereniſſimam Electricem Brunſvicenſem, & mandata tibi honeſtiſſimis Viri verbis peregi. Juſſus ſum a Domina nomine ipſius pro inſigni munere agere gratias, & teſtimonium rei coram ſpectatæ perhibere, quam acceperit læta, quam inſpexerit avidè, quam legerit libenter. Cùm noviſſimas tuas accepiſſem, iterum non ſine voluptate a me audivit, alteram partem mox ſperari. Aiebat, multa ſibi in prima jam eſſe lecta, placere ſtudium veritatis & rerum copiam & dicendi rationem. Hæc illa pene totidem verbis. Certè non genere magis, quàm affectu, tota, ut ſic dicam, Anglicana eſt. Si quid ex Anglia veniat, præſertim quod pertinet ad decus Nationis, tum cor ipſi totum ſalit. Cùm Regis & Procerum colloquio nuper Cellis utcunque expleviſſet ſeſe, dici non poteſt, quantum inde conſolationis perceperit in recenti adhuc luctu, quanto vegetior huc redierit. Itaque jam ſi vires ſpectes, revirviſſe viſa eſt, & in decimum veſtigia rettulit annum. Nec quicquam ei facile accidere poterit jucundius, quàm quod intelliget, ad gloriam Regis magni, ad tranquillitatem Angliæ, quæ ipſi pene patria habetur, ad religionis denique purioris & ingenuo animo dignæ, qualis Proteſtantium eſt, conſervationem pertinere. Nihil enim eſt, quod magis improbet ſapientiſſima Princeps, quàm quicquid ad ſervitutem vel ſacram vel civilem tendit, a qua *Guilielmus* utramque gentem vindicavit. Quantum ex iis apparet, quæ Lubecenſibus aliisque ab *Heinrico* III. Rege Angliæ indulta per te cognovimus, pene in eo ſum, ut credam, prima Hanſæ Teutonicæ fundamenta in Anglia *Alberti* Ducis Brunſvicenſis protectioni ac favori accepta fuiſſe ferenda, cui obnoxios ſe gerebant. Inter Anglos eruditos, qui mei perhumaniter meminere, recenſes duos mihi non ſatis cognitos, *Latemium* & *Bucherum*. Hi quales ſint, nam inſignes viros eſſe, ex ſociis judico, quibus adſcribis, diſcere opto.

III. *Newtonum*, profundiſſimi ingenii Virum, nunc Londini degere ſcribis, reique monetariæ curam gerere. Neque id Mathematico indignum eſt. Nam & *Copernicum* de hoc argumento aliquid ſcripſiſſe, accepi. Interea pluris omnibus nummis facienda eſt naturæ cognitio, & ſpero, ſatis illi temporis ſuperfore, ut cœpta proſequatur. Inprimis lubens a te intellexi, mox proditurum eſſe, quæ de coloribus jam diu meditatur, digno argumento, in quo tantus Vir elaboret. Itaque rogo, ut ipſi ſignifices, quantæ mihi voluptati ſemper futurum ſit, videre crebra & gloriæ ejus apud nos, ſi modo illa augeri poteſt, & utilitatis noſtræ ab ipſo incrementa. Ego enim ſemper candidè profiteor, inter potiſſima eum ſeculi præſentis ornamenta a me haberi, & ut diu ſit etiam proximi, a me optari. Aliquoties ad me ſcripſere amici, vix ulla haberi apud bibliopolas Angliæ exempla Codicis Diplomatici mei. Id effecit, ut bibliopola noſter illic unam, aut ſi opus eſt, alteram etiam centuriam mittere conſtituerit, ſi eſſet viciſſim illic, qui vellet in eorum vicem nobis mittere libros in Anglia editos. Crederem, neutri id malè ceſſurum. Itaque rogo, ut ſi commodum ſit, ſententiam Londinenſium quorundam exquiras. Ita vides, Vir eximie, uti me beneficio tuo: vererer, ne abutar, niſi humanitatem tuam & officioſitatem & litteræ tuæ ſpirarent, & res ipſæ comprobarent. Quod ſupereſt, vale, & multos annos felices in imminente inchoa, & egregios Viros commendatione tua mihi faventes, aut para, aut conſerva. *Dabam Hanoveræ*, 30. *Dec.* 1698.

EPI.

EPISTOLÆ VI.

AD

PETRUM DANIELEM HUETIUM,

Epiſcopum Abrincenſem.

Ex Sylloge novâ Epiſtolarum &c. 8°.

EPISTOLA I.

MItto ecce! quam promiſeram, hiſtoriam Anglicanam Hyberni illius mirifici, ſolo contactu medentis. Addo verſionem vivam. Nam is, qui portat, Germanus Anglicæ linguæ peritus eſt, quantum ab extraneo exſpectari poteſt, nobiſque in itinere pro interprete fuit. Idem, ſi jubes, coram te facilè percurret; nam & Gallicè loquitur non paullo rectiùs me. Ita aberit tibi, quantum voles, legendi labor, quod oculorum quoque tuorum intereſſe putavi, in quibus profecto ipſæ laborant litteræ meliores. Optarem ſuppetere majora teſtando cultui, quem magnis hominibus omnes debent, ego privatim tibi. Sed litterulæ meæ non ſunt feraces rerum te dignarum. Supereſt unum ergo, ut tibi, quando ſtudia non poſſum, ſaltem obſequium probem; quod facturus ſum etiam cum periculo famæ meæ. Meminiſti, nuper in mentionem nos delapſos operis illius magni, quod regio juſſu, Illuſtriſſimi Ducis *Montauſerii* ſuaſu, ductu tuo, plauſu omnium, ſuſceptum eſt, revocare litteras fugientes, revivificare lumen pene morituræ antiquitatis, & optimis auctoribus jam tertiam vitam dare, cùm poſt unius vix ſæculi decurſum redeunte contemtu, alio barbariei genere ſuccedente, velut ſaturi vivendi, claudere rurſus oculos cœperint. Ita enim video nonnullos magnorum virorum, *Baconis*, & *Galilæi*, & *Carteſii*, monitis & querelis abuti ad internecionem ſapientiæ veteris, diſſimulationemque ignoran iæ ſuæ, ut juſtè ſpreviſſe videantur indigna ſciri; mulctantes ipſi ſeſe, &, quantum in ipſis eſt, orbem omnibus præſidiis atque experimen is tot ſæculorum. Et fallor, graviſſimis illis ſcriptoribus, quorum ſe diſcipulos profitentur, excidiſſe quædam in eumdem tenſum, quaſi inſtauratione qu dam magna, ſi *Baconi*, aut raſa animi tabula, ſi *Carteſio* credimus, opus ſit ad rectè ſapiendum. Sed condonandum erat liberiùs invehentibus in temporum ſuorum ſupinitatem, & ignavam receptorum

dogmatum, ut ſic dicam, idololatriam, ac ſpecimina ingentia, veterumque inventis paria offerentibus de ſuo. Nec cum illis expoſtulandum, utcumque de aliis ſtudiis iniquius judicent, qui experimenta inſtituunt ipſi, quorum certè hominum generi humano laborantium numquam minima multitudo futura eſt. Nunc autem ut diſcipuli quidam minuti, & non minùs, quam antè, mutato tantùm magiſtro, ſectarii in omnia vetuſtatis dogmata, vix tenui fama accepta, impotenter declament; ut ſatis philoſophum, ſatis eruditum ac ipſi, quis dubitat. *Ariſtoteli* præferendum putent, qui modo materia ſubtili & vorticibus ubique ingeſtis obvia naturæ phænomena explicet; id ad veræ doctrinæ perniciem pertinere, facilè apparet. Capitur enim juventus ignorantia tam dulci, tamque ſpecioſa, ac libenter arripit præbitum ſibi colorem, tam multa ſuperciliosè neſciendi. Equidem non minor adeo jactura foret amœniorum literarum, niſi majorem traheret. Ita enim arbitror, ſi, ſpretis omnibus aliis ſtudiis, non niſi experimenta ac noſtri temporis linguæ negotiaque excolantur, periclitari religionem, cujus veritas aut miraculis præſentibus, (quæ non ſunt quotidiana,) aut antiquitatis oraculis firmatur; quod nuper etiam *Mericus Caſaubonus* monuit diſſertatione epiſtolica ad amicum Anglicè edita, quam & mecum attuli. Huic tam perniciosè gliſcenti ſæculi morbo vos valituro in alteram uſque tertiamque ætatem remedio occurritis. Nam ſi tantæ ſpei principem, tantis rebus deſtinatum, interioris doctrinæ myſteriis imbuitis, poſteritati in aliquot ſæcula conſuluetitis. Quantum enim unius principis approbatio poſſit, *Franciſci* exemplo ſenſit orbis, cujus etiamnum fructus vivit. Principi placere ſtudent omnes, ad hujus nutum circumaguntur fata litterarum, & ingeniorum præſtantium ſeminario providetur orbi. Sed nec ampliùs nobiles quoque, & ad negotiorum lucem natæ, mentes deterrebuntur infamia apud ipſos criticæ ſalebris, cum complanata per vos via licebit cuivis uno legendi ſpiritu, nullo præſidia aliunde emendicandi faſtidio, in adyta illa penetrare, quæ olim non niſi maxima ingenia ſibi per improbos labores acceſſa fecere. Huic tantæ molitioni veſtræ adminiſtros eſſe lectos viros præſtantes, nemo dubitat, qui vos novit. Quo magis miror judicii tui benignitatem, qui, hominem mei ſimilem nonnihil conferre poſſe, nuper credebas. Id ego primum naturali cuidam bonitati tribuebam, qua optimi quique viri, velut præventi, de aliis humaniſſimè ſentiunt. Sed ut te perſtare vidi, de cujus acerrimo judicio non poteram dubitare, re mecum expenſa, modum reperi conciliandi conſcientiam meam cum ſpe tua. Id enim fateor, tametſi neque ingenium, neque doctrinam mihi arrogem, diligentiæ tamen laudem aliquando apud æquos cenſores conſecutum. Et quid aliud exſpectes a Germano, cui nationi inter animi dotes ſola laborioſitas relicta eſt? Reſtabat de ſcriptore deliberare, in quo vires experirer. Et ea fuit bonitas tua, ut, quæ nondum occupata reſtarent, ſcire me patereris. Ex quibus eos præſertim, in quibus melioris philoſophiæ ſpecimen edi poſſet, tu quoque mihi commendaſti; in quo genere, ut aiebas, ſuper-

perſunt *Plinius*, *Mela*, rei ruſticæ ſcriptores, *Apuleius*, *Capella*, *Boetius*. Quando vero mihi gratiam delectus feciſti, dicam, venia tua, quid congruentiſſimum crediderim ceteræ ſtudiorum meorum rationi. *Plinius* me facilè a ſe abſterruit. Huic opus eſt viro magno, &, quod inprimis neceſſarium arbitror, medico, cui omnis της υλης ιατρικης varietas perſpecta eſt. Nec Georgicos attrectare auſim. Nam niſi quis myſteriis œconomicis penitus imbutus ſit, ut noſtras artes veteribus comparare poſſit, quæ una eſt ratio lucem fœnerandi ſcriptoribus iſtis, operæ pretium non fecerit. Elegi ergo, ne te diutius teneam, *Martianum Capellam*, uſus ingentis auctorem, gratum varietate, ſcientias non libantem tantùm, ſed intrantem, ſolum ex ſuperſtitibus ſcriptorem cujuſdam artium liberalium encyclopædiæ. Sed difficillimum, inquies, & deformatiſſimum. Fateor; ſed nil eſt, quod non audeam, te duce. Addo, ſi nemo alius jam occupaſſet, fortè ex toto agmine hunc non ideo minùs delegiſſem; ita ſemper geſtii veterum ſapientiam noſtri temporis inventis copulare. Quare, quod relictus eſt hactenus, bonæ cuidam fortunæ imputo. Sanè ſi cui alii, huic certè, neceſſaria illa, quam cogitatis, orationis analyſis; ita perpetuò ſalebroſus eſt, & horridus, & affectator antiquitatis ſequioris ævi vitiis incruſtatæ, ut jure dicere poſſis, verſione Latina indigere *Martianum*. Sed in his ego, inque aliis omnibus ſequar, ampliſſ. domine, judicium tuum, cujus ope fretus rem tantæ difficultatis aggredior. Specimen tibi maturè feram, ut ex ejus emendatione intelligam rectiùs rationem conſilii veſtri. Interea vale, & homini tibi obſequentiſſimo fave. (*Lutet.* 1673.)

EPISTOLA II.

PRo certo comperi, *Vitruvium* celeberrimi *Valeſii* ſub prælo ſudare, editore nobis multa nova ac ſingularia, a ſe primùm detecta, promittente, in quibus omnes hactenus interpretes lapſi ſint, eoſque errores per totum *Vitruvium* fuſos eſſe. Quæ res facit, ut, antequam editio iſta prodeat, manum admoliri ſcriptori non auſim, ac ne conſtituere quidem mecum, quid tibi promittere debeam. Præterquam enim, quòd vir tantus fortaſſe, hominem novum in occupatam a ſe materiam involare, non ſatis æquo animo laturus ſit, paratus ipſe ſuccum Gallicæ editionis Latina complecti, ut, quemadmodum illic *Colberto*, ita hic *Montauſerio*, utrobique regi, ſatisfaciat. Eſt & aliud cogitandum mihi, an nimirum poſt meſſem ejus ſpicilegium mihi relictum ſit obſervationum quarumdam non contemnendarum. Ita enim ego admiratus ſum, ut ne attingere quidem argumentum velim, ubi ſpes non ſit, præſtari aliquid extra ordinem poſſe. Nam medullam bonorum interpretum clarè breviterque exhibere, fortaſſe non adeo difficile fuerit. Quare venia tua, vir ampliſſ. ejuſque deliberationem meam differre cogor, niſi quis interim aptior me, in tanta præſtantium virorum copia, eam operam occupaverit. Ac fortaſſe interea, niſi tibi

tibi aliter videtur, *Martianum* absolvero, cùm disciplinæ, quas tractat ille, magis in medio positæ, novo quodam apparatu tantopere non indigeant. At qui *Vitruvium* pro argumenti dignitate tractare velit, eum ad nostri temporis experimenta respicere, & cum opificibus atque architectis conferre debere censeo, ut, collatis veterum præceptis & peritia nostrorum aliquid inde novi usus in publicum dimanet. Sed hæc tempus otiumque huic uni rei aliquamdiu impensum postulant. Ad *Martianum* verò sunt mihi jam in promtu nova quædam, ac digna forsan scitu, plerisque artibus, quas ille tractat, illustrandis, quæ & publici magis saporis sunt, juvenique, quali laboratur, congruentiora, cum *Vitruviana* non nisi ab artifi ibus, aut aliis quidem, sed in severiorum disciplinarum cultu provectis, intelligantur. Adde, quòd *Capella* a nemine κατα ποδα explicatus est, &, si quis alius veterum, remedio ab Illustriss. Duce *Montauserio* inven a, id est, versione Latina indiget. Mitto ecce specimen in *Martianum*, idem illud, quod jam monstraveram, sed reformatum. Ex intertexta enim explicatione continuam velut versionem feci. Notæ sunt tumultuariæ, scriptæ scilicet nullo alio libro adhibito, præterquam ipso *Martiano*; postea polientur. Cavi, ne a *Grotio* dicta repeterem, cujus notas, nisi aliter judicas, integras inserere cogito. Mitto & argumentum totius fabulæ, quod inter legendum memoriæ caussa ludens contexui. Hæc a te coram, cùm permiseris. Nisi interrumpar solito frequentiùs, faxo, ne moram meam accusetis. Et interrumpar sanè non rarò, cùm demonstrationes quasdam in arithmetica, tum simplici, tum infinitorum, & geometria, & scientia motûs, & optica, & mechanicis, a me repertas, poliri ac publicari amici flagitent. Nec negligendum est commercium litterarium cum amicis in Germania, Anglia, Septentrione. Nuper misere mihi ex Anglia rationem corporis Algebraici condendi, quod moliuntur absolutissimum certè, congestis in unum omnibus omnium, quæ hactenus in eo argumento exstant, inventis. Judicium quoque scribunt de linea logarithmica R. P. *Pardies*, piæ memoriæ, ad solvenda quædam problemata accommodata, quod & in Anglia cognitum aiunt. Sed & machina arithmetica me sibi subinde vindicat, quæ nunc properat ad metam, specimen fortasse datura, posse a machinis effici, quæ hominis etiam industrii non manum tantùm, sed & ingenium fatigant. Hæc spero, vir ampliss. excusabunt me apud te, si assiduitatem præstare semper non possum, & hodie certè venire me, ut erat officii mei, mutatio domicilii mei, quod nunc in *S. Germani* suburbium, ac palatii *Luxemburgici* viciniam transfero, prohibet, dissolvendis componendisque reculis occupatum. Spero habiturum me occasionem, si nondum *San. Germanum* redieris, excusandi me coram. (*Lutet.* 1673.)

EPI-

EPISTOLA III.

INtellexi magno gaudio meo, insigne opus & victurum *de veritate religionis* nostræ tandem prodiisse in lucem. Neque vero dignius argumentum reperire poteras, cui destinaretur maximus ille eruditionis apparatus, quem tantis vigiliis collegisti. Quid enim denique religione præstantius est, & quid mortales animos afficit magis? Dulcissimum profectò est, & mirificè solatur incommoda vitæ immortalitatem asseri nobis, non quamlibet, sed qualem optare possumus, id est, qualem docuit *Christus*. Quem ostendere promissum tot oculis fuisse Messiam, generis humani restauratorem, maxima conclusionum est, post duas illas capitales de Deo & mente. Certè non video, quam possimus utilitatem exspectare majorem ab historia & eruditione. Ampliùs dico, mihi studium antiquitatis omne hunc propemodum unicum habere videtur usum, ut vetera felicitatis, atque, ut ita dicam, nobilitatis nostræ, quam ad Christum regenerati referre debemus, documenta a dubitationibus & corruptelis vindicemus. Ostendendum est primùm, libros sacros, quos habemus, genuinos esse, & ad nos perveniisse incorruptos quoad summam rerum. Quod nemo satis potest, nisi criticæ artis mysteria intellexerit, & manuscriptorum fidem explorare possit, & linguarum proprietates, & genium illorum sæculorum, & seriem temporum novit. Deinde ostendendum est, auctorem tantarum rerum, ad quem libri sacri referuntur, cælo missum fuisse. Id verò oracula testantur, quæ multis post sæculis nasciturum cecinere, & mira facta eorum, quos sua Christus auctoritate armavit, & sanctitas doctrinæ incomparabilis, & martyrum constantia, & denique triumphus crucis. Hæc verò omnia ita, ut narrantur, gesta fuisse, demonstrari non potest, nisi tota historia universali, sacra & profana, accuratissimè constituta. Historiæ autem universalis demonstratio eget collectis, & manuscriptis, & numismatis, & inscriptionibus aliisque cimeliis eruditorum. His enim fit historiæ fides. Itaque sæpè mecum cogitans optavi esse, qui nobis inventarium, ut ita dicam, exhibeat pretiosi hujus thesauri omnium, quæ hodieque supersunt, reliquiarum antiquitatis, quoad ejus fieri potest. Tale quiddam circa inscriptiones exspectamus a summo in his studiis viro, *Marquardo Gudio*, nec numismatis deerunt *Ezechiel Spanhemius* aliique excellentes viri, maximè autem *Carcavius* vester, regiarum in hoc genere opum custos meritissimus. Sed historiam manuscriptorum hactenus desidero, qua enumerentur meliores, qui nunc quoque exstant in Europa, codices, illi inprimis, ex quibus auctores expressi sunt, & qui sunt unici aut rari? Sed hæc obiter. Interea sufficerit, omnem eruditionis apparatum ad historiam sacram comprobandam, velut scopum potissimum, dirigi debere. Quod cùm a te felicissimè factum esse non dubitem, quamquam non nisi partem operis inediti, te olim monstrante, viderim, gratulandum meliori eruditi-

tioni arbitror, quæ verum uſum ſuum te duce invenit: gratulandum tibi, qui famam & utilitatem conjunxiſti. Ipſum opus non ego tantùm avidè deſidero, quamquam jam in itinere ad nos eſſe arbitrer, ſed & exſpectat Sereniſſ. *Joannes Fridericus*, Brunſvicenſium & Luneburgenſium Dux, Princeps ſupra, quàm credi poſſit, & intelligens, & rerum omnium, maximeque eruditionis ſacræ, curioſus, cui non ignotum eſt nomen tuum, & qui me inſtitutum tuum enarrantem ſumma cum voluptate audivit. Vale, ill. vir, & cultori nominis tui ac virtutum tuarum fave. (*Hanoveræ* 1679.)

EPISTOLA IV.

CUm mihi apud vos agenti ſubinde doctiſſimis ſermonibus tuis frui liceret, equidem ſæpè teſtatus ſum, quanto ardore exſpectarem editionem operis præclari, cujus delineationem quamdam apud te videram, nec diſſimulavi, id ſæculo neceſſarium, tibi verò prope uni facile mihi videri, omnibus philoſophiæ pariter, atque eruditionis præſidiis ultra communem noſtri temporis ſortem inſtructo. In qua opinione ſum præclare confirmatus, ex quo opus ipſum videre datum eſt beneficio ſereniſſimi principis mei, cujus maximus eſt zelus veræ pietatis, & incredibilis, niſi præſentibus audientibuſque, vir acerrimi judicii; cujus ea eſt ſententia, qui hujus modi argumentum tractare velit, non tantùm ingenio, ſed & doctrina valere debere. Itaque cùm primum ex me intellexit, hujus modi aliquid te moliri, ſtatim in mandatis dedit, ut liber ſibi quamprimum afferretur, a quo ſumma quæque exſpectabat; neque ſanè deceptus eſt. Equidem religionem & providentiam in univerſum certis demonſtrationibus evincere poteſt etiam, qui obviis tantùm experimentis vim illam mentis ordinatricem conjunxerit, qua omnis philoſophi laus continetur. Cùm enim omnis cauſſa ex unoquoque effectu ſuo demonſtrari poſſit, conſequens eſt, Deum ex primo quoque phænomeno probari; probationes autem conſtat nihil aliud, quàm aptas ad connexionem rerum cognoſcendam ordinationes cogitationum eſſe. Sed veritatem Chriſtianæ religionis oſtendere, negotium eſt multo majus. Agitur enim de corruptione & reſtauratione generis humani, de gentium diſcriminibus, de vetuſtiſſimis ſcripturis, quæ diſcuſſio poſtulat non tantùm philoſophum, ſed & eruditum, & quidem in utroque ſummum. Eruditum autem intelligo, qualis tu es, (quod enim exemplum proponere poſſim rei præſenti congruentius?) id eſt, qui res maximas in orbe cognito geſtas, quo uſque hominum memoria peringit, animo complexus eſt; in quo genere neminem tibi facilè anteponi poſſe conſtat. Itaque eruditione præſtat, qui cæli terræque phænomena admiranda, qui naturæ artiſque hiſtoriam, qui migrationes gentium, mutationeſque linguarum atque imperiorum, qui præſentem orbis ſtatum, &, ut verbo dicam, quidquid non ex ingenio inveniendum, ſed ex ipſis rebus hominibuſque diſcendum eſt, in promtu habet. Et ſic quidem philoſophia

ab

ab eruditione differt, quemadmodum id, quod eſt rationis ſive juris, ab eo, quod eſt facti. Porrò etſi non minùs theoremata ex ingenio inventa, quàm hiſtoriæ atque obſervationes litteris mandari tranſmittique poſſint ad poſteritatem; hoc tamen intereſt, quod non libri auctoritas, ſed demonſtrationum evidentia nunc quoque conſpicua ſententiæ fidem facit. Neque enim refert, an *Archimedes* ſcriptor ſit libellorum *de æquiponderantibus*, quod ingenioſiſſimus editor nuper in dubium vocavit; quamquam & ingenium ſcribentis, & Dorica dialectus magna mihi auctoris argumenta videntur. Sed cùm de hiſtoria agitur, monimentum ipſum fidem facit veritati. Unde nata eſt ars illa critica, planè neceſſaria, quæ in monimentis diſcernendis verſatur, qualia ſunt inſcriptiones, numiſmata, & libri manu aut typis ſcripti. Hanc ego artem divina providentia reſuſcitatam & cultam, & inventæ typographiæ auxilio firmatam arbitror, religionis Chriſtianæ inprimis colluſtrandæ cauſſa. Equidem magnus eſt hiſtoriarum uſus ad præclara vitæ exempla, ad excitandos noſtros homines, ut facere conentur ipſi quoque res dignas memoria poſteritatis, ad fines imperiorum deſcribendos, & illuſtres in re publica controverſias terminandos, denique ad voluptatem ſanè maximam ex conſpectu rerum mirifico percipiendam. Sed hactenus tamen eruditione carere poſſumus, & carent totæ nationes, quæ ſatis commodè vitam degunt. Unus hiſtoriæ pariter ac criticæ artis uſus neceſſarius eſt ad ſtabiliendam religionis veritatem. Nam illud pro certo habeo, arte critica amiſſa, humana fidei divinæ inſtrumenta ſimul interitura eſſe, neque quidquam ſolidi ſuperfore, quo Sinenſi alicui, aut Judæo, aut Muhemedano, noſtra religio demonſtrari poſſit. Fac enim, fabuloſas *Theodorici* Veronenſis hiſtorias, quibus infantes a nutricibus in Germania ad ſomnum ſollicitantur, a *Caſſiodori*, coætanei ſcriptoris, & hujus regis negotiorum adminiſtri, narrationibus non poſſe diſcerni; fac, venire tempus, quo dubitetur, an non, ut Turcis viſum eſt, *Alexander* magnus *Salomonis* exercitum duxerit; fac pro *Livio* & *Tacito* ſupereſſe elegantes quoſdam, ſed nugaces, libellos, quales hodie ſcribuntur de magnorum virorum amoribus; denique fac, redire tempora illa tantùm mythologiis cognita, qualia ante *Herodotum* apud Græcos fuere: ſublata erit certitudo de rebus, tantumque aberit, ut oſtendi poſſit, Scripturæ ſacræ libros divinos eſſe, ut ne quidem genuinos eſſe conſtare poſſit. Neque majus propagandæ Chriſtianæ religionis in oriente impedimentum eſſe judico, quàm quod populi illi, hiſtoriæ univerſalis ignari, demonſtrationes illas, qualibus nunc religionem Chriſtianam extra controverſiam collocaſti, capere non poſſunt, niſi ſe dent in diſciplinam, litteriſque noſtris imbuantur. Hæc quoties mecum cogito, toties doleo, illam eruditorum familiam, quos criticos vocant, quæ cuſtodiendis monimentis in re publica litteraria præfecta eſt, imminui admodum, ut metus ſit, ne aliquando exſtinguatur. Florebat ea ſub initium hujus ſæculi, & propemodum ſua fœcunditate laborabat, neque eruditus habebatur, niſi qui ingeminaret illud:

lud: *deleo, corrigo, ego habeo antiquum codicem, hunc locum librarii corrupere*; quod ſtudii genus, ſi dicendum, quod res eſt, controverſiis de religione alebatur. Nullum enim malum eſt, cujus non ſit aliquis fructus. Nam cùm de ſcripturæ ſenſu, de conſenſione veterum, de genuinis & ſuppoſititiis libris, crebro eſſet diſputandum, nec de ſacris ſcriptoribus cujuſque ævi in tanta rerum connexione judicari poſſit, niſi ab eo, qui in omni monimentorum genere eſſet verſatus, nihil in bibliothecis intactum relictum eſt. Rex ipſe Magnæ Britanniæ *Jacobus*, & eccleſiæ pariter, ac rei publicæ principes viri, diſceptationibus illis exercebantur pene ultra modum. Sed cùm denique diſputationes in bella erupiſſent, &, tanto ſanguine fuſo, tantis clamoribus nihil profici prudentiores viderent, facta pace tædium harum quæſtionum atque litterarum multos cepit. Ex eo incipit nova quædam ſtudiorum periodus, cùm in Italia *Galilæus*; in Anglia *Baconus*, & *Harnæus*, & *Gilbertus*; in Gallia *Carteſius* & *Gaſſendus*; in Germania unus illis opponi dignus, *Joachimus Jungius*, præclaris quibuſdam ſive inventis, ſive cogitatis, ad ſpem naturæ per mathematicas artes cognoſcendæ homines vocaſſent. Eſt enim in his ſtudiis dulcedo mirifica, & promta utilitas. Nolo nunc dicere, in quo mihi hodieque peccari videtur, & qui fiat, ut magnorum auctorum diſcipuli tantis præſidiis adjuti nihil memoratu dignum præſtent; non eſt enim hujus loci ea diſquiſitio. Hoc unum nunc obſervare ſatis eſt, ex eo tempore ſtudium antiquitatis & eruditionem ſolidam paſſim in contemtum adduci, uſque adeo, ut nonnullos pudeat auctores laudare, partim ne non ex ingenio ſcripſiſſe videantur, partim ut ignaviæ ſuæ faveant; cùm tamen in rebus facti neceſſarius ſit uſus teſtimoniorum, niſi extemporaneam ſcriptionem accuratæ tractationi præferamus. Itaque ne iſta negligentiæ labes ſerpat longiùs, admonendi ſunt homines exemplo egregii operis tui, religionis intereſſe, ut vera eruditio conſervetur; idque præclarè monuit vir doctiſſimus, *Mericus Caſaubonus*, *Iſaaci* filius, ſcriptis non ita dudum ſermone Anglico libellis eruditis, in quibus non ſine cauſſa malè ominatur pietati, ſi naturæ tantùm indagandæ dediti, antiquitatis ſtudium & bonas litteras negligamus. Quare nec illorum voces probo, qui omnem exuunt antiquitatis reverentiam, & de *Platone* atque *Ariſtotele*, velut de miſeris quibuſdam ſophiſtis, loquuntur. Quos ſi legiſſent attentiùs, aliter de maximis viris ſentirent. Nam doctrina *Platonis* metaphyſica & moralis, quam pauci ex fonte hauriunt, ſancta eſt rectaque, &, quæ de ideis æterniſque veritatibus habet, admiranda. *Ariſtotelis* autem Logica, & Rhetorica, & politica, maximæ ſunt utilitatis in vita, ſi in præſtans ingenium & uſu excultum incidant. Sed & eum in phyſicæ acroaſeos libris veram *continui* notionem vindicaſſe a plauſibilibus Platoniſtarum erroribus, quantivis pretii eſt. Denique qui *Archimedem* & *Apollonium* intelliget, recentiorum ſummorum virorum inventa parcius mirabitur. (*Hanoveræ* 1679.)

EPISTO-

EPISTOLA V.

VAlde dolui, litteras meas malè & ſerò ad te perlatas eſſe, eoque magis bonitatem tuam agnoſco, qui non inconditè tantùm ſcriptis, ſed & nihil ampliùs ad rem pertinentibus, humaniſſimè reſpondiſti. Nam de opere tuo, velut edendo, loquebantur, cùm tamen prodiſſet dudum, quo tempore tibi redditæ ſunt. Ipſum opus maturè perlatum eſt ad ſereniſſimum Principem meum. Ita enim rem inſtitueram, ut neminem facilè ad nos in Germania id nactum putem, idque non meo tantùm ſtudio, ſed & ipſius Principis juſſu, qui miro ejus videndi deſiderio dudum flagrabat. Et ſanè accepti libri potiſſima aſpexit ipſe, reliqua mihi majore ſtudio legenda delegavit. Neque ulla umquam mandata jucundius implevi. Quantus enim illic, Deus bone! theſaurus eruditionis? Quæ colligendi pariter, atque ordinandi, felicitas? Ea enim eſt ubertas rerum, ut materiam a multis annis comportaſſe videaris. Ea porrò eſt omnium ex ſe ſponte naſcentium conjunctio, ut uno quaſi animi impetu, ſolo memoriæ ſubſidio, ſcripta videri poſſint. Reliquiſti certè opus immortale, magnoque conſilio inveniſti, in quo partam tot vigiliis doctrinam pulcherrimè collocares. Summam rei, quod prophetiæ in Jeſu Chriſto ſint impletæ, ſatis a te oſtenſam arbitror. Profectò enim vix fieri caſu potuiſſe videtur, ut omnia tam mirificè conſentiant. Sanè mihi, cui dubium nullum eſt, omnia a ſumma quadam providentia adminiſtrari, divino quodam conſilio factum videtur, ut Chriſtiana religio, cujus tam ſancta ſunt præcepta, tot nobis planè admirandis deſignaretur. Neque enim diffiteor, eamdem providentiam ſpectari in conſervatione eccleſiæ catholicæ. Itaque ut ad poſtremam litterarum tuarum partem veniam, auſim dicere, me pariter, atque alios multos in ea eſſe, quoniam per nos non ſtat, quo minùs cum aliis communicemus; qui ſi nos repellunt, aut conditiones exigunt, quas præſtare non eſt in poteſtate, vides ipſe pro moderatione tua, nihil imputari nobis poſſe. Eam tamen nunc agnoſcere mihi videor temporum felicitatem, ut pæne ſperem, aliquam iniri poſſe concordiæ rationem & honorificam Romanæ Eccleſiæ, & ceteris minimè gravem. Neque id temerè judico. Novi enim multos omnium partium egregios viros. Nulla autem Germaniæ regio eſt, in qua majore moderatione ac judicio tractentur controverſiæ religionis, quàm in ditione Brunſvico-Luneburgenſi. Et cùm Principes ipſi, qui nunc rerum potiuntur, ſint ſine exemplo ſapientiſſimi, dominuſque meus inprimis ceteris animi & fortunæ dotibus inſolitam eruditionem ac rerum judicium adjunxerit, atque hæc inprimis ſtudia magna voluptate tractet: hinc tantas rerum gerendarum occaſiones cogitanti mihi, negligentia, aut animus ſæpe eorum culpandus videtur, ad quos eccleſiaſticarum rerum cura pertinet. Nunc autem cum pontificem Romanum, *Innocentium XI.* a ſanctitate vitæ, & præclara voluntate, &

ſapientia laudari audio, rurſus in ſpem aliquam erigor. Accedit auguſtiſſimi *Cæſaris* ardentiſſima pietas, & maximi Regis virtus ſumma. Itaque aut nunc fiet aliquid, aut, ſi occaſiones perdemus, vereor, ne publica gaudia adhuc in aliquot ſæcula differantur. Quare te quoque opto etiam in hoc negotio conſilia jungere cum Illuſtriſſimo Epiſcopo Condomenſi, quandoquidem Rex ſapientiſſimus vos in ejus curæ communionem vocavit, quæ ipſi inter primas regni fuit, qua nunc cum ſumma laude propemodum perfuncti eſtis. Obtulit ſe mihi nuper occaſio, qua Illuſtriſſimo Epiſcopo innoteſcerem. Itaque, ut me illi porrò commendes, rogo, ac tibi quoque habeas commendatum. In geometria, nam & de his quæris, dudum abſolveram opus, quod amicis alicujus momenti viſum eſt. Appello *quadraturam arithmeticam*, cujus corollarium eſt trigonometria, quæ ſine tabulis quantavis exactitudine perfici poſſit. Ita tollitur tandem ingens defectus geometriæ; nam problemata multa hactenus abſolvi nequeunt, niſi liber tabularum ſit ad manus, quod in itineribus inprimis, & ſæpe aliàs, non eſt in poteſtate. Manuſcriptum Pariſiis reliqui, ſed obiit, qui curam ejus gerere debebat. Ita hactenus jacuit liber; ſpero tamen reſumi poſſe. Sed hæc quidem minuta ſunt; veſtra enim maxima in rem publicam & eccleſiam merita ego ſaltem agnoſcere ac colere didici. Vale. *Datum Hanoveræ ipſis Cal. Aug.* 1679.

EPISTOLA VI.

INterpellandi novitas poſt tot annorum cultum, ſilentio vel amicorum interventu teſtatum, veniam, ut ſpero, reperiet a cauſſa. Fortè nuper amicus ad me attulit, quæ *Burcherus de Volder*, clariſſimus apud Leidenſes Profeſſor, pro *Carteſio* in cenſuram tuam noviſſimè ſcripſit, publicè edita. Viri fama, ipſiuſque amici deſiderium fecere, ut perlegerem ſolito attentiùs, viſuſque mihi eſt non rarò deſerere *Carteſium*, cùm defendere videbatur; paſſim etiam cauſſam inſtruendo pronuntiandæ in Carteſianos ſententiæ viam planiorem reddidiſſe. Quæ dum annoto in ipſa lectione, ſubiit mox animum cogitatio, addi his notatis poſſe tum animadverſiones meas in partem generalem philoſophiæ Carteſianæ, ante annos nonnullos in chartam conjectas, tum in auctarii vicem nonnulla a me ad amicos ſubinde ſcripta de cauſſa Carteſiana, & ſectariæ in univerſum philoſophiæ incommodis. Sed cùm omnia libri menſuram non ſatis implere viderentur, cogitavi, an poſſent aliquando cenſuræ tuæ aſſui, ubi rurſus ederetur; purpuræ, fateor, vilis pannus; ſed habent tamen & mediocria uſum aliquando, pro captu ſcilicet vario ingeniorum. Quodſi tibi conſilium non malum videtur, mittam mea qualiacumque, & judicio tuo ſubjiciam. Cœpiſti reſtituere veteribus decora ſua, & libertatem philoſophandi noſtris, & præclarè oſtendiſti, quàm fallantur, qui, ignaviæ ſuæ litantes, compendioſam in uno, quamvis magno, ſcriptore ſapientiam, vel potius ſapiendi

piendi jactantiam quærunt, non exiguo rei litterariæ damno, cui obviam iri publicè intereſt. Sanè oſtendi reapſe in ipſa geometria, ubi regnare videbatur *Carteſius*, methodum ejus tantùm ad faciliora porrigi, problemata autem majoris momenti aliis ferè artibus indigere, quarum & ſpecimina a me ſunt prolata, quæ notari operæ pretium fuit, non ut ſperneretur is, qui nimia pollicitus eſt, ſed ne deciperentur lectores, & quaſi præoccupati inveniendi palma a vero ſtudiorum labore averterentur. Vale. *Dabam Hanoveræ* 1692.

EPISTOLÆ IV.

AD

JOH. HERMANNUM SCHMINCKIUM.

Ex Sylloge nova Epiſtolarum &c.

EPISTOLA I.

LIteras tuas, eruditionis tuæ ac diligentiæ, tum erga me humanitatis certiſſimos teſtes, dudum accepi; ſed differre reſcriptionem iter Brunſvicenſe coëgit, quod me opinione diutius tenuit, adverſa valetudine ſuperveniente. Nunc redux recreatuſque officio ſatis facio. Quæſtiones, quas moves in *Carolina* hiſtoria, tuo ingenio; & ſententiæ, in quas inclinas, etiam judicio dignæ ſunt. Controverſiam de partitione regni inter filios *Pipini I.* regis, *Carolum* & *Carolomannum*, ipſe olim excuſſi, reperique, in ea exponenda, ut in multis aliis, falli *Eginhardum*, ſcriptorem magis elegantem, (pro captu temporum), quàm diligentem; ut vel ex eo intelligas, quòd locum nativitatis magni *Caroli*, & ſimilia ſe ignorare profeſſus eſt, quæ mea opinione ſciri poterant, ſi indagaſſet. Ex vero rem retulit auctor, qui juſſu *Childebrandi* & *Nibelungi* de rebus Francorum ſcripſit, & circa hæc tempora finit. Ex eo rebus ab utroque principe actis conjuncto intelligitur, *Carolo* primogenito provincias, magis hoſtibus expoſitas, regendas a patre aſſignatas, & in his Auſtraſiam inprimis cum Thuringia; *Carolomanno* Provinciam, Septimaniam, Burgundiamque, & avulſos ab Auſtraſia Alemannos ceſſiſſe; Neuſtriam adhuc magis ſciſſam; Oceano vicina & Britonibus *Carolo*, ſed ſuperiora *Carolomanno* data. Aquitania, quod nondum pacata eſſet, utrique relictam, quo conjungerent vires; Boioariam neutri, quæ proprium dominum haberet, etſi comiter agnoſcentem Francici nominis majeſtatem. Itaque vereor, ut *Blanco* concedi poſſit, *Carolum* Auſtraſiæ regem in nummo dictum, qui Alemannis Alſatiſque carebat; *Carolomannum* Neuſtriæ, qui Rothomagum, aliaque propriæ Neuſtriæ loca non habebat. Faciliùs tamen *Carolo* Auſtraſiæ, quam

Caro-

Carolomanno Neuſtriæ regis appellationem tribuerim, cui Burgundia potiùs cum vicinis provinciis obvenerat.

Eginhardi & *Einhardi* idem nomen eſt, variatum pronuntiationis flexu. Ita *Meginwercum* & *Meinwercum*, *Regenſtein* & *Reinſtein*, aliaque id genus pro æquivalentibus habemus. De *Imma*, ejus conjuge, utrum *Caroli M.* filia fuerit, difficilis quæſtio eſt. *Chronici Laurisbamenſis* auctor non eſt teſtis omni exceptione major, nec tamen planè ſpernendus. Si filia *Auſtuſti* fuit *Imma*, naturalem fuiſſe dixerim. Nam legitimarum filiarum nomina explorata habentur. Vix crediderim, *Eginhardum*, *Lothario* filio *Ludovici Pii* ſcribentem, *neptitatem*, (quod vocabulum nuſpiam aliàs legitur), *Auguſto* juveni tribuere auſum, etſi amitam ejus qualemcumque in matrimonio habuiſſet: neque enim, ſi *Immæ* ex fratre nepos fuiſſet, etiam *Eginhardi* erat, neque *Eginhardo* licebat inſerere ſe regiæ familiæ tam inſolenti voce. Itaque vereor, ne locus ſit corruptus, & pro *neptitate veſtra*, ſi non *nobilitatem veſtram*, certè aliud quiddam ſuſpicari oportet; ut ibidem adhibet *manſuetudinem veſtram*. In eadem certè epiſtola corruptus eſt ſimilis locus, ubi ait: *quin potiùs cogit* (voluntas mea fidelis efficere), *ut . . . veſtra cognoſcat*, ubi legitur: *vos de veſtra*, ſed pro *vos de* ſubſtantivum aliquod ſimile prioribus, quale *prudentia*, ſubſtitui debet. *Angilberto* cum *Berta*, *Caroli* filia, affinem matrimonio conſuetudinem, vel ſi mavis, matrimonium minùs ſolemne fuiſſe, apparet, quod ſcilicet pactis dotalibus carebat; qualia legitimo matrimonio reſcindi poterant, ut ex iis patet, quæ in cauſſa *Lotharii*, regis Auſtraſiæ, ſunt diſceptata. Conſcium rei patrem fuiſſe veriſimile eſt, in filias indulgentem. Nummi *Carolini* apud nos non ſunt. Sigilla Oſnabrugenſium diplomatum dubitatione non carent. Inſtitutum tuum, prælo *Eginhardum* reddendi cum notis, mirificè probo. Scis, *Annales* aliquos Francicarum rerum *Eginhardo* tribui: ſed vereor, ut tutò. *Quercetanus tomo II. Scriptor. Francicor.* ubi hos Annales exhibet, locum non ſpernendum adducit monachi, qui translationem *S. Sebaſtiani* ad Sueſſiones narravit, in quo *Eginhardo* tribuuntur, quæ in Annalibus illis legimus. Sed quia in codicibus conjungi ſolebant Annales illi cum *vita Caroli* Eginhardina, potuit decipi monachus, & utrumque opus tribuere eidem auctori: cùm tamen & ſtilo & ſententiis differre videantur. *Friderici Beſſelii* editionem *vitæ cum notis* non ſpernendis tibi viſam puto. Is quoque comitis *Nuenarii* fidem vindicavit. Præclarè facies, ſi porrò inſiſtes tam utilibus curis. Ego certè, ſi qua in re poſſim, libenter adjuvabo, & gratanter in poſterum intelligam, res tuas vel in itineribus, vel domi, eo eſſe loco, ut progredi tibi liceat in re publica litteraria demerenda. Inſignes viros, *Perizonium* & *Burmannum*, officioſe a me ſalutari peto. Ampliſſimo viro, *Gisberto Cupero*, has litteras & permiſſu ejus, & juſſu tuo commendo. Hujus favore ſpero nos porrò uti poſſe, cujus judicio meas ſententias prorſus ſubmitto. Vale. *Dabam Hanoveræ d. 27. Febr.* 1710.

EPISTO-

EPISTOLA II.

REſponſa mea, quamquam tumultuaria, tibi non diſplicuiſſe, gaudeo, & *Eginhardum* tuum jam prodiiſſe ſuſpicor. De urnis erutis multorum habemus obſervationes per Germaniam, ſed placuere inprimis, quas olim *Jo. Daniel Maior*, medicus Holſatus, inſtituit; nam paſſim tumuli aggeſti aſſurgunt per Stormariorum plana, ſub quibus urnarum multitudo latet. Sed ſimiles Thuringi, & Weſtfali, & Chauci, & alii ſuppeditant. Paullatim morem comburendi cadavera exoleviſſe non ignoras. De *Mattiaco* non abhorrens viſa eſt conjectura tua a *Taciti* verbis, *primo Annalium*; cùm judicas, Romanos Germanici ductu Adranam tranſgreſſos, *Mattium* demum attigiſſe, gentis caput; pulſis ſcilicet his, qui flumen tuebantur, & per ſylvas diſperſis. Nam ſi *Mattium* inter Rhenum & Adranam jacebat, minor tranſeundi Romanis, tranſitum prohibendi Cattis, ratio fuit. Et favet tibi, quod affers nomen villæ ſuperſtes, *Maden* aut *Madern*, ſi rudera loci amplioris illic apparent. Certè non a *Mattio*, quaſi olim *Matburgum* dictum eſſet, ut conjicit *Cluverius*, ſed a *Mara*, rivo, eſſe *Marburgi* nomen, tibi planè aſſentior. Ceterum quia de Mattiacis ſermo eſt, neſcio, an viſus tibi ſit *tomus* meus *primus ſcriptorum* Brunſvicenſia illuſtrantium, (nunc enim ſecundus tertiuſque jam pæne prælo exiere), & quæ illic in loca veterum de Germaniæ, noſtris vicinæ, ſitu agentium notavi. Ibi obiter *pag.* 10. conjecturam quamdam meam de alio loco *Taciti* protuli, qui eſt in libello *de moribus Germanorum*, ubi *Mattiaci Batavis* conjunguntur, quod viri docti in fœderato Belgio, ſive de *Selandis*, ſive, quod convenientius, de *Iſolæ* accolis accepere, nam in Germaniæ ſolo eos, id eſt regione ſibi tranſrhenana *Tacitus* locat. Sed *Cluverius* Mattiacos non procul Adrana quærendos rectè quidem animadvertit ex illa *Germanici* expeditione ſupra dicta; ſed alteri loco, ubi Batavis conjunguntur, non ſatisfacit. Mattiacos enim Adranæ accolas inſtar Batavorum Romanis addictos fuiſſe, nuſpiam apparet; & *Tacitus* in libello illo aliis interjectis demum ad Cattos venit, quorum pars Mattiaci. Mihi veriſimile viſum, illic pro *Marſaciis*, qui re vera vicini Batavis, errore quodam *Mattiacos*, quia notiores, a librario ſubſtitutos. Certè *Marſacios* vel *Marſacos* ex *Hiſtoriarum* opere Batavis Caninefatibuſque ſub Civili rebellantibus acceſſiſſe patet, communi erga Romanos obſequio exuto. Itaque *lib. IV. Hiſtor. cap.* 56. cum *Caninefatibus* a *Labeone* tentantur. *Plinius* eos his ipſis populis Friſiiſque adjungit. Et proinde non malè a *Cluverio* in Velua, Geldriæ parte, prope Arnhemium collocantur. Ita ſolo Rheno diviſi a Batavis, & in Germanico poſiti, ſolo licet ac cælo ſuo acrius animati, Batavorum tamen jure apud Romanos uſi videntur, id eſt, militem ſuppeditaſſe, quod corrupto *Annalium Taciti* loco Mattiacis longè remotis, neque in has conditiones facilè deſcenſuris, ob viciniam nominis attributum eſt. Nec rarum eſt, no-

tiora nomina a librariis ſubſtitui. Celebres autem Mattiacos fuiſſe, indicant *Mattiacæ pilæ* apud *Martialem*, id eſt, ſapo pilarum forma (ut nunc quoque) ex Germania ad Romanos delatus, quibus color capillis quærebatur. *Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas. Mattiacæ* etiam *aquæ* ſeu thermæ memorantur, id eſt, Wisbadenſes, ut apparet. Itaque a Moguntiaci oppoſito ad Adranam & ultra colebant Mattiaci, & in illis ſpecus quærendis argenti venis aperuit *Curtius Rufus* apud *Tacitum Annalium lib. XI.* Sed hæc tu meliùs examinaveris, cui ſtudiorum dignos ſucceſſus ominor: & gaudeo etiam, aliquem ex popularibus tuis Armenicam linguam illuſtrare aggreſſum. Habet illa gens libros antiquos, aliaque multa excuſi digna. Celeberrimo *Tolnero* intelligo mandatam Hiſtoriæ Haſſiacæ curam. Vellem *Winckelmanni* labores non perirent, etſi imperfecti, nec ſemper exquiſiti, tamen profuturi. Quod ſupereſt, vale, & me ama. *Dabam Hanoveræ d.* 10. *Nov.* 1710.

EPISTOLA III.

VEniam peto, quòd nondum pro inſigni munere gratias debitas egi. Sperabam percurrere opus tuum, & quædam notare, quæ tibi fortaſſe non ingrata fuiſſent; ſed partim itinera, partim negotia, partim nonnulla invaletudo impedimento fuere. Itaque malui breves ac ſteriles ſcribere litteras, quàm diutius officio deeſſe. Primùm ergo gratias ago habeoque, deinde hortor, ut in ſtadio hiſtorico pergas, in quo tam præclarè decurrere cœpiſti. Si quid in me erit, inſerviam lubens. De cetero vale & ſave, & rem in plurimos annos, quos tibi promittit florens ætas, bene gere. *Dabam Hanoveræ d.* 29. *Dec.* 1711.

EPISTOLA IV.

SPero te ſalvum Marburgum appuliſſe, & fauſta omnia precor. Gratias ago, quòd de manuſcripto Caſſellano inquiſiiſti. Habebo fortaſſe cum tempore.

Libentiſſimè ad tuam opem confugiam, ut *Martinus Polonus* multis modis emendatus continuatuſque in publicum edatur. Eſt Dominicanus quidam eruditus Pariſiis. Hunc intelligo multos *Martini Poloni* codices contuliſſe. Hujus, ſi licebit, auxilio utemur, & mox ad amicum ſcribam, qui cum eo agat.

Dn. Profeſſor *Eccardus* gratias agit, avidè exſpectat nuntium de Claubergianis. Ejus *Catechiſmus Teotiſcus* prodiit; ſunt in eo non pauca perutilia. Itaque hortor, ut in his ſtrenuè pergat.

Quis ſit Academiæ veſtræ ſtatus diſcere gratum erit. Audio iſtum doctum illic novam *Novellarum* verſionem moliri. Ea ſanè erit utilis, etſi multi veterem pro magis authentica habeant, quàm ipſum textum Græcum; inter hos eſt *Lynckerus*. Si quæ alia litteraria diſces, ex te diſcere gratum erit. Vale. *Dabam Hanoveræ d.* 19. *Octobr.* 1712.

EPI-

EPISTOLÆ DUÆ AD PHIL. JAC. SPENERUM.

Ex Sylloge novâ Epiſtolarum &c.

EPISTOLA I.

